IN

EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD TITVM COMMENTARIVS, CVM ALIQVOT DIGRESSIONIBUS,


ſionibus, ſeu totidem locis communibus, bona ex parte ad hodiernas in Religione controuerſias pertinentibus,

Collectore CLAVDIO ESPENCAEO *Pariſienſi Theologo.*

Digreſsionum præcipuarum index proximè ſequitur argumentum Epiſtolæ.

Acceßit & index alter rerum in toto commentario memorabilium.





PARISIIS,

Apud Nicolaum Cheſneau, via Iacobæa, ſub ſcuto Frobeniano, & Quercu viridi.

1567.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

PRIVILEGII SENTENTIA.

CAVTVM eſt autoritate Caroli, IX. Francorum Regis Chriſtianiſſimi, ne quiſquã alius, ante nouennium ab impreſſione ſingulorum librorum, Opera vlla Claudij Eſpençęi, Theologi Pariſienſis, excudat, néve vendat, præter eum Typographum, cui excudenda autor ipſe dederit. Qui ſecus fecerit, libris, & pœna in ſanctione æſtimata multabitur. Priuilegium Pariſiis irrogatum, V. Nouembris, Anno M.D.LXVI.

Per Regem, ad relationem D. Cancellarij.

CAMVS.



IN EPISTOLAM D. PAVLI APOSTOLI AD TITVM, Collectore Claud. Espenc. Parisiensi Theologo,

ARGVMENTVM.



RIMVM quidem ex Hieronymo discendum, non defuisse olim iam, qui Apostolorum epistolas, non Apostolorum Christi fecerunt esse, sed proprias: verùm adeò fide indignos, vt mirum sit, quo sibi modo Christianorum nomen auderet vindicare: Martionem loquor & Basilidem, qui & de cæteris epistolis nihil non suo dogmati contrarium eraserunt, & nonnullas integras repudiauerunt, ad Timotheum vtramq;, & quam nunc conamur exponere, ad Titũ. Nec vlla quidem causa reddita, cur eas Pauli esse non putauerint, sed hæretica scilicet autoritate pronunciãtes, Illa eius est, hæc non est, sed eadem autoritate pro veritate refellendi, qua nõ erubescunt falsa simulare. Et meritò miratur Tertullianus ad finem librorum aduersus horum priorem, cùm hic, literas ad vnum ho

Apostolicas Epistolas vt hæretici tractarunt.

minem. 1. Philemonem factas receperit, quid has de statu Ecclesiastico compositas recusarit, affectasse scilicet etiam epistolarum numerum interpolare, Quin hanc eorum eisque hac in parte consentientium assertionem paruipendens Tatianus Eucratica, aliquot licet alias repudiet, hanc vel maximè Apostoli esse pronunciat. Scribit ergo Apostolus ad Titum discipulum suum in Christo filium, Cretæ ad Ecclesias instruendas relictũ, è Nicopoli in Actiaco litore sita, & præcipit vt eò ad ipsum venturus, è duobus in Cretam appulsis, alterũ, vel Arteman vel Tychicum ibidem relinquat. Et Titi quidem cùm aliàs & apud alios commeminit, tum in posteriore ad Corinthios multis eum ornauit laudibus, ca. 2. Non habui, ait, requiẽ spiritui meo, quod non inuenerim Titum Fratrẽ meũ. 7. sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in aduentu Titi: Consolati quidem sumus, in consolatione autem nostra abundantius gauisi super gaudio Titi, quia re ectus est spiritus eius ab omnibus vobis, & si quid apud eum de vobis gloriatus sum, non sum confusus, sed sicut omnia vobis in veritate locuti sumus, sic gloriatio, quæ fuit ad Titum, nostra, veritas facta est. 8. Sic vt rogaremus Titum, vt quo cœpit modo, ita perficiat gratiam quoque in vobis, istam. Et gratias ago Deo, qui dedit eandem pro vobis solicitudinem in corde Titi: quoniam exhortationem quidem suscepit, sed cùm solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Et, pro Tito, qui est socius meus, & in vobis adiutor, & 12. Rogaui Titum, Num Titus vos circumuenit? Nonne eodem spiritu ambulauimus? nonne iisdem vestigiis?. Vt in vnis iisdémque literis

Titi in Epistolis Pauli laus & mentio.

de vno eodẽque filiolo nescit desinere! Et. 2. ad Tim 4. in multis se relinquentibus hypocritis. Hunc non com numerat, sed sua eum volũtate atque mißione abiisse in Dalmatiam innuit. Quod autem scribit ad Gal. 2. Ascendi Hierosolymam assumpto simul etiam Tito. Nec Titus qui mecum erat (comes meus) cùm gentilis esset, compulsus est circuncidi, nec quidem propter subintroductos (subreptitios, obiter ingressos, emissarios) fratres, qui subintroierant (obrepserant, sese insinuauerant) explorare (perscrutari ad speculandum) nostram, quam in Christo Iesu habemus, libertatem, vt nos ad seruitutem redigerent, aut adigerent. Quibus neque ad horam (nec ad tempus aut momentum quidem) subiectione (parendo) ceßimus, vt veritas Euangelij apud nos permaneret. Cùm è contrario Timotheum alterum discipulum secum etiam assumptum circunciderit, propter Iudæos, qui eum vtique sciebant matre quidem Iudæa fideli, sed patre gentili genitum, Act. 16. Huius partim discriminis occasione mota lis est inter nobile par illud amicorum, sed hîc acerrimorum antagonistarum, inter, Hieronymum dico, & Augustinum, ob legalia in Christi morte mortua, sepulta, abrogata, & Pauli tamen exemplo in Timotheo quidem ea obseruantis, seruanda aut seruatu licita videri, in Tito autem eadem minimè seruantis, nec obseruanda, nec obseruatu licita. Et hoc quidem sui loci esset atque indigeret, hic tantùm adnotabimus, quæ è re sunt huius in Paulo erga discipulos discriminis atque dispensationis. Exclamat itaque Hieronymus, Epistola inter Augustinianas, X I. O Beate Paule, qui in Petro simulationem repre-

Titus cur à Paulo non fuit circuncisus.

De hac Pauli dispensatione conuenit Latinis & Græcis, nominatim Chrysostomo, eo loco

Timotheus cur à Paulo circuncisus.

Legalia post Christi mortẽ quatenus seruata, nec tamen seruanda.

Petr⁹ à Paulo reprehensus.

henderas, qua se subtraxisset à Gentibus, Iudæorum qui à Iacobo venerant, metu, Cur Timotheum patris Gentilis filium, vtique gentilem (nec enim Iudæus erat, qui circuncisus non erat) contra sententiam tuam circuncidi coëgisti? Respondebis: propter eorum locorum Iudæos. Qui igitur tibi ignoscis in circuncisione discipuli venientis ex Gentibus, ignosce & Petro præcessori tuo, quòd aliqua fecerit metu fidelium Iudæorum. Respondet Augustinus, Epistola XIX. Paulum legitima illa celebrantem, cùm aliàs, tum vel quando Timotheum circuncidit, non ad hoc id egisse, vt putari videretur per ea etiam sacramenta Christianam salutem dari, sed ne quæ prioribus, vt congruebat, temporibus in vmbris rerum futurarũ Deus fieri iusserat, tanquam Idololatriam Gentilium damnare crederetur. Hunc igitur circuncidit, ne Iudæis, maximè cognationi eius maternæ, sic viderentur qui ex Gentibus in Christum crediderant, detestari circuncisionem, sicut Idololatriam: cùm illam Deus fieri præceperit, hanc Satanas persuaserit. At Titum propterea non circuncidit, ne occasionem eis daret, qui sine circuncisione dicebant credentes saluos esse non posse, idque Paulum etiam sentire, ad Gentium deceptionem iactarent. Quod satis Galatis significat, vbi apparet quid eos captare intellexerit, vt non faceret in Tito, quod in Timotheo fecerat; & quod ea libertate facere poterat, qua illa sacramenta ostenderat, nec tanquam necessaria appetenda, nec tanquam sacrilega damnanda. Meminit alterius contra Faustum libr. 19. cap. 17. sic, Prioris populi sacramenta per Iesum impleta, ideóque sublata & mutata, primos

Sacramentis veteribus salus post mortem Christi non datur.

Circuncisio à Deo olim præcepta.

Sacramenta vetera per Ie-

Christianos, ex Iudæis, donec contra tam diuturnam consuetudinem paulatim persuaderentur, & ad intellectum perfectum perducerentur, & quia sic natos & institutos, siuerunt Apostoli patrio ritu traditionéque seruare, & quibus hoc opus erat, vt congruerent eorum tarditati moribúsque, monuerunt, Inde Timotheum Iudæa matre, Græco patre natum, propter eos ad quos tales cum eo venerat, circuncidit Apostolus, & inter eos morem huiusmodi custodiuit, non simulatione fallaci, sed consilio prudenti: nec enim ita natis & institutis noxia erant, quamuis iam significandis futuris non necessaria, &c. vt si his qui ex circuncisione venerant, talibúsque sacramentis adhuc dediti erant, vltrò vellent, sicut Timotheus, conferre congruentiam, non prohiberentur: sin in huiusmodi legis operibus putarent suam spem salutémque contineri, vt à certa pernicie vetarentur, sic nimirùm circuncisis, vt volebant à quibusdam deprauatis persuasi, quòd sine his salui esse non possent, Christo nihil profuturo. Gal. 5. Vtriusque ad Consentium de mendacio cap. 5. sic idem meminit. Non vt quidam putant, simulatione Paulus Timotheum circuncidit, aut alia ritu Iudaico sacramenta celebrauit, sed ex illa libertate sententiæ suæ, qua prædicauit circuncisionem nec Gentibus prodesse, nec Iudæis obesse. Vnde nec illos ad horum consuetudinem astringendos, nec hos à paterna deterrendos: potestatem autem haberent in sua quisque manendi, non necessitatem, nec Iudæus, si vellet, vbi nullum perturbaret, recedere à Iudaicis obseruationibus, ab Apostolo

[Margin notes: *sum impleta & sublata.* — Legalia post Christũ aliquandiu non noxia, sed nunquam necessaria. — LegaliaPaulus liberè seruauit, non simulatoriè. — Legaliũ seruandorũ alia Iudæis, alia Græcis ratio]

prohiberetur, qui consilium in eis permanendi ad hoc dedit, ne superfluis perturbati, ad alia saluti necessaria non venirent. Nec magis ab eo prohiberetur, si quisquam vellet gentilium ideo circuncidi, vt sic ostenderet non id se detestari, quasi noxium, sed indifferenter se habere, tanquam signaculum, cuius vtilitas cum tempore præteriisset. Non enim si salus iam ex eo nulla, etiam exitium inde metuendum. Ideóque Timotheus in præputio quidem vocatus, quia matre tamen Iudæa ortus, & ostendere cognatis suis debebat ad eos lucrifaciendos, non hoc in disciplina Christiana didicisse, veteris legis abominari sacramenta, circuncisus est ab Apostolo, vt hoc modo Iudæis demonstraret, non ideo ea Gentes, quia mala, & perniciosè à patribus obseruata, non suscipere, sed quia post aduentum tanti sacramenti, quod per tam longa tempora tota illa vetus scriptura propheticis figurationibus parturiuerat, saluti iam non necessaria. Nam & Titum item circuncideret, cùm hoc vrgerent Iudæi, nisi hoc subintroducti falsi fratres ideo fieri vellent, vt haberent quod de ipso disseminarent, tanquam eorum cessisset veritati, qui spem salutis Euangelicæ in circuncisione carnis & eiusmodi obseruationibus esse prædicarent, & sine his nemini Christum prodesse contenderent, cùm nihil contrà eis prodesset, qui eo animo circunciderentur, vt ibi esse salutem putarent. Ex hac ergo libertate, Paulus paternas obseruationes, cùm alias, tum circuncisionem, in Timotheo seruauit, in Tito omisit, hoc vnum cauens & prædicans, ne sine his (vel cum his) salus Christiana nulla putaretur,

qui cùm earum hostis ideo putaretur, quòd eas Gentibus nollet imponere, easdem contrà non aspernatus more patrio celebrare, satis ostendit, hoc in eis Christo aduueniente remansisse, vt hæ nec Gentibus essent necessariæ, nec Iudæis perniciosæ, nec iam cuiquam homini salutares. Atque hæc occasione eorũ quæ Paulus de Tito & Timotheo dißimiliter scripserat. Titum ergo discipulum, comitem, coadiutorem suum, fratris filiique loco habitum, Paulus insulæ nobilißimæ & centvrbiæ, ob eximias animi dotes præfecerat, Nam

Legalia Iudæis nõ noxia Græcis nõ necessaria, nemini saluta- ria.

Creta centvrbia.

Creta Iouis magni medio iacet insula Ponto,
Centũ habitãt vrbes magnas, ditißima regna.

3. Æneid.

Medio autem ponto, non tantùm quia longè à continenti, citante illic Salustium Seruio, sed poeta ibidem altiùs intuẽte, quòd cùm apud Cosmographos legimus quæ in quo mari insula sit, de hac dubitent in quo sit, quòd parte Lybicum, parte Ionium, parte Ægyptiũ, parte Achaicum respicit. In medio ergo ponto, acsi dici posset, in medio pontorum, quod latinitas non recipit, &c. Illinc igitur abiens Apostolus Titum Archiepiscopum consecrarat. Atque hoc sit eorum quæ hîc facundi fœcundíque Græci præfantur. 1. nẽpè quòd virum eximium, & inter eos qui cum Apostolo versabantur, probatißimum, Insulæ illi maris Mediterranei (Sicilia excepta) maximæ præfecerat, & ordinauerat, quàm multos illic necesse futurum erat, inferiores Episcopos ordinaturum, eis præfuturum, eósque sibi à suffragiis, siue quos vocant Suffraganeos, habiturum. Hoc enim esse opinor quod iudicaturum Theophylactus dicit, Non verò vt tantò pòst, non in maxi-

Insula quæ in quo mari.

I.

Suffraganei qui olim, qui pòst.

nis rebus abusu, in seriis lusu, ac etiam risu nullo, praeesse dicuntur prouinciæ quidã, quæ vel nulla prorsus extat, vel geri certè obtinerique omnino nequeat. Reliquerat ergo Titum Paulus, quæ ibi pietatis iecerat fundamenta, confirmaturum, quæque apud Cretenses cœperat, absoluturum, & si qua forte deerant, suppleturum: reliquum enim quod erat superædificandum, ei credidisse, de quibuscunque opportunum videretur, eos instructuro.

II *retur, eos instructuro.* II. *quod ex hoc primo sequitur, non solum iis qui in continenti, sed etiam qui in insulis habitabat, diuinum Apostolum diuinam & salutarem doctrinam attulisse, & insulanos diuinæ cognitionis luce illuminasse. O virum plus quouis Vlysse polytropum. Et,* Qui mores hominum multorum vidit & vrbes. *Ter, aiebat, naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui. In itineribus sæpe, periculis fluminum, & latronum, ex genere, ex gentibus, in ciuitate, in solitudine, in mari. 2. Cor. 11. & in falsis etiam fratribus, de quibus hic quoque notandum.*

Paulus in insulis, nedum in continenti euãgelizat.

III *dum.* III. *Illuc, hoc est, ad Cretenses à Paulo conuersos etiam tum penetrauisse pseudapostolos, qui ex Iudæis crediderant, sed salutarem prædicationem corrumpere, Iudaismum scilicet suum omnibus ingerentes, legisque prætextu populum seducere, & legales cæremonias in Christianismum reducere conabantur, quos vt fortiter reiiciat ac refutet, Titum adeò animat. Quos conuenit, inquiens, abarcere, infrænare, & vt Pacianus epistola 2. contra Nouatianum, nouè dixit indentari, pro, in quos oportet dentem infringi aut infigi.*

Pseudapostoli Iudaizantes.

IIII *tari, pro, in quos oportet dentem infringi aut infigi.* IIII. *Sumpta ex iis Iudaizantibus occasione, inuehitur in Iudæos, quorũ genus vniuersum, quòd vti con-*

Pauli zelus in Iudæos.

tumelia dignum respuit ac propè detestatur, nihil mirum: nec enim vt procax aut maledicus eos improbat, sed immenso Dei amore ac zelo id facit, perinde atque Christus tam multa indignabūdus Scribis atque Pharisæis exprobrabat, Matth. 23. Marc. 12. Luc. 11. 20. nō suo nomine, nec illorū adeò gratia, sed quòd alios perderent. Malos enim plerunque increpandos, non tam quia speremus hinc meliores fore, quàm quia multos corrumpunt, & inquinant. V. *apparet, rebus alioqui tranquillioribus scripsisse, cùm animo quietior esset, ac otio velut abundaret, priusquam in vinculis teneretur, & cùm adhuc extra metum consisteret, ac in libertate esset, nulla enim persecutionum aut afflictionum hîc mentio, vnde & hanc apparet prius fuisse conscriptam, eis quas ad Timotheum dedit, posteriore præsertim, quam proximè finem suum scripsit, alioqui illarum prioris hæc videri posset, epitome, ac velut repetitio, tam multa vtrique communia.* VI *quanquam vel ex huius breuitate, Titi quoque virtutem & præstantiam discamus licet, quòd huiusmodi vir verbis minimè multis opus habuerit, sed quadam veluti admonitione, siue vt paucis moneretur.* VII. *Hîc, vt vbique, fidem in Christum prædicat, non vt rem recentem & nuperam, sed à seculo paratam, & à Deo olim iam promissam ac annunciatam, Sic enim præfatur.* VIII. *Et, quæ primarium fidei est obiectum, gratiam, quæ saluti nobis fuit, frequenter inculcat, satis eam ratus ad consolationem fore, & ad studium bonorum operum valituram. Qui enim apud sese reputauerit, quis & qualis anteà fuerit, quibus & qualibus*

V *Epistola hæc prius eis quæ ad Timotheum, scripta.*

VI *Breuitas.*

VII *Fides res non recens.*

VIII *Gratia Dei præcipuum fidei obiectū. Operum bonorum studium.*

posteà donatus beneficiis, quanta gratia, quámque im merẽs, dignatus, dabit operam omnino ne malis atque ingratis operibus benefactorem tam de se bene meritũ
IX. ad iram prouocet, vnde & in bonorum operum disciplina hanc, vt & Timotheanam concludit. IX. præscriptis Tito, vt Timotheo, personarum, ætatũ, & conditionum officiis, breuiter, qualem Christianum oporteat esse Clerum ac populum, quales Ecclesiasticos, vt loquimur, & laicos, episcopos atque presbyteros, vtri-

Ecclesiæ status quales esse conuenit.

X. usque sexus senes & iuuenes. X. addit, ne quisquam Christianæ religionis prætextu, seruus hero, famulus Domino, aut alius quiuis principibus resistat aut magistratibus, quamuis essent à Christi tum fide alieni, quin potiùs eos leniter ferendos, si quãdo fortè, Deo volente, & ij resipiscant. Suo ergo .i. publico eis fungen-

Principum & magistratuum autoritas.

XI. tibus officio, ad aras vsque parendum. XI. in Baptismo Sacramentorum ianua, mysteriorum nostrorum vim, fructum, & efficaciam tradit, salutarem, spirituale͂, ac planè diuinam. Sunt enim diuina Sacramenta, sed nouæ maximè legis, non signa tantùm vana, vacua, euanida, & veritatis rerum signatarum expertia: sed diuini verbi velut appẽdices, diuinæ gratiæ sigilla aut signacula, Dei erga nos donorum organa, instrumenta, & veluti vehicula, eadem quæ significant & figurant, præsenter (vt ita loquar) habentia, & ad ea venientibus offerentia, exhibentia, communicantia. Verbi gratia: Baptismũ (de quo hîc Paulus) accipis, Quare? vt corpus laues? Eadem opera, ac minori etiam negotio, ad thermas proficisceceris aut Sequanam. Ad baptismum igitur accedis, vt spiritu renoueris, quod hîc ait Apostolus, & regenereris. Est ergo baptismus sa-

Baptismi vis & sacramẽtorum nouæ legis.

crum mysterium, spiritualis renouationis & regenerationis non solùm significatorium, sed etiam exhibitorium, applicatorium, & suo etiam modo effectoriũ, idque non quà aqua, aut quia aqua sit, sed quia Domini Dei verbo, cui annexa est, suo nos renouantis & regenerantis, aqua. Atque hic schola nostra Theologica cum sacris scripturis & scriptoribus probè conuenire, clare, opinor, contra modernos nouatores, obtinui in ea, qua hac de re est, Digreßione. XII. *hæreticos semel & iterum monitos, atque iterum correptos, incorrigibiles, prorsus euitandos. Quin etiam hinc eos vel semel monitos, nec sæpe monendos, quòd Christiani minùs sint, præscribit Tertullianus: Si enim, ait, hæretici sunt, Christiani esse non possunt, non à Christo habendo, quod de sua electione sectati hæreticorum nomine admittunt, ita non Christiani, &c. Quos ideò Cham medius Noë filius, tanquam se ab vtroque discernens, & inter vtrunque remanens, significauit, quasi sic nec in primitiis Israelitarum, nec in plenitudine Gentium, Augustino de Ciuitate lib.16.cap.2. Et à seipsis damnatos Cyprianus ad Magnum lib.1. Epist.6. sic exponit, Quisquis de collectis foras eiecerit. i. Si quisquam in Ecclesia gratiam cõsecutus, recesserit, & ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum. i. ipsum sibi, quòd pereat, imputaturũ, quod Apostolus explanat, docens & præcipiens hæreticum vitandum esse, vt peruersum & peccatorem, & à semetipso damnatum, hic est enim, qui reus sibi erit, non ab Episcopo eiectus, sed sponte de Ecclesia profugus, & hæretica præsumptione à semetipso damnatus. Augustinus Cresconiũ grammaticum ridet, hæresim & schisma his diffini-*

XII. Hæretici incorrigibiles vitandi.

Hæretici nõ sunt Christiani.

Cham hæreticorũ typus.

Hæresis & schismatis diffinitio & distinctio. tionibus discernentem, quòd illa quidem diuersa sequentium secta sit: hoc vero eadem sequentium separatio, & errare ait eum, qui quod schisma est, hæresim vocaret. Lib. 2. cap. 3. & 7. magis eam distinctionem apprebat, qua dicitur schisma, esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diuersitate dissensio. Nec enim scissio vel schisma fieri potest, nisi diuersum aliquid sequantur, qui faciunt: Hæresis autem, schisma inueteratum. Et 8. Proinde hæreticos esse, qui in schismate remanerent, qui de Ecclesia, quæ Christi corpus est, diuersum sequuntur, &c. vt hæreticus ab

Hæreticus quis dicatur. αἱρέομαι, eligo dicatur, quia sequi mauult quod suo ipse sensu elegit, quàm quod per scripturas ECCLESIÆ tradidit. Schismaticus, à σχίζειν. i. secando, qui inter bene coniunctos, vnius quippè corporis membra,

Schismatic⁹ quis dicatur. discerdiam serit. Hactenus Erasmus non malè, lib. 2. Ecclesiast. Reliqua videro in litera & hæreseologia.

XIII. XIII. quòd eis quidem quod malè agerent, & vti

Episcopalis dignitas vt contra malos gerenda. desisterent, denunciabat, sed quòd eos à cœptis semel non cessantes humiliter nimis pateretur, non pontificali iure & imperio coerceret atque expelleret, & ita pontificale officium nimis simpliciter, nec prout pontificia dignitas exigit, exerceret, ac proinde discipulo ex nimia cùm simplicitate, tum humilitate quàm par erat, patientiori, præceptor scribat atque præscribat de officio Pontificio imperiosè & potestatiuè gerendo, quódque simplicem quidem esse bonum sit, nimia verò Episcopi humilitas Ecclesiæ regimini mala atque incommoda, magis ideo cum imperio & potestate doceat, arguat, exhortetur, & inemendabiles ab Ecclesia depellat, vt vel sic huius exemplo Episcopos

plus æquo simplices animosiores reddat: Quæ sunt glossæ interlinearis vndecunque sumptæ, & Brunonis eam, opinor, secuti, vera quidem, sed vereor, vt ne ad sui magis quàm Apostolici temporis Episcopos hi respexerint, præterquam quòd de hac nimia discipuli tum humilitate, id est, animi deiectione, tum simplicitate, id est, insipientia, tum in hæreticis neque coërcendis, neque abarcendis patientia, id est, cessatione ac neglectu, nulla in tota epistola præceptoris, tot aliàs eum locis commendantis, mentio, nedum querimonia. Et agnoscimus interim Episcopo non minus necessariam paternam seueritatem, quàm maternam pietatem, vt sit & asper superbis, & suauis modestis, & nec timoris angulum, nec elationis habeat supercilium. Vrat ignis instar, & luceat, hoc est, prædicationis gladio, ce[illegible]nito eloquio, increpatione mordaci, & com[illegible]tione metuenda vrat, & blandis, fouendo, & suauia, sed æterna promittendo alluceat. Et pontificis enim baculus ab inferiori pungit, & in summo ad anteriora extenditur in se rediens, quia Ecclesiæ doctor debet & pungere. i. peccantes asperè redarguere, & correctos ad superiora dirigere. Sic tamen vt ad propriam conscientiam sui consideratione reuertatur, si fortè in se habeat quæ aliis annunciat, ne cùm aliis prædicauerit, reprobus fiat. 1. ad Corinth. 9. Verùm præfari ac etiam concionari desino. Episcopo necessaria cum seueritate lenitas. Pontificalis baculus.

Porrò de Tito nostro, ad quem hæc scribitur Epistola, hæc colligit aut etiam conuicit Theophilus Lebeus in Onomastico Theologico, ex superioribus nimirùm Pauli testimoniis. Titi vita & obitus.

Natus parentibus ethnicis, ideóque non circuncisus, amplexus Euangelium Christi, comes fuit profectionum Apostoli, & συνεργος ministerij eius, quicum & Barnaba interfuisse Concilio Apostolorum, Act. 15. credere est. Pòst à Paulo in Creta relictus, Ecclesias & Pastores oppidatim istic instituit, istinc euocatus ab Apostolo, vt ad se veniret Nicopolim, non Macedoniæ, sed Epiri vrbem (sunt enim eius nominis plures) in quam peragrata Macedonia statuerat Apostolus deflectere, atque istic hybernare, sed mutato, vt verisimile est, consilio, eidem mãdasse, vt ad se Troadem veniret, quem vbi non inuenisset, in Macedoniam transiisse, sua interim sponte Corinthum Titus nauigauerat, vbi explorato eius Ecclesiæ in Paulum animo, profectus est in Macedoniam. Cuius aduẽtu Paulus tum ibi versans, mirificè recreatus est. Eo tempore II. ad Corinthios scripsit, eámque per Titum & Luca[illegible] Corinthum misit, vt quidẽ habet eius Epistolæ s[illegible]ptio: posteà Paulo Romæ captiuo aliquandiu adfuit. Inde in Dalmatiam profectus, à Paulo vtique eò missus, & ibi finaliter eum fuisse Episcopum dicit Aquinas, sed testem eius neminem laudat. Constantius est in historiis, & Sanctorum, (vt vocant) Legendis, eum in Cretam rediisse, ibíque mortuum. Et nihil admodũ prætereà de viro tam licet eximio. Sic Eusebius lib. 3. cap. 4. histor. Ecclesiasticæ, quem Nicephorus sequitur lib. 3. cap. 1. Qui primi Apostolorum fuerint successores. Titus, ait, ordinãdis apud Cretam Ecclesiis à Paulo præficitur, siue primus Cretensium Ecclesiarum episcopatum sortitus scribitur, & prætereà nihil. Dorothei de LXX. discipulis Synopsis, Cretæ ipsi & circum iacen-

Titus Dalmatiæ episcopus.

Titus primus Cretensium episcopus.

iacentibus insulis Euangelium prædicauisse, ibi mortuum & cum gloria sepultum. Nec aliud in vita scriptorum Ecclesiasticorum siue Hieronymus, siue Sophronius, de vita item & morte sanctorum, qui Deo placuerunt; Isidorus cap. 88. Titus Pauli discipulus, & in baptismo filius, natione Græcus, & ex gentibus solus ab eo post Euangelium circuncisus (id autē antea negatum est) quem ad instruendas Cretæ Ecclesias reliquit, ibi in pace defunctus est & sepultus. In Martyrologio Bedæ, Isuardi, &c. Pridie nonas Ianuarij. Natale B. Titi Apostolorū discipuli, qui ordinatus à Paulo Cretensium Episcopus, cui etiam scripsit idem Epistolam, omni Dei Ecclesiæ vtilißimam, post prædicationis demùm officium fidelißimè consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, vbi fuerat dignus atque diuinitus minister constitutus. His non contentus Petrus de Natalibus Equilinus Episcopus, plura addens, quem sequatur non addidit, ex Zena (si Deo placet) legisperito, cuius in hac mentio. cap. 3. qui nostri huius vitam scripserit: Ea vtinam extaret. locus est VIII. Calend. Septemb. siue lib. 7. cap. 108. Catalogi Sanctorum. Meminit alterius Titi Iusti hominis religiosi & Deum colentis, Lucas, Act. 18. in cuius domum Synagogæ coniunctā Corinthi Paulus diuerterit. Floruerunt aliquantò pòst & alij cognomines, Hieronymo & aliis scriptoribus, Titus Bostrinus Episcopus sub Iuliano & Iouiano principibus. Quartus item Titus Nicephoro Byzantij Episcopus, ordine XX. Nec illud omiserimus ex Volaterrano, lib. 20. & aliis, Titus quando prænomen, T. tantùm litera notabatur, quando nomen, totū scribitur, vt Titus princeps. Sequitur digreßionum Index.

Titi plures.

Chrisostom⁹ eundem fortasse fuisse arbitratur.

INDEX DIGRESSIONVM.

RERVM AC VERBORVM IN SVperioribus commentariis & digreſsionibus D. Claudij Eſpēcæi ad Sancti Pauli Apoſtoli ad Titum epiſtolam, memorabilium, ſyllabus, per M. Guidonem Gauſarum eius Amanuenſem collectus.

A

FINIS.

DECASTICHON IN DIGRESsiones D. Claudij Espencæi in commentariis suis ad epistolam B. Pauli ad Titum.

Offendet fortassè alios digressio crebra,
  Qua scripta adspergis, condecorásque tua:
At me tam recreat, quàm verno tempore campos
  Seminibus grauidos dulce liquens pluuia:
Nec minus est scripti variantis grata venustas
  Discendi cupidis auribus atque animis.
Quàm iam longa viro ingratis ieiunia passo,
  Quæ struitur variis mensa onerata cibis.
Ergo quicquid adhuc scripturus es, optime Claudi,
  Ne parcas variis : nam magis illa iuuant.

L. Cyaneus faciebat.

Errata sic repone,

Pag.33.*pralaturis*,*pralecturis*
40.*tunc*,*nunc*
48.*seruari*,*seruaris*.
69.*libertatem*,*liberalitatem*.
71.*corrigere*,*colligere*.
132 Emineat,*enumerat*.
141.*nationalis*,*rationalis*.
167.*abbenta*,*ascribenda*.
229.*vxoribus*,*deest*,*viri*.
244.*canes*,*cauos*.
306.*exhibe*,*cohibe*.
318.*quale caput*,*deest*,*viro*.
321.*difficilibus*,*adde*,*parendum*.
345.*fruenda*,*fouenda*.
374 *mulieribus*,*muliebribus*,
379.*belluis*,*bellis*.
423.*salutem*,*salutarem*.
424.*nostra faceret*,*missa faceret*.
459.(*ait*)*adde*,Hieronymus.
471.*vinctum quoque ad*,*quoque sed*
Ead.pag.*docuerat*,*deuenerat*.
498.*superueniet*,*supereminet*.
329.*paucis*,*pauci*.
537.*epistola*.47.147.
517.*eisque*,*eique*.
531.*macedo in*,*macedoni*.
627.*porro te*,&c.
632.Quid quod est hoc?quid est hoc?
645.*baptisma*,*baptismata*.
650.*alibi dictum*,*adde*,*corripiendos*.
661.*aliquatum*,*eliquatam*.
667.*mart*.*marcioni*.
684.*negari*,*non negari*.
709.*communicanda*,*deest*,*sacramenta*.
721.*vt priusquam*,*tolle*,*vt*.
744.Theodocium,Theodorum.
748.*exit habnitus*,*exitus habuit*.

D. PAVLI APOSTOLI EPISTOLA AD TITVM.

CAPVT PRIMVM.

PAVLVS SERVVS DEI, Apostolus autem Iesu Christi, secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ secundum pietatem est, in spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora secularia: manifestauit autem temporibus suis Verbum in prædicatione, quæ credita est mihi secundum præceptū Saluatoris nostri Dei, Tito dilecto filio secundum communem fidem, gratia & pax à Deo patre, & Christo Iesu Saluatore nostro.

In D. Pauli Apostoli ad Titum epistolam Commētarius, collectore Claudio Espencæo, Theologo Parisiensi.



REVIS quidem epistola, sed nihilo fructuosa minus, diuiditur in tres partes. Salutationē, epistolarem narrationem siue prosecutionem, & conclusionem, suo quanque loco adnotandas. Salutantem autem personam tripliciter autor notifi-

cat,nomine,conditione siue religione, & autoritate. Suo ergo more sic incipit, *Paulus*, cuius nominis rationem, vel rationes potius, initio prioris ad Timotheum reddidimus. Secunda nota est, *Seruus Dei*, non misera peccati seruitute, sic enim Dei seruus non esset: ne veteris quidem legis, sic enim Christi in Euangelio non esset minister. Hæc autem Pauli seruitus nobilis est, & dilectionis, ex amore, quæ Dei sequitur filiationem, non timoris, siue ex timore, quę contra eam condiuiditur, Ioan. 14. Rom. 8. Gal. 4. 2. Tim. 1. 1. Ioan. 4. Hac autem filiali seruitute non Deo tantùm seruimus, & ei clamamus Abba Pater, sed & nobis inuicem seruire præcipimur, Gal. 5. Per charitatem seruite inuicem. quáque noster hic, cùm esset liber ex omnibus, omnium se seruum fecit, 1. Cor. 9. Et alibi, Vester (ait) seruus propter Christum, siue, nos seruos vestros per Iesum, 2. Cor. 4. Hanc seruitutem habuerunt & veteres, Ego (inquit Dauid) ô Domine, seruus tuus, Psal. 115. Moyses toties Dei famulus appellatus, & in omni Dei domo fidelissimus famulus, Numer. 12. Heb. 3. Deut. 34. mortuus est famulus Dei, Ios. 1. Famulus meus Moyses: & Beata ad Angelũ, Ecce Ancilla Domini, Luc. 1. quam cum superioribus absit, vt spiritum seruitutis in timore, non in charitate habuisse credamus. Neque verò mirum sanctos quanlibet homines, Dei tamẽ seruos nobiliter appellari, cùm Pater loquatur ad Filium, magnũ est tibi vocari te παῖδά μου, Esa. 49. Licet enim Græca

Seruitus dilectionis, nobilis.

Seruitus filialis.

Seruitus mutua.

Moyses seruus Dei.

Maria ancilla Domini.

vox ſeruum ſignificet & puerum, at in Hebręo quæſiuit horũ obſeruator Hieronymus, & inuenit ſeruũ eſſe ſcriptum, non עֶבֶד puerum, id eſt, *Abdi.* Vnde Abdias Propheta, ſeruus Domini interpretatur, nomen ex famulatu Dei adeptus. Si quem ergo mouet vniuerſi Dominum, Dei dici ſeruum, non mouebitur ab eo Apoſtolis dici, Qui voluerit inter vos eſſe maior, ſeruus ſit omniũ, Matt.20. Marc.10. Forma igitur ſerui aſſumpta, Phil.2. quæ ſerui ſunt, fecit, miniſtrare venit, & paternæ volũtati cũ ſeruis ipſe ſuis ſeruiuit. Sed me lõgius euehit horũ obſeruator Hierony. Sequitur officij in Paulo dignitas, *Apoſtolus autẽ Ieſu Chriſti*, Obſeruatidẽ cum Græcis Paulũ ſe indifferenter & nullo diſcrimine, interdum quidem Dei ſeruum, & Chriſti Apoſtolum inſcribere, aliàs Chriſti ſeruum, Rom.1. Phil.1. & eiuſdem paſſim Apoſtolum, commune nimirum Patris & Filij dominium agnoſcentem, & nullum inter eos diſcrimẽ. Si enim Pater & Filius vnũ ſunt, Ioa.10. & qui credit in Filiũ, credit in patrẽ, 14. Pauli quoq; & noſtra omniũ ſeruitus, indiſcriminatim vel ad Patrẽ, vel ad Filiũ referẽda eſt. Nec enim ſic Dei ſeruus & Chriſti Apoſtolus, quin & Apoſtolus ſit Dei, & ſeruus Chriſti, ſed vt innuat quod per Chriſtum Deus Pater in miniſterium Apoſtolatus Paulum direxerit. Sed quod idem alicubi tribuit imperitiæ ſermonis Græci: quod *autem* hîc ſubiũgitur, cũ non præceſſerit *quidem*, quaſi ſic nuſquam apud Græcos

Abdias propheta vnde dictus.

Chriſti apoſtolus & ſeruus, idem & Dei Apoſtolus & ſeru⁹.

reperiatur, apud eos contrà ex Grammaticis Erasmus annotat ἢ frequenter pro copulatiuâ coniunctione καὶ poni, quod hoc loco factum apparet. Tale autẽ hoc ei videtur, quale siquis dicat, Præfectus prætorio Augusti Cæsaris, magister exercitus Tiberij Imperatoris: vt enim seculi iudices, quò nobiliores videãtur, ex regibus quib⁹ seruiũt, & dignitate qua intumescũt, vocabula sortiuntur, sic Paulus grandem inter Christianos sibi dignitatem vindicãs, Apostolorũ se Christi titulo prænotat, vt ex ipsa nominis autoritate lecturos terreat, indicãs omnes qui Christo credunt, debere sibi Christi legato esse subiectos. nec ab hoc abludit Bruno, Paulum more suo salutationem præmittentem, dum se serui instar simplicem humilémque agnoscit, bonam quidem esse simplicitatem innuere, ita tamen vt qui Apostolicę sublimitatis imperium exigit, agat & singulos coërceat: Tu quoque exemplo meo sic esto simplex, vt pontificale officium nimia ne impediat humilitas.

Apostolorũ Christi autoritas.

Discreuit meritò sanè Apostolatum à seruitute Christiana: nec enim omnis qui Dei seruus, hoc est, fidelis Christianus, idem statim Apostolus. Nam Christus super omnes fideles ex discipulis suis selectos duodecim Apostolos nominauit, Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. & primæ in Ecclesia sua dignitatis Apostolos, Eph. 4. primùm quidẽ Apostolos. Et nos (in sua opinor, & Apostolorum persona inquit alibi) primitias spiritus habemus, Rom. 8. Describitur ergò

Apostolatus dignitas.

Apostolus ab autore, à quo electus sit: Non ab hominibus (ait) neque per hominem, sed per Iesum Christum, Gal. 1. Quémque solum & scire se agnoscebat, 1. Cor. 2. & annunciabat, 2. Cor. 4. cuius & legatione fungebatur, 2. Cor. 5. Eph. 6. & autoritate nitebatur, in eiusdem Domini virtute Satanæ tradens, 1. Cor. 5. sed & in persona Christi donans, 2. Cor. 2. id est, vt vicarius, & eius vice cõdonans. Sequitur, *Secundũ fidem electorum Dei*: Nec hîc videt Erasmus cur rursus impingat inscitiam Grecanicã Hieronymus, quasi Paulus Hebræus ex Hebręis profundos sensus græco sermone nõ explicet, in verba vix promat, nisi fortè quia electos Dei, vt anteà seruum Dei. Erat Paulus Dei seruus: ad hęc enim superiora refert, quod intulit, nõ iuxta Mosaïcam legem, sed iuxta fidẽ eorum, qui non tantùm vocati sunt, sed & electi, vel secundum fidem, qua credentes electi sunt, quam infundit Deus, qua credẽtes facit, quos & in pręscientia elegit. Ego (inquit) elegi vos, nón vos me, Ioan. 15. Sequor ego (ait Paulus) & prædico fidem, quam tenuerunt, quáque seruati sunt electi, quíque Dei: Sic Latini. Nec minus multipliciter Græci, vt dicat se Paulus factum Christi esse Apostolum, non ob sua merita, neç ex rectè factis, nec ex laboribus ac sudoribus hãc cepisse dignitatem & autoritatem; sed totum eius, qui ei hæc crediderit, beneficij esse, ac gratiæ munus: q. d. Non quòd dignus essem, vt electos docerem, vtque ij crederent, hanc accepi

Fides multiplex.

dignitatem. Philosophatur Aquinas, vt sua sunt aliis scientiis principia, sic in hac articuli fidei, eiusdem fundamenta, & substantia sperandarum rerum, Hebr. 11. innotescunt cuilibet fideli secundum lumen infusum: Et hoc pertinet ad quenlibet. Quæ autem sequitur, ad pastores & doctores, doctrinæ nimirum perfectio, *&* *agnitionem veritatis*: hęc verò duplex, perfecta in patria, cùm videbimus facie ad faciē, 1. Cor. 13. 1. Ioan. 3. & imperfecta, per fidem, non per speciem ambulantes, 2. Cor. 5. de qua Ioan. 8. Si permanseritis in Verbo meo, cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos. quod Euangelista testatur dictum esse credentibus quidem, sed veritatem nesciētibus, quam consequi possent, si in sermone Domini permanentes, liberi effecti, serui esse desinerent: Vnde hîc electorum magnam esse colligit diuersitatem Hieronymus, pro ratione sensuum, operum, sermonū, vt nō statim qui elect⁹ est, vel iuxta electionē, fidē possideat, vel iuxta fidē, habeat veritatis scientiā. Factus itaq; sum apostolus, vt electi & crederent, & veritatem diuinam agnoscerent: quasi totum hoc illis illorúmque saluti acceptum ferat, non meritis verò suis. Quod etiam alibi dicit, Omnia vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, 1. Cor. 3. Nam qui secus enarrant, quasi non totam Deo ascribat sui vocationem, nec vtcunque hoc sibi contigisse ac cōcreditum esse munus, quia crediderit & veritatem agnouerit: ideóque nec hoc aliis Deus

Agnitio veritatis duplex.

Electorum diuersitas.

crediderit, Græci statim corrigunt, & veram de Deo notitiam, Dei, prout est, gratiæ esse, non verò nostram agnoscunt. Cognoscam (ait noster) sicut cognitus sum, 1. Cor. 13. Et alibi, Si quomodo apprehendam, in quo & apprehensus sum à Christo, Phil. 3. Prius ergò agniti, sic agnouimus, & vocati, tunc demum obediuimus. Obserua primo loco fidem occurrere, ab hac deinde veritatis notitiam, non à ratiunculis emergere, Nisi credideritis, non intelligetis, Esa. 7. Et nos credimus, & cognouimus quòd tu es Christus, Ioan. 6. Cur autem ad anteriora iungit, *quæ secundum pietatem est*, quasi verò sit aliqua veritas non in pietate posita, ad cuius distinctionem hoc inferatur: Est planè, qualem magno hîc consensu Græci, Latinique exponunt, artium liberalium & illiberalium peritiã. Nam non rationem modò colendi agri, & rei rusticæ notitiam, aut ædium struendarum, sed & humaniores disciplinas adeò in sua quanque scientia veritatem habere, vt Grammatica rectè loquendi, Dialectica inter vera & falsa diiudicandi rationem profiteantur. Est & in philosophia seculari multiplex multarum veritatum cognitio, sed non iuxta pietatem seu Christianam religionem, & verum Dei cultũ, vt non dicã in scientiis humanitus inuentis tã multas esse falsitates admixtas, Quàm enim multa in Platone & Aristotele, verius licet aliis scripserint, falsa, absurda, impia? Est autẽ veræ pietatis & piæ veritatis scientia, nosse Dei legẽ,

Dei vera notitia, ex gratia est.

Fides prior quã notitia.

Veritas etiã quædam non in pietate posita.

Plato & Aristoteles non semper veridici.

intelligere Prophetas, Euāgelio credere, Apostolos non ignorare, quam multi habent, sed non statim & aliarum, de quibus meminimus, artium veritatem, aut notitiam. Iuxta veritatis ergò, sed Euangelicę, non verò vel philosophicæ, ac ne Mosaïcæ quidem, notionem. Paulus creatus est Apostolus. Ad discrimen enim Iudaïcarū cæremoniarum dixit veritatem; quòd eæ veritas ipsa nec olim quidem essent, nec tamen mendacium, sed typi & vmbræ. Vmbram enim habebat lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem, Heb. 10. quibus etiam cæremoniis pietatem opposuit, vt quæ cùm nunquam potuerint, ne sub lege quidem, iuxta conscientiam perfectos facere accedentes, atque seruientes, Hebr. 9. 10. multò minus sub Euāgelio satis supérque pręsertim vbique promulgato, pios imò non nisi impios, sui enim fiducia maximè & necessitatis opinione, imò potius errore, obseruatores, quales Iudæi mordicus eis hodiéque adhærentes, facere possunt. Sunt enim post Christi mortem, & Synagogā illi commortuam, atque cum honore cōsepultam legalia, vt egregiè inter præstantissimos doctores, Hieronymum & Augustinum disputatum est, non solùm mortua, sed etiam mortifera. Εὐσέβεια ergò, siue religio, siue pietas vertatur, ipsa est, inquit Iob, 28. Sapientia; cultus Deo tam vt creatori, quàm vti patri debitus, & describitur ex fine. *In spem*, siue cum vel sub spe, parum enim refert: *vita æterna*, hæc (ait) veritas,

Scientia veræ pietatis, quæ.

Cæremoniæ & vmbræ veteris legis.

Synagoga Christo commortua & consepulta.

Εὐσέβεια quid.

cuius cognitio iuxta pietatem est, ei qui se cognouerit, pręmium tribuit immortalitatis. Per fidem enim acceptam, & agnitam veritatem, speramus nos æterna consequi: veritatis autem absque pietate notitia delectat ad præsens, sed æternitatem non habet præmiorum. Satis quidem in se erat, ac vice mille retributionum, veritatem cognoscere, ab erroris laqueis liberari, hæc, inquam, nobis erant magnæ beneficentiæ loco: verùm non contentus enumeratis præsentis vitæ beneficiis, quibus nos Deus ornauit, addit & quæ in posterum bona daturus est, non Iudaïca illa, siue terrena. pergit enim in ea quam cepit, legis & gratiæ distantia, & collatione. Illi (aiebat) tunc electi Dei, nunc nos: hanc enim gratiam amiserunt, nos accepimus. Illi præsentia. Qui enim ea fecerit, inquit, viuet in eis, Leuit. 18. Ezech. 20. & repetit Paulus, Rom. 10. Gal. 3. Nos sempiternã mercedem expectamus, nec frustra, quia *quam promisit, qui nõ mẽtitur*, ὁ ἀψευδὴς Hieronymo & Augustino, locis paulò pòst citandis non mendax, Ambrosio verax *Deus*, non quia mentiri possit, & nolit in falsitatis verba prorumpere, sed quia pater sit veritatis, adeóque ipsa veritas, nedũ verax, nullum in se mendacium habens, iuxta illud, Fiat Deus verax vt & immortalis. Omnis autẽ homo mẽdax, Rom. 3. Psal. 115. non quòd non quidam alij sint & veritatis amatores, vt & immortales, sed & veritatem & immortalitatem diuina largitione consecuti. Solus autem Deus

Deus solus naturaliter verax. naturaliter vt immortalis,ita verus. Aliud autẽ hæc vel esse, vel per semetipsum habere, aliud in potestate donantis quod habeas esse. Sic obiter Hieronymus. Si ergo verax est,& mentiri nequit,vt quem impossibile mẽtiri sit, Heb.6. vtique complebit quæ promisit,nec aliud exhibebit,iustis scilicet & iniustis,quãlibet hoc hominibus durum videatur: Non est enim Deus quasi homo vt mẽtiatur,Numer.23.& Psal.88. *Si pro non.* Semel iuraui in sancto meo,si,id est,nequaquã Dauid mentiar: sic enim loqui scriptura solet, interprete Augustino de Ciuitate lib.17.cap.9. Iudicia Domini vera, Psal.18. iustificata in semetipsa, siue in idipsum, id est, Augustino ibi *Id ipsum, in commutabile.* interprete, incommutabiliter: nec enim is vel minatus vel pollicitus,quẽquam fallit,aut quisquam eius vel impiis supplicium, vel piis præmium potest eripere. Omnino ergò faciet quæ præordinauit,dabit quæ spopondit,vel post ipsam mortem,nec est cur ambigere,aut de promissione dubitare debeamus,etiam si non ante obitum promissis fruamur,hæc enim firma indubiè sunt,ex parte promittẽtis & diuino proposito,vt quanto certiora sunt,tãto nos minus tepidi,securioresque effecti,soliciti quoque magis ad ea quæ prædicta promissaque sũt, vt omnino ventura,consequenda præparemur. Prolixa est, nec minus necessaria & fructuosa disputatio Augustini lib. contra Priscillianistas cap.6.& 21. De Ciuitate à cap.17. ad finem vsque libri,& Gregorij Moralium lib.34.cap.16.

aduerſus Origeniſtas pręposterè miſericordes, qui Deum minacem magis faciunt, quàm veracem, & dum ſatagunt perhibere miſericordem, non verentur prædicare fallacem. Sed ſi verum non eſt quod minatur, nec id verum erit quod pollicetur: Si falſa minatus eſt, vt ab iniuſtitia corrigeret, falſa quoque pollicit' eſt, vt ad iuſtitiam prouocaret. Nā quale eſt, quā que abſurdum, æternum ſupplicium pro diuturno exiſtimare, & vitam æternam credere ſine fine, cùm Chriſtus eodem loco, vna eadē que ſententia vtrunque complexus, æternum dixerit? Matth. 25. Profectò vtrunque aut cum fine diuturnum, aut ſine fine perpetuum debet intelligi. Si terroris tantùm cauſa (inquit Chryſoſtomus lib. 2. de compūctione, & Homil. 25. ad Rom.) nec pro veritate ſupplicia promittuntur, conſequens erit, vt & bonorum promiſſiones, adhortandi tantùm, non etiam veritatis gratia proponantur. Sic ſtabit cum Nerone Paulus, imò etiam contra Paulum conſiſtet diabolus. Si ſic de vtraque parte ſentiam', reſoluta ſunt omnia religionis noſtrę dogmata, ſi nihil aliud in omnib' mādatis diuinit' datis agi dicitur, niſi vt homines & vana bonorū ſpes, & inanis pœnarū terror aſtringat. Sed nos his ſuborto occaſionis articulo, breuiter dictis ad intermiſſū exponēdi ordinē recurram'. Implebit igitur certò Deus quod pollicit' eſt non tantū patribus ante aliquot annorū cētenarios aut millenarios, ſed & *ante tēpora ſecularia*. Sic,

Origeniſtæ reprehenſi.

Minax non eſt Deus & fallax, ſed verax.

Aeternum ſupplicium quale intelligendum.

2. Tim. 1. Πρὸ τῶν χρόνων αἰωνίων, de quibus vocabulis nos ibi, quæ tūc occurrerūt. Hic secula Hieron. tēpora æterna legit, vbi suprà cōtra Priscillianistas: & de Genesi cōtra Manich. cap. 2. Augusti. & de Ciuit. lib. 12. c. 16. ex quo loco in hāc literā Beda & Anselmus. æterna autē (quod mirandum est, præterita Paulo dicta, priora exponunt & antiqua, vt quæ cùm retrorsum à cōstitutione mundi habere videantur initiū, quomodo sunt aut dicuntur æterna, nisi quia ante se non habent vllum tempus? Alioqui æterna tempora quid ante se habere potuerunt? non enim hæc Deo coæua dicimus. Cum ergò mūdus factus sit, & per vices dierum ac noctium, mensium pariter & annorum tempora constituta sint, in hoc mundi curriculo atque rota labantur ac veniant, futura sint, aut fuerint, ante hæc mundi tempora, æternitatem quandam seculorum fuisse credēdum est, & vt ita dicam, vnum Dei tempus, imò innumerabilia tempora, cùm infinitus sit, & ante tempora omne tēpus excedat, quibus semper cum Filio & Spiritu sancto Pater fuerit. Ante omnia itaque tempora, quæ nec sermo eloqui, nec mens comprehēdere, nec cogitatio tacita audet attingere, cū nulli essent homines vel angeli, quibus Deus promitteret, cui, nisi Sapientiæ suæ promisit: vt quæ semper cū eo erat, antequam orbis iáceret fundamēta, maria diffūderet, montes statueret, cælum suspenderet, terram directa mole solidaret, & cum eodem lætaretur orbe perfecto,

Aeterna, priora & antiqua.

Mundus factus, non æternus.

& gauderet super filiis hominũ, Prou. 8. Quid autem spopondit Verbo suo Deus, nisi vitã iis, qui credituri, venturam, & quidem sempiternã? Ante omnia enim tempora, & apud se proposuit per eundem saluare credentes Patris æternitati, & Verbo eidem coæterno, quod suo tempore futurũ erat, ante omne tempus iam prædestinatione fixum erat. Nec enim possumus dicere tempus aliquod fuisse quãdo Deus nondum aliquid fecerat. Adeò non recens est promissio, nec in tempore promisit, sed vt promittentis, vt sic dicam, diligentia, vt rei promissæ certitudo in Deo consideretur, is sic, hoc est, electis suis daturum se gratiam & gloriam ordinauit & prædestinauit, ante tẽpora, quæ voluuntur per secula, seu multis ab initio mundi cyclis reuoluuntur. Sunt enim quæ non sunt secularia, nec seculis, sed momentis constant, vt horulæ, dieculæ. Postremum hoc Scholion Sedulij est, reliqua Latinorum aliorum sunt, Hieronymi potissimùm. Aquinas secularia exponit iuxta diuersas successiones distincta, q. d. Antequã successiuum tempus inciperet, quod quia cũ mundo esse cœpit, ideò dicit ante mũdi principiũ siue constitutionẽ, Eph. 1. Matt. 25. & veluti iacta fundamẽta. Addit pro sua diligẽtia aliam literã habere, æterna, vel secundum imaginationem, non secundũ veritatem. nec enim tempora Deo coæterna sunt: cùm sit autẽ promittere, Verbo suam de dando volũtatẽ nunciare, Deus ab æterno protulit Verbũ suum, in

Tempus non erat, quando Deus nondũ aliquid fecerat.

Secularia, quæ sunt.

Promittere Dei, quid sit

Aeternum, id est antiquum.

quo erat, vt sancti & electi haberent vitã æternam. Vel æterna, id est, antiqua, sic enim accipit aliquando æternum, αἰώνιον, agnoscit vbi suprà Augustinus, & sub vtroque intellectu in scripturis poni solitum, sine fine, & cum fine, nisi fortè græcus aliquis codex habuit ἀρχαῖα, vt Act. 15. ab ætatibus, seu temporibus antiquis. Vnde hinc Græci diuinæ prædictionis antiquitatẽ, ac proinde nostrã dignitatẽ nobilitatemq; colligũt, sed iuxta priorem æternitatis sensum, quo nos non nuper, sed olim, & ab initio, imò ante omne initiũ dilexit, quod & pluribus alibi locis posuit, quos præsciuit, hos prædestinauit, Rom. 8. Segregatus in Euangeliũ Dei, quod anteà per Prophetas promiserat, Luc. 1. Sicut locutus est per os sanctorũ, qui à seculo sunt, Prophetarũ suorũ. Sed & decreti diuini constantiã hinc & immobilitatẽ iidẽ arguunt, quasi Deũ eorũ pœnitere non possit, quę nõ ex posteriori volũtate definierit, sed ante omnia ei secula sic visa sint atque destinata. Grauiter simul atque prolixè Hilarius lib. 12. de Trinit. Cũ in Dei rebus, id est, in Dei natiuitate, nihil nõ ante tempus æternum sit, non cadit in id vt antequam natus est, cuiquam ante tempora æterna promissum æternum sit, secundũ præsens B. Apo. dictum, in spẽ vitæ æternæ, quã promisit Deus ante tempora æterna, aliquando non fuisse dicatur, quia intelligi non potest cępisse post aliquid, qui esse sit ante tempora æterna cõfitendus: æternum enim est, quicquid tempus exce-

dit,&c.Porrò quod sic alicubi loquitur Augustinus, tanquam si αἰώνιον, Latinè dici posse dubitet seculare,mirũ si non legerit Horatij carmen seculare,quem eò loci allegat cap.31.quęstionum super Genesim. Seculares autem ludos etiam irrisit de Ciuit.lib.3.cap.18. centesimo quôque anno celebratos & ad eos fugiendos atque cõtemnendos etiamnum inuitabat in Psal.81. Propius rem nostram est quod de Genesi ad literã lib.5.ca.17.Ante secula inquit, Deus,A seculo ea dicimus,ex quo cępit seculũ, in seculo,vt ea quę nascuntur in mũdo. Hieronymus ad Ezech. 26. 27. αἰὼν, seculum aiunt, humanæ tempus ætatis septuaginta annorum supputari,Latini nonnulli pauciorum annorũ esse seculum putant,vt ad id 8.Æneid.

Seculare carmen Horatij

Seculares ludi.

Ante secula

In seculo.

A seculo.

Humana ætatis tempus.

Seclisque effœta senectus.

Seruius notat dicta secula in vno homine, iuxta eos qui dicunt seculum xxx. annorum esse, alij cx.alij Mille, vt Plautus in Milite. Varroni autẽ li.5.de lingua Latina, spatiũ est annorũ c.à sene dictum,quod longissimum senescendorũ hominum id putarũt,vt in Vergilij de ætatibus carmine.

Ter binos deciésque nouem superexit in annos,
Iusta senescentum quos implet vita virorum.

Sed de lõgæuitate videro in caput huius 2. Confirmatur autem hæc nostra de iis spes ex re & effectu promissionis, vt sequitur, *manifestauit autem*, nec hîc præcessit, μὲν, cui respondet δὲ, *temporibus suis*, ἰδίοις, vt ad rem referatur,

vnaquæque res suum tẽpus habet, Eccl. 3. & nõ suo vel alieno tẽpore fieri dicitur, quod intẽpestiuè fit. Cõgruis igitur temporibus, cõpetentibus, debitis, cõueniẽtibus, q.d. Et quę huius dilationis ratio? cur ve tandiu dare & exhibere distulit, quod tandiu antè destinarat? Prouidentiæ (ait) gratia, vt omnia tempestiuè & opportunè fierent, & tempus enim scriptura opportunitatem interdum appellat, vt Psal. 118. tempus faciendi Domine, vel Domino, Sic Græci. Malunt Latini ad Deum referre, *suis* exponentes, ab eo dispositis & ordinatis, quod (aiunt) promiserat, compleuit, quando se facturũ pręscierat, & vbi venit plenitudo temporis, Gal. 4. quo nondum omnem à iustitia declinantẽ ad fidem adduceret. Opportunè sanè, Cùm homo de superbia primùm, & de ignorãtia, idololatria, reliquísque contra naturam vitiis ante legem, sub lege de infirmitate & malitia conuictus, vt à medico ægrotus, congruentius inuiseretur & sanaretur. Vidit Abel inde aliquid perfectius. Noë, Abraham, &c. & sic paulatim Prophetæ, quò magis appropinquabat redẽptio, hoc eam amplius cognouerũt, & his omnibus plus Ioannes, digito demonstrans, omnium verò maximè tempore gratiæ conspicuum fecit Deus, *Verbum suum*, vel promissionis sermonẽ, Euangelium, vt quod omnia com plectatur, præsentia, siue nobis in præsenti data, fidem, veritatem, pietatem, & futura, & quæ nobis euenient, vitam æternam, vel certè Filiũ ipsum,

Tempus, opportunitas.

Cognitionis Dei promotio.

ipſum, τὸν λόγον, Verbũ incarnatum, vt ex lectionis ordine diligẽter attendamus, quòd cùm rerũ conſecutio ſic requireret, vt diceret, manifeſtauit eam, de qua prædixerat, vitã, non ita intulit, ſed manifeſtauit verbum, & ex textu inquam, attendamus vitã cęlitus à Deo ab æterno promiſſam, non abſque Dei verbo, imò nõ aliũ quàm ipſum eſſe Verbũ, quod in principio erat apud Patrẽ, quódque caro factũ, in nobis habitauit, Ioã. 1. & 14. Ego (ait) ſum vita, vita verò nõ breuis, neque tẽporibus circũſcripta, ſed perpetua, nouiſſimis ſeculis perſpicua facta, *in prædicatione*, palã, manifeſtè, per publicã Chriſtimet, Apoſtolorúmq;, & Pauli in primis, omni creaturæ, ac per omnes gẽtes Euangelij promulgationẽ, Marc. 16. Prędicate, Mat, 28. docete, &c. *quæ credita eſt mihi*, ſiue cõmiſſa, Paulo gẽtium doctori ac magiſtro, vt annũciaretur mũdo, vt hominib⁹ nota fieret. Manifeſtauit ergo Deus ſermonẽ ſuũ in prędicatione mea, inquit, dãs per hoc intelligere, ſermonẽ prædicationis ſuæ, Dei eſſe, non ſuũ. Sic enim & Saluator dicebat, Sermonẽ quẽ audiſtis, non eſt meus, ſed ei⁹ qui miſit me, Patris, Ioã. 14. *ſecundũ præceptũ*, Hieronymo imperiũ, & Sedulio, Aliis delegationẽ, iniunctionẽ. Sentit enim ſibi munus hoc prędicandi delegatũ, ſic vt recuſare nõ liceat, vt potè mãdatũ *ſaluatoris noſtri Dei*, qui nos ſaluos eſſe voluit, id quod pollicitus fuerat implendo, ſpeciatim quando me probauit, & dominicæ incarnationis œcononíam iniunxit, cùm me &

Paulus segregatus ad euãgelizandum gentibus.

Barnabã ſegregauit, Act.13. vt gentibus prædicarem⁹, qui me ſegregauit ex vtero matris meę, vt euangelizarem Filiũ ſuum, Gal.1. de quo etiã mandatum hoc intelligas licet, ipſe enim ſaluũ fecit populum ſuum à peccatis eius, Matth.1. & Paulum vocauit ac elegit, vt portaret nomen ſuum coram gentibus, Act.9. Cùm igitur Deus ac Dominus nos ſeruare volẽs, hæc iniunxerit, digna omnino pręedicatio, cui fides adhibeatur, & quomodo non ad ſalutiferum hoc opus ei inſeruirem? Hic obſeruanda cum Græcis tria. Primũ quàm hoc exordium beneficiis diuinis refertũ ſit, totáq; prorſus eiuſmodi eſt epiſtola. Sic Titum ſuum, & qui ab eo docerẽtur, ad labores pro fide ac pietate ſubeundos magis excitat, ſic Epiſcopum cum diſcipulis animat, vt benefactori placeant, nihil enim ferè ita nobis vtile eſt, vt Dei beneficiorũ iugiter meminiſſe, ſiue quæ communiter omnibus, ſiue quæ ſeorſum ſingulis tribuit. Vel intuere cùm ex amico vel munuſculum ſumimus, vel verbũ aliquod gratũ placidúmque audimus, quàm in amorẽ exardeſcimus, quanto magis cũ meminerimus quantis nos Deus & periculis eruit, & muneribus affecit, quanto ad obediendum promptiores fuerimus? Alterũ, Præconis inſtar omnibus in theatro ita prædicantis, vt veraciter ſibi cõmiſſa omnia proſequatur, nec aliquid addat, immutet, auferat, ea nobis ratione prędicandũ, vt ea tantũ quæ audiuimus prædicemus, nihil vel addẽtes, vel adimẽtes, Deut.4.12. Apoc.21.

Verbũ Dei qualiter prædicandum.

(Quod intellectū velim sine præiudicio cōtrouersiæ hodie adeò concertatæ, de Verbo Dei scripto & tradito) Et quidem cū magna tum fiducia, tum libertate ac constantia, alioqui nulla fuerit prædicationis virtus. Dicite, ait Dominus, in lumine, non in auribus, prædicate super tecta, non in cubiculis, Mat. 10. Luc. 12. Sic tum ex dicendi modo, tum ex prædicationis loco, apertam eam, publicam, liberámque esse commendans. Postremò inter agenda hîc prisci distingunt, & quędem quidem permitti modò & consuli, & proinde in nostro esse arbitrio, & sub ius nostrum cadere, Vade, & vende omnia, & da pauperibus, Mat. 19. auditorē huius exequendi ceu Dominū (si vis, ait, &c.) constituēs, velint hoc nolint moderni: Quædam autē imperari, & proinde non in nostra esse potestate, vt fratri reconciliari, nec ei conuitiari, Matt. 5. hæc omittere minimè tutum fuerit, sed necessariò facienda, nempe supplicio ea non facientibus imminente. Tale ait hic & alibi passim Paulus docendi prædicandíque præceptum sibi factum, vt vel inuitus id facere cogatur, nec sibi creditum vel dissimulare, vel iniquè ferre possit, non ambitionis hoc, non regnandi cupiditatis, siue voluntatis, sed necessitatis quidem est, hæc enim mihi incumbit, & væ mihi si non euangelizauero, 1. Corinth. 9. vt nec huius rei sim Dominus, sed minister, & quidem propè inuitus, nam dispensatio mihi credita, vis apertius eloquar, quid hoc

Cōsilia Euāgelica, & præcepta.

Prædicandi necessitas cui incumbat.

sibi velit, vt omnibus euidens fiat? cui creditus est Ecclesię principatus, quique Episcopatus dignitate ornatus est, nisi populo quę agẽda sunt docet, nõ erit innoxius, Laicus nulla huiusmodi necessitate constringitur. Hic cum Paulo, Paulique interprete Chrysostomo, non mecũ litigent Pastores, iidem nõ doctores, & si possunt, hoc se iure diuino scripto solutos probẽt, vel aliquã huius necessitatis dispensationẽ, aut excusationem afferant. Videbimus in posterũ, vt nostrates Episcopi in Gallia facturi sunt, quod in Tridentina Synodo sanxerunt. Prædicationis nimirũ munus Episcopi esse præcipuũ,

Episcopi munus.

& aut in sua quisque Ecclesia ipsi per se prædicent, aut legitima huius per se prædicationis impedimenta fingant ac refingant. Canon est 4. decretorum, de reformatione generali, Sessione 8. habita 11. Nouẽb. anno 1563. latus, & huius proinde canonis latores, nisi iidẽ factores, ex ore proprio iudicandi, & omnino inexcusabiles, qui quæ in tanta senatus orbis Christiani luce decreuerũt, minus ipsi præstẽt: aut enim prędicare non norunt, & à Domino audiunt, quia tu, sacerdos, scientiam repulisti, ego quoq; te abobeũdo mihi sacerdotio repellã, Ose. 4. aut nouerunt (nec enim datur mediũ) nec tamen prædicãt, & hoc pluribus plagis vapulaturi serui sunt, quanto magis heri voluntatem cognouerunt. Sed legitimè impediti sunt. Ecquibus quæso, impedimentis? aulicis, bellicis, ciuicis, profanis, publicis, veris sanè impedi-

mentis, ſed quæ, quid aliud quàm ſunt excuſationes in peccatis? Talis igitur ac tãtus Apoſtolus, & tãtæ ſalutis annũciator, ſcribit *Tito*, perſonæ ſalutatæ nomen eſt, *dilecto Filio*, Ambroſius germanum legit, & verum exponit, Hieronymus chariſſimo, quòd Græcè dicitur γνησίῳ, & Latinè vix explicari poteſt, ſonat enim cùm quis fidelis, proprius, legitimus, ſiue germanus abſque comparatione alterius appellatur. Sermo quippe & ſapientia, & doctrina, qua Titus Chriſti inſtruebat ecclesias, efficiebãt eũ Apoſtoli filium, egregium, ingenuum, ſpeciali quodam modo dilectum, aliis meliorẽ, & germaniorem, non νόθον, non adulterinum, non à patre degenerem: vt vel hinc intelligamus fuiſſe & in Pauli filiis differentiæ plurimum, quaſi alios haberet genuinos, quaſi de libera procreatos, alios velut ex ancilla, &c. Gal. 4. Quod Hieronymi ſcholion ſic Græci exponunt, eſſe quidem & filios, ſed non eiuſmodi, qui germani charíque dici mereãtur, vt ſi Chriſtianus fornicetur, filius quidem eſt, quatenus ex baptiſmate renatus, ſed non continuò genuinus aut dilectus, qui à patris dignitate degenerans, ad alterum patrem, vel potius tyrannũ, ſponte deuoluatur, & parente vero indigna cõmittat. Et in naturalibus quidẽ filiis charum facit vtriuſque parentis affectus. Hîc non item, ſed id munus ex ſuo quiſque propoſito aſſequitur: hinc & ſubinde mutantur, nec enim ſub naturæ hæc neceſſitate cõcluſa ſunt, ſed ex arbitrij depẽdẽt

γνήσιος vix latinè exprimitur.

Pauli Filij.

libertate, operãte vtiq; gratia, vt & ex chariſſimo nõ in hui⁹ dignitatis prerogatiua permaneat, & virtutis cõtrà merito chariſſimus fiat, qui antè non erat. Sic Paulus Oneſimũ ex dilecto inutilem, & rurſus ex inutili chariſſimũ, imò viſcera ſua vocat, ad Philem. Filio ergo non iuxta carnem, ſiue naturam, ſed *ſecundum communem fidem*, Tito in primis & Paulo, qui Titũ in Chriſto per Euangelium genuerat, 1. Cor. 4. ſed & omnibus credentibus, quia ſicut vnum baptiſma, ſic vna ſeruientiũ fides, Eph. 4. quam ideo Græci Catholicam, Latini vniuerſalem vocãt, iuxta quã, non iuxta priuatã ſectam aut hæreſim, Titus erat Pauli ſpiritualis filius, non carnalis, eóque magis, quòd quã ab Apoſtolo Catholicam Orthodoxámque virtutẽ didicerat, catholicè & rectè docebat. Cùm ergò Paulus Titum filiũ nouiſſet, Patris aſſumpto ordine, hanc velut minuit ac cõtrahit dignitatem, ac ſi apertè diceret, Equidem ſecũdum fidem, nihil amplius quàm tu, habeo, nullo te maior ſum, communis enim eſt, & per eandem ego túque regeniti ſumus, ac proinde fratres eaten⁹. Qua igitur ratione filium vocat? affectu certè paterno, quòd eo ſuperior in prædicatione præceſſerat, quòd eũ baptizauerat, quòd per eũ Titus fidei lumen ac veritatis acceperat. Hinc eoſdẽ nõ renuit & fratres vocare, quia eadẽ ex fide renatos, & filios, quia per ſuũ miniſteriũ regeneratos, vt cõmunis fidei, fraternitatis ſignet affectum: miniſterium, paternitatis. Eſt & alius

Catholica vnde dicta fides.

Filius Pauli cur dictus Titus.

Fratres inter ſe Christiani.

Theodorito ſenſus proprius, ex diſſimili generationis naturalis & ſpiritualis, Illa nō opus habet aſſenſu eius qui generatur, at fidei partus, eius qui regeneratur, aſſenſum requirit. Et ſi enim verè quis prædicet, niſi qui audit, quæ diſcit, cū fide excipiat, nequit eiusqui prędicat, vocari filius, In mente enim ac animi ſentētia, talis verſatur cognatio, quæ hîc Titi virtutem innuit, qui quòd cum Apoſtolo fidei ſocietatem coiiſſet, cumPatrem habere dignus eſt habitus. Hoc gręcanicū diſſimile, nè vt paulò ſuperius Chryſoſtomi Scholion minus humano arbitrio putemus propirium. Audiamus Auguſtinum, quo nemo Dei gratiæ fauit impenſius, Sic totum (inquit) ex Deo, vt nō tamen quaſi dormientes nec conemur, nec velimus, Sine voluntate tua nō erit in te Dei iuſtitia: Voluntas quidem non eſt niſi tua, iuſtitia nō eſt niſi Dei. Eſſe poteſt Dei iuſtitia ſine voluntate tua, ſed in te eſſe non poteſt, niſi per voluntatem tuam. Et paulò pòſt, hominem te ſine te fecit Deus, nec enim conſenſum adhibuiſti vt te faceret Deus, quî conſentiebas, qui non eras? Quia ergo fecit te ſine te, non te iuſtificat ſine tę, fecit neſcientem, & iuſtificat volentem, De verbis Apoſtoli ſermon. 15. Sequuntur quæ optat bona, & à quibus obtinenda, & pro more illi ſolito coniuncta, *Gratia*, omnium vtique ſpiritualiū donorum principiū, iuxta peccatorum remiſſionē, magis autē iuxta pōtificale officiū, quæ cōſecret omnia ſacerdotij eius opera,

Auguſtini lau.

Gratia, omnium donorum ſpiritualium principium.

& *Pax*, eorundem Dei donorum finis, Qui posuit (ait) fines tuos pacem, Psal. 147. Illa in præsenti, hæc in futuro, aut hæc nunc quoque, sed quanta hîc animi tranquillitas haberi potest, quæ Titum repressis hostibus & vitiis, requiescere faciat, sempérque cũ DEO & sanctis Angelis concordẽ manere, nam sola alioqui beatitudo hominẽ prorsus quietũ reddit, non aliter, neque prius quieturum. Hæc vtique tibi sint ab iis qui & volunt & possunt, *à Deo Patre, & Christo Iesu Saluatore nostro*, cuius humanitas eorundem nobis donorum instrumentum est diuinitati coniunctũ, & melius vtrunque ab vtroque datum intelligitur, quàm ad Patrem illa, hæc ad filiũ referri debeat. Græci Patris nomine superiorem fraternitatem innui exponunt, Quia (aiunt) dixerat filiũ, pulchrè intulit à quo patre, excitaríque Titi animũ, & ad deitatis velut celsitudinem erigi, vt discat, aut magis recordetur, cuius sit Filius, nẽpe Dei, vnus enim nobis Pater DEUS, vna omnium nostrum baptismalis (vt ita loquar) piscina. Interserũt iidem *misericordiã* magno à Latinis consensu hîc omissam, quibuscum reclamat Origenes ad Roman. annotans, & distinguens salutationum formas, quibus Paulus vsus in singulis epistolis hoc modo, ad Timotheũ vtraq;, Gratia, misericordia, pax. Ad Titum, Gratia & pax, &c. Legũt tamen & exponũt Græci, Intuere (aiũt) & animaduerte, quàm magna multáque cũ discipulis aliis, tum EPISCOPO in primis imprecatur: Talia profectò

Episcoporum & doctorum onus.

quę videntur doctoribus non tantùm vt vulgò Christiano conuenire , sed prorsus necessaria esse,quippe qui precibus omnium maximè indigeant, nempe quibus & inimicitiarũ difficultatúmque , & diuinæ offensionis periculorum plus immineat,vt sit ea dignitas quãto celsior, tanto periculosior , magis ergo pastor indiget & *Dei gratia*, qui tam multis oneribus prematur,& *misericordia*,tam innumeris malis obnoxius,&*pace*,tot bellis,turbis,& tumultibus subiectus. Absque his tribus diuinis velut gubernaculis,Ecclesiæ nauim,quisquis eius & gubernator,hoc est,Episcopus,subuerteris. Secutus est Gręcos Faber, & tria quidem hæc totidem diuinæ naturæ personis communiter conuenire,peculiariter tamẽ tribui Patri misericordiã, est enim pater misericordiarum,2.Cor.1.Filio pacem,Ipse est pax nostra,Eph.2.Gratiam Spiritui sancto,vt Act.10.Et in nationes effusa est gratia Spiritus sancti.Quò minus absque scrupulo transeundum notat Hieronymus , quod quibusdã hæc multiplicari imprecatur alicubi, Dan.3.6.Babylonij reges,scribẽtes suis.Pax,aiũt,vobis multiplicetur, & 1.Petr.1.Hęc ad Titum sine multiplicatione posita sint,Respõdet sicubi in persona sanctorum gratia posita est, ferè inueniri gratiam eos vnam inuenisse,non plures gratias.Noë,Gene.6.Moyses,Exod.33. Perfectorum quippe est vnius margaritæ thesaurum pretiosum, margaritis omnibus & totius substantiæ cõmercio cõmercari ac emere,

Misericordia patri peculiaris,filio pax,spiritui sancto gratia.

Gratia vna non plures.

Margarita vna, plures.

Matt.13.Incipientium, & adhuc in itinere positorum, plures habere margaritas, non vnam illam pretiosam, Dei nimirum gratiam. Ad extremum ergo, Epistolæ huius præfatio, & præfationis salutatio Apostoli ad Titum, tali fine completur. Sequitur narratio.

Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ desunt corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui, Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habẽs fideles, non in accusatione luxuriæ, aut nõ subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem, non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum, sed hospitalem, benignum, sobrium, iustum, sanctum, continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.

PRosequitur epistolam, ad narrationẽ accedit. De ordinatione primùm Ecclesiæ, tum de plebis informatione, quarum vtranque intendit contra hæreticos munire, quibus per quos & quomodo resistendum, per Episcopos nimirũ & presbyteros, quorũ alios quod & cur sub aliorum no-

mine intelligat, plenius in priorem ad Timotheum diximus,& hîc ſubintellectum,etſi non repetitum,volum⁹. Quia ergo Paulus Eccleſiæ præſertim gētium vniuerſalis commiſſionem, Omnium (ait)Eccleſiarum curam & ſolicitudinē,& quidem quotidianam,2.Cor.11.nec ſolus poterat per ſe omnia exequi,Titum inſtituerat Cretenſem Archiepiſc. ad quē pertineret tota eius prouinciæ ordinatio, Ideo dicit, *Huius rei gratia*,propter Catholicæ fidei prædicationem, pro eo,quod ſiquidem feceris,gratū mihi erit. *Reliqui te Cretæ*,in Creta inſula,cùm inde recederem,&aliò prædicandi cauſa concederē,mei loco Cretenſiū eccleſiæ paſtorē te primariū ordinaui.Apoſtolicæ quippe dignitatis eſt, Eccleſiarū iacere fundamenta,quæ nemo poteſt ponere,niſi architectus. Super hæc inferiores artifices ædes conſtruunt. Paulus ergo vt ſapiens architectus,1.Cor.3. & omni labore cōtendēs, ne in præparatis gloriaretur, ſed vbi necdū fuerat Chriſtus annūciatus,Rom.15. Cùm ſecūdū datam ſibi gratiam fundamentū poneret,poſtquā dura Cretenſiū corda ad fidē Chriſti mollierat,& tā ſermone quā ſignis edomuerat,docens eos non invernaculū Iouem,ſed inDeum Patrē & Chriſtū credere, diſcipulū ibi reliquerat, vt rudimēta naſcentis Eccleſiæ cōfirmaret, Ipſe intereà ad alias nationes pergēs,Chriſti in eis fundamentū rurſus iaceret. Sic vt vna in domo miniſtrorū ali⁹aliud agēdū curat, Apoſtoli tanquam vnā familiā,orbē totū inter ſe partiti,

Apoſtolica dignitas, quæ.

Iupiter, Cretenſium vernaculus.

alius aliam partem sortiti, sua quisque peragebant officia, omnium qui vbique terrarũ erát, curam gerentes. Adeò non Apostolorum tantùm, sed eorum quoque qui eis fideles in Ecclesiæ ministerium successerunt, vita omnis erat operosa, tota illis in labore atque certamine posita, præsentem vitam viatorum peregrinorúmque ritu percurrentib. nec in terra ciuitatẽ habentibus, Heb.13. quod & hîc indicat, Tito in Creta relicto, aliò se prædicaturum migrasse, Domini vtique sui exemplo, qui & ad eos aiebat, Eamus & in proximos vicos, & aliis enim Euangelizare me oportet, Marc.1. Luc.4. vt hîc iure cum Chrysostomo nobis dolendũ, nos contra veterum morem, quasi ideo conditi simus vt edamus, bibamus, in deliciis viuamus, ita nullam spiritualium rerum habere rationem, sed omne tempus per ignauiam ducere, hoc inquam nobis magis dolendum, quantò hęc tẽpora Chrysostomianis, q̃ Chrysostomiana Apostolicis, deteriora, mox fortè datura, vt ille ait, progeniem vitiosiorem. Sed quid dicit? *Vt ea quæ desunt corrigas*, Itanè? an verò magis suppleas? vt quæ in malis moribus supersũt, reformes, quæ in bonis desunt, addas, vt alibi, Impleamus ea quæ desunt fidei vestræ, 1. Thess. 3. imò vt non corrigas tantùm, sed etiam διορθώσῃ, hoc est, vt sic dicam, supercorrigeres, Sic enim vertit Hieronymus, præpositionis adiectæ notans emphasim, cum Græcis, q.d. Quicquid corrigitur imperfectum est, & quædam

Prædicatio de loco in locum transponenda.

quidem prius à me correcta, necdum tamē ad plenam veri lineam redacta sunt. Quæ igitur ad perfectionem desunt, ea recto tenore corrigere pergas, vt æqualitatis normam accipiant. Et hic vide, vt eum discipulo scribere non pudeat, vt à se relicta aut prætermissa reformet in melius: sic vbique fidelium saluti, non priuato honori consulens, & vtilitatem publicam curans, siue id per se, siue per alium fieret, nihil ei⁹ intererat. Hoc scilicet vnum respiciebat, vt cōmune lucrum procuraret, nullo proprij respectu, Ita prorsus, ita pastorem affici necesse est. Intuere rursum animam omni inuidia liberam. Ea in quibus difficultatis erat plurimum, præsens peragebat, per se ipse corrigebat, quæ autem honoris plusculum forsan habebāt quā laboris, Episcoporū vtique & Presbyterorum electiones, discipulo permittebat, de quibus sequitur, *& constituas per ciuitates.* κατὰ πόλιν, in ciuitate, id est, in singulis ciuitatibus, siue oppidatim, hæc enim insula quondam dicta est ἑκατόμπολις, quòd centum habuerit oppida, quod alicubi totidem verbis dixit Mantuanus,

Praeceptor discipuli operam non dedignans.

Creta, ἑκατόμπολις.

Vrbibus inclyta centum.
Creta ideo dicta à Graiis Hecatompolis olim.
Et alter, 3. Aeneid.
Centum vrbes habitant magnas, ditißima regna.
Et Horat. lib. 3. carm. ode 27.
Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten. Idem in Epodo 9.
Aut ille centum nobilem Cretam vrbibus

Ventis iturus non sui s.

Ouidius passim.7.Metamorph.

Dicta refert rector populorum talia centum,

Minos scilicet.13.

Teucri Cretam tenuêre, centúmque relictis

Vrbibus,&c. Sic Ariadne Theseo,

Non ego te Crete centum digesta per vrbes

Aspiciam. Ad idem Seneca in Troade,

Vrbibus centum spatiosa Crete. Alicubi quoque Lucanus,Statius,&c. Nec poëtæ modò,sed & Geographi,Ptolemæus,li.3.cap.17. Plinius lib. 4.cap.12.Centum vrbiũ clara fama. Mela,li.2. cap.7.Solin.cap.16. constipata cẽtum vrbibus, sicut perhibent, qui prodigè lingua locuti, aut etiam largiti sunt,sed magnis & ambitiosis oppidis: quasi sentiat Græcos centum vrbes Cretensibus prodigè largitos, Secuti omnes, Homerum,lib.19.Odysseæ canentem,

*Nongenas habitant diuersis vocibus vrbes.*cũ Iliad.2. Cẽtũ vrbibus &populis frequẽtẽ dixisset,quas bona ex parte ibidẽ numerat, hãc diuersitatem Strabo,lib.10.Troianis quidẽ tẽporibus Vlysse teste,xc.fuisse eius insulæ vrbes,Post quæ x.cõditis sua tũ ætate,tũ persona poëtã,Centurbiã, vt ita dicã, vocasse. Quũ ergo populosæ insulæ regimini solus sufficere non poterat Titus,eam vni totã noluit Paulus cõmissam,Sic vt nõ singulæ ciuitates suũ vnaquæque pastorẽ haberẽt, sed propriũ vnicuique indicit. Ita enim fore vt leuiorẽ laborẽ,& curã exactiorẽ, subditósque tũ facilius,tũ diligẽtius gubernandos,si doctor

vni tãtùm Ecclesię regẽdæ, ceu glebæ, aſcriptus, nõ multarũ ſolicitudine diſtrahatur. *Presbyteros* quos hîc Græci latiníque intelligi, vt aliàs ſæpe, volũt, Epiſcopos, ſenes nimirũ moribus, nedũ annis. Etſi verò de Presbyteris & ſenioribus multa nobis tũ dicta, 1. Tim. 3.5. tum dicenda huius, cap. 2. hîc tamen obiter non omiſero eius tum ætatis, tum etiam dignitatis myſteriũ, ex Origenis Homil. 16. ad id Ioſue 13. *Ieſus erat presbyter, vel ſenior, & prouectus dierum*, & Homil. 4. in Pſal. 36. Et ante nos (ait) quidã obſeruantes in ſcripturis notauerunt, Presbyteros & ſeniores non ex eo appellari, quòd longæuam duxerint ætatem, ſed pro maturitate ſenſus, & grauitate vitæ, veneranda hac appellatione decorari, maximè cùm additur, *Plenus dierum*, Si enim æui prolixitate ſic quis appellãdus, quem magis oportebat alium hoc nomine cenſeri, quàm Adam, vel Matuſalem, vel Noë, qui pluribus quàm cæteri annis in hoc mundo vixiſſe creduntur? Nunc videamus eorum neminem ſic vocari, ſed longè breuioris æui Abraham primus in Scriptura ſic appellatus eſt, cùm ante eum plurimi annos 900. 600. 500. vt minimùm, 300. vixiſſent, eorum nemo, presbyter, ſenior, dierum plenus dictus eſt, niſi Abraham, presbyter nutritus in ſenectute bona, Gene. 15. vt intelligentes interioris hominis maturitate, non corporis ætate ſic deſignatum, optemus pro eodẽ interni hominis perfecto ſenſu, grauitate, conſtantia, non pro vel corporea ætate,

Presbyteri vnde dicti Seniores.

Abraham primus dictꝰ ſenex in ſa. ſcript.

vel presbyterij officio, presbyteri vel seniores vocari. Dictum est etiam ad Moysen à Domino, Elige tibi ab omni populo presbyteros, quos tu nosti, quòd presbyteri sunt, Numer. 11. Obserua in omni scriptura, sicubi inuenire potes nomē hoc *Senex plenus dierum*, super aliquo peccatore positū, quod vtique dici nequit, nec enim peccator dierum prouectus est, vt qui se non ad ea quæ antè sunt, extendat, eorum quæ retrorsum sunt, obliuiscens, Phil. 3. sed semper retrò conuertitur, ad vomitum redit, &c. qui autem ad priora extēditur, & ad perfectionem fertur, hic prouectus est in diebus suis, quod nō sine magno aliquo testimonio ita filio Naue diuinitus dato dictum est, alioqui quod de senili eius ætate dicebat Dominus, omnes nouerant. Quæ sunt ergo tam magna Dei respōsa, quæ hominibus deferuntur, vt dicant Seni homini, *senex es*, &c. quod omnes videbāt? Ego diuinum hîc mysterium arbitror, quòd vt cæli sol dies mundanos, sic Iustitiæ sol spiritales facit, qui fulgore veritatis, & lampade sapientiæ illustrentur. Si quis ergo in Dei præceptis vitā hanc præsentem transegerit, immaculatum se ab hoc seculo custodierit, Iac. 1. hostes suos spiritales subegerit, ab istis, quos paucos & malos Iacob dicebat, Genes. 47. diebus prouehitur atque promouetur ad illos æternos & bonos, æterni solis luce signatos. Tali ergo quodam ordine Abrahā & Iosue viri sancti senes & dierū presbyteri pleni prouectíque ex diuinis oraculis

Senex plenus dierum, de peccatoribus non dicatur.

lis

lis pronũciantur. Et quoniam quę de Iesu Naue dicuntur, ad D. Iesum referuntur, quis ita Presbyter, senior, dierum plenus intelligitur, vt ipse qui principium est &primogenitus omnis creaturæ? Ideò fortassis solus verè & integrè talis, ante quem nemo. Igitur sint licet in scripturis qui Presbyteri vel seniores, vel pontifices dicantur, at D. Iesus vt in pontificibus, pontificum princeps est: ita & in Presbyteris vel senioribus, Presbyterorum vel seniorum: & in episcopis, episcoporũ, & omne quodcunque honorabile nomen est, primum in hoc & principem esse credendum est Saluatorẽ, quia & omnium caput, Eph. 1. 4. 5. Col. 2. ante Abrahamum, Ioan. 8. ante lunam, Psal. 71. & luciferum, 109. ante omnes, Col. 1. & omnia: Hæc Origenica parum licet ad literam Paulinam faciant, huc non indigna duximus quę assuerentur, tum quia vel ex nominis saltem etymo admonent, quales esse debeant Ecclesiæ Presbyteri, tum quia Domini in omnibus & super omnia præstantiã elucidant, & verò concionaturis etiam, non prælaturis tantùm scribimus. Et oppidatim, non vicatim constituendos, In ciuitatibus (obseruat Aquinas) non in villis, vt in Republica Reges in vrbibus, sic in regimine spirituali Episcopos. Regale quippe sacerdotium, 1. Petr. 2. Neu multitudine villescerent, quod olim iam de Presbyteris Hieronymo ad Euagrium doluit, In Can. legimus.

Iosue senectus, qua.

Digreßio prima.

Episcopi vbi constituendi

Quòd ex hoc loco monuimus Episcopos oppidatim, non pagatim aut vicatim collocandos, Petrus quoque, siquidem Clementi I. Epist. 1. credimus, in singulis ciuitatibus singulos, non binos, ternos, pluresvè cōstitui præcepit, qui Episcoporum potirentur vocabulo: hoc tamen prouiso, ne in villis, castellis, modicisvè ciuitatibus instituerentur, ne nomen eorum villesieret. Quòd totidem penè verbis repetit Anacletus, Epist. 3. addēs, per castella, villas, & ciuitatulas Presbyteros sic ab episcopis ordinandos, vt singuli per singulos sint titulos suos. Illos ergò ad honorabilem tātùm vrbem titulandos, vel denominādos, ne villescat nomen, hos ad qualemcunque, vel certè quēcunque locum, vel Ecclesiā in eo cōstitutam præfecti fuerint, in eadem vitæ suę diebus duraturos. Citatur in Can. Episcopi. Dist. 80. & Ca. Audiuimus, 3. q. 2. ex Euaristi epistola 2. alibi episcopi constitui non possunt, nisi in ciuitatibus non minimis. & Can. Non debere. 57. Laodicenus, Quòd nō oporteat in villis, vicis, aut agris episcopos ordinari, sed visitatores, qui circumeant. Si qui anteà fuerint ordinati, præter conscientiam episcopi ciuitatis nihil faciant. Et hoc prior Sardicensis, Can. 6. siue 5. iuxta aliam editionem, Licentia ne sit episcopos passim ordinandi, aut in vico, aut in ciuitate modica, cui satis vnus esse possit Presbyter, nec enim necesse est ibi episcopum fieri, vt episcopi villescat nomen, & honoris summi autoritas.

Alia ergo ex prouincia inuitati episcopi, episcopum ne faciant, nisi in ciuitatibus quæ episcopos non habeant, nisi si qua tam populosa ciuitas sit, aut locus, vt episcopum habere mereatur. Quod & innouauit, & exposuit Carthaginen. 2. Ca. 5. vt diœceses quæ episcopos nunquam habuerunt, non habeant, nisi accedente tempore, crescente fide, multiplicatus Dei populus desiderauerit proprium habere rectorem, eius videlicet voluntate, in cuius potestate diœcesis est constituta, episcopum habeat. Cuius fragmentum habetur, 16. q. 1. Ca. Fœlix. & seq. ex Carthaginen. 3. Can. 42. Multis in Conciliis statutum à cœtu sacerdotali, vt plebes quæ in diœcesibus ab episcopis retinentur, si episcopos non habuerunt, nisi cum eius, à quo tenentur, episcopi voluntate, proprios accipiant rectores, id est, episcopos. Quem dominatum quidam adepti, cùm in quadam velut arce tyrannidem sibi vendicarent, & Presbyteri ceruices aduersus episcopos erigerent, plebes quíque suas conuiuiis, vel alio suasu aut fauore illicientes, vt sibi rectores eos collocarent, ibidem confirmatum est, ne quis rector eam plebem acciperet, quæ in diœcesi semper subiacuit, nec peculiarem vnquam Episcopum haberet. Et ad hos indubiè canones respiciens Leo I. Epistola octuagesima septima ad Episcopos Africanos per Mauritaniam Cæsariensem constitutos. cap. 2. in Can. Illud sanè quod ad sacerdotalem

pertinet dignitatē, inter omnia voluimus Canonum ſtatuta ſeruari, vt nō in quibuſlibet locis, aut caſtellis, nec vbi anteà non fuerūt, Epiſcopi conſecrentur, cùm vbi minores ſunt plebes & conuentus, Presbyterorum cura ſufficiat. Epiſcopalia autem gubernacula non niſi maioribus populis, & frequentioribus ciuitatibus oporteat præſidere, ne quod Sanctorum Patrum decreta diuinitùs inſpirata vetuere, viculis, poſſeſſionibus, vel obſcuris & ſolitariis municipiis tribuatur ſacerdotale faſtigium, & honor, cui debeāt excellentiora committi, ſui numeroſitate villeſcat, quę poſtrema pars cap. primum eſt tituli de priuilegiis. Extra. Quod nunc in ſua diœceſi reſtitutus Epiſcopus factū cauſatus, rationabiliter poſtulauit, vt ſi locorū Epiſcopi, in quibus non debuerāt ordinari, humana cōditione deceſſerint, loca ad eius antiſtitis ius redigantur, cuius anteà fuerant. Nam inutile eſt, vt ſacerdotalis dignitas, inconſiderata ordinantis facilitate, ſuperflua multiplicatione minuatur. Cùm ergò aliquantò pòſt Stephanus Emeritenſis in Hiſpania Epiſcopus, principali violentia impulſus, in monaſterio villulæ cuiuſdam nouam Epiſcopalis honoris ordinationem effeciſſet, & indiſcreto facilíque aſſenſu iniuſtis Bābæ principis iuſſionibus parens, iniuſtam illic ſedis pontificalis prælectionem induxiſſet, vbi Canonica īſtitutio id fieri omnimoda ratione refelleret, íſque princeps ſolito leuitatis agens conſilio in aliis quoque

Sacerdotalis dignitas non imminuēda.

vicis & villulis similiter facere obstinatè pergeret, Toletana Synodus xii. Can. 4. superioribus partim canonibus in medium prolatis & perlectis, in primis hoc Pauli ad Titum loco, communiter definiuit, vt prædicta villula deinceps nec sedes Episcopalis remaneret, nec Episcopus illic vltrà cōstitueretur. Locus item sub monastica deinceps institutione mãsurus, sub abbatis (vt hucusque) regimine modis omnibus manciparetur, non verò Episcopali vltrà priuilegio frueretur, Connildo contra maiorũ illic decreta constituto Episcopo, quia de principis impulsione, non de illius ambitione constabat, in remedium humilitatis, ad aliam decedentis cuiusuis Episcopi sedẽ transferri permisso. Generali quoque decæterò edicto posito, vt si quis contra hæc venire conatus, in locis se illis episcopũ fieri eligeret, vbi Episcopus nunquam fuit, in conspectu Dei anathema esset, & insuper tam ordinator quàm ordinat⁹ ordinis sui gradum perderet, vt nō solùm antiquorum Patrũ decreta, sed & Apostolica ausus conuellere instituta. Nec ita pòst Bonifacio Germaniæ Episcopo scribẽti se nouos tres Episcopos per totidem loca ordinauisse, qui populo per eius prædicationem ad Christum recẽs aggregato, præessent & prædicarẽt, Zacharias Papa respōdens, monito priùs, vt maturè pertractaret, subtilitérque discerneret, nũ expediret, & an loca, vel populorum turbæ tales essent, quæ Episcopos habere mererẽtur, memor quòd in

Toletana synodus xij.

Episcopi non vbique constituendi.

ſacris canonibus præcipitur, vt minimè in villulis vel modicis ciuitatibus ordinētur epiſcopi, ne villeſcat nomen epiſcopi, Synceris tamē eius literis prouocatus, ſuperiora conceſſit, & ſedes illic epiſcopales, quæ per ſucceſſionem epiſcopos mererentur, ſtatuit & confirmauit, Merſenburgenſem, Bamburgenſem, Erphordienſem, præpotentes hodiè in Germania epiſcopatus. Sed præterquam quòd tū neophyti erant Germani, in eis quoque erigendis locum habuit ratio, quam Gregorius I. anteà ſpectauerat, ad Auguſtinum Anglorum epiſcopum, cap. 8. in Can. Fraternitatem. vt qui tum ſolus adhuc in Anglica eccleſia foret epiſcopus, ita in Anglia epiſcopos ordinaret, vt longo ipſi ſibi interuallo minimè diſiungerentur, vel ob hoc, ne qua neceſſitate in alicuius epiſcopi ordinatione minùs conuenire poſſent. Nec verò dubium quin ſuperexcreſcente meſſe, & attenta cōtrà operariorum raritate, liceat, aut etiam neceſſe ſit, iuxta propheticum verbum, cuſtodiam augere, opportunos operarios, & cuſtodes idoneos adiicere, & cultores in Domini vineam, vel potius vineas, deſtinare, ſi quando tanta populorum multitudine ciuitates fæcundarit altiſſimus, vt paſtor vnicus ſingulorum vultus nequierit inſpicere, aut alias boni paſtoris partes implere: & perdifficile dúrúmque fuerit per latas adeò ac diffuſas diœceſes, ad vnum modò paſtorem, ab eccleſiaſticis & laicis omnibus recurſum haberi.

Germani neophyti.

Anglorum Epiſcopi.

Quibus primùm inductus Clemens v. proposuit, mox eius successor Ioannes XXII. Auenione tum vterque sedens, compleuit, & Tolosanam ecclesiam immensis tunc redditibus abundantem, ne dicam luxuriantem (nam causam hanc vt minus honorificam indicare malo ex capite Saluator, & sequenti, Extrauagantium communium, lib. 3. titul. 2. quàm hîc ascribere) Tolosam igitur tunc Narbonensis ecclesiæ suffraganeam, ex filia, vt sic dicam, matrem, siue Metropolim, ex episcopatu fecit Archiepiscopatum, & in sex episcopatus diuisit. Montis Albani, Sancti Papuli, Lombariacensem, Riuensem, Vaurensem, Mirapicensem. Hos enim duos postremos, quorum nulla vbi suprà mentio, lego in appendice Martini Poloni supputationibus adiecta ad annum Domini 1317. omnes quidem diœcesis antè Tolosanæ, præter primum, qui ad Caturcensem pertinebat, adiicit eadem, Extrauagans Appamiarum ciuitatem, Narbonensis priùs prouinciæ, in qua duos item episcopatus erexit: priorem in Lymose, pòst in Abbatiam de Elcon translatam, posteriorem in abbatiam Sancti Pontij. Albiensem episcopatum in duos diuisit, erecto ibi Castrensi. In Agenensi episcopum Codomensem erexit, in Lemouicensi episcopatum in Abbatia Tutellensi. In Petragoricẽsi vnum in villa de Sarlato, in Claromontensi constituit in villa Sancti Flori. In Ruthenensi in

Tolosa Archiepiscopatus.

villa de Vabrio : in Pictauienſi duos, Maleacenſem, & in villa Lucionēſi nouam ciuitatem fecit, diœceſibus limitatis, olim alias quidem abbatias, alias autem villas, nunc verò ſedes omnes Epiſcopales, & quidem opulentas. In multis item villis de Toloſano, Carcaſeio, Albigeſio, conſtituit collegiales Eccleſias canonicarum ſecularium, cum dignitatibus & præbendis, congruis redditibus per Eccleſias ſingulas aſſignatis, in domo Grandimontis totius eius ordinis capite, per priorem anteà regi ſolita, abbatem ſtatuit. Hæc omnia circiter annum Domini 1317. In Archiepiſcopatu Tarracomenſi Cæſaranguſtanam ſedem Epiſcopalem in Archiepiſcopalem extulit, ſubtractis illi quinque ſuffraganeis, qui vndecim habebat, & huic ſubiectis, per eundem, opinor, Clemētem Carolus IIII. Imp. ſeparari obtinuit Epiſcopos tunc Moraniæ & Bohemiæ, Moguntinēſis olim Metropolis ſuffraganeos, & exinde prouinciam in ſuo patrimonio fieri ſingularem, nouo tunc Archiepiſcopo Pragēſi facto, vt habet Theodoricus Niemus in nemor. vnionis, Tractatu 6. quem Labyrinthum inſcripſit. Succurrit R. Gaguini Annaliū li. 6. Tornacum, quod ſub Nouiomenſi eccleſia annis ferè ſexcētis fuerat, in Epiſcopam erectum Eugenio III. Rom. Pontifice, & Ludouico iuniore apud nos regnante. Nec verò dubium quin huius rei exempla plura quærenti occurrerent, ſi per otium quærere liceret.

Plenitudo ſiquidem poteſtatis ſuper vniuerſas orbis Eccleſias ſingulari prærogatiua Apoſtolicæ ſedi donata eſt, qua poteſt, ſiquidẽ vtile iudicauerit, nouos ordinare Epiſcopat⁹, vbi hactenus nõ fuerũt, Eorúmq; qui ſunt, alios deprimere, alios ſublimare, prout ei ratio dictarit, ita vt de Epiſcopis creare Archiepiſcopos liceat, & è cõuerſo, ſi neceſſe viſum fuerit, quod reſcriptũ eſt B. Bernardi Epiſt. 131. ad Mediolanenſes, cũ quorũ Eccleſia per hanc E.R. poteſtatẽ, autoritatẽ, ſeueritatẽ, gloria & honore ſuffraganeorũ ſuorum pro veteri ſua rebellione, & maleſuaſa maleſuadáque recalcitratione, præque aliis exceſſibus, diu priuata, & antiquis ſuis ac præclaris ornamentis nudata, quaſique membris mutilata ſuis, truncata, confuſa, iacente, tum benignius, quàm potentius actum eſt, reddito ei ad complementum Pallio, id eſt, honoris plenitudine. Ita bis eſt eiuſdem Rom. poteſtatis plenitudinem, & autoritatis integritatem experta. *Pallium, honoris plenitudo.* Hæc, inquam, omnia, aliáque plura & maiora per nos R.P. liceant, ſed ad ædificationem, nõ ad deſtructionem, omnia pro veritate, nihil cõtra veritatem, 2. Cor. 10. 13. & vbi ratio dictat, nõ libido, vbi neceſſitas vel vtilitas vrget, vbi nõ quod libet, licet, ſed quod licet, ac expedit, libet. Nã vt idẽ vir pi⁹ ibidẽ addit illicitũ, nec niſi pro magna quidẽ neceſſitate ſacri canones iudicãt, Epiſcopo in Archiepiſcopi tranſlationem conceſſam eſſe. De cuiuſmodi promotionibus, deiectionibus, & mutationibus penſata Eccleſia-

rum vtilitate,præ qua maiores interim minorare fas sit,& minores maiores facere, Extra. lib.1.titul.7. Verùm hæc siue potestas,siue prerogatiua & priuilegium,cùm vt reliquæ maiores ecclesiarũ causæ,penes R. S. hactenus fuerint,factũ est posteriorib⁹ seculis, vt quod meritò in Cõcilio Basiliẽsi Ludouicus Arelatensis querebatur,in Cõciliis id demùm fiat,& necessariò fiat quod nationi placeat Italicæ., vt quæ sola Episcoporũ, qui & ipsi soli vocẽ illic decisiuã habent, numero nationes alias æquet aut superet, sicut scripsit li. 1. de gestis eius cõcilij Æneas Sylui⁹ nondũ Pius. Hæc illa est Helena, quæ nuper Tridẽti obtinuit. Ergo cõstituas siue Episcopos per diœceses,siue Presbyteros per parœcias,vt pastoralis curæ onus facilius sustẽtetur,si per multos diuidatur,*sicut & ego tibi disposui*, vel cũ apud te essem,de consecratione tũ Episcoporũ,tũ Presbyterorũ te instruxi,quales tibi designaui, nõ quales fortè vel animus carnaliter vellet,vel carnales persuaderent,breuiter,vel quales tibi præsenti mãdaui, vel in forma quam in præsenti mãdo, quæ sequitur,q.d. iuxta formã Ecclesiæ, Quam dũ recolit,sicut ei disposuerat,monet exequi. Audiant igitur Episcopi,qui per vrbes Episcopos, per pagos Presbyteros ordinãdi potestatẽ habẽt,sub quali lege Ecclesiasticæ constitutionis ordo teneatur, nec putẽt Apostoli verba esse,sed Christi ad discipulos dicentis, Qui vos vel audit,vel spernit, & me, & eũ qui misit me,vel audit vel spernit,

Italicæ nationis potestas.

Helena Tridenti.

Luc.10.Qui Pauli ergò lege contempta, Ecclesiasticum gradū alicui gratia, non meritò detulerint, manifestè aduersus Christū faciunt, qui qualis in Ecclesia tum Episcopus, tū Presbyter sit constituendus, per Apostolū suū in sequentibus executus est. Et hîc quoque cū Hieronymo gemamus, quando aliud nō possumus, nūc, vt tūc, imò tātò magis quàm tunc, quātò secula profecerunt, ac etiānum in peius proficiunt, tā multos hanc rem beneficiū, quod vocant, facere, vt non eos quærāt qui Ecclesiæ plus prodesse possint, & in ea colūnas erigere, sed vel quos amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiā rogauerit, vt deteriora taceam, qui vt clerici fierent, muneribus impetrarunt, 8.q.1.ca.Moyses. Videamus ergò qualis seu Presbyter, seu Episcopus ordinandus sit, *Si quis sine crimine est*, Cùm in 1.ad Timotheum meditaremur, principi & antistiti, cui permultum debemus, vel prælecturi, vel prędicaturi, nihil in hanc nos vnquam scripturos cogitantes, contulimus quæ illic describitur, cum hac quę sequitur, Episcopographiam, proinde si hic fuerimus vel minuti & ieiuni, quasi eorum quæ illic colligimus securi, lector ad ea recurrat, & ex illis hæc suppleat: vel superflui, ac eadem interim iteremus, hęc & illa non tam vicina, quàm eadē esse consideret. Quæ igitur sequuntur dotes & conditiones, in omnibus quidem Ecclesiæ ministris requirūtur, sed in Episcopo quàm in Presbytero, & in

Episcoporū indigna promotio.

hoc quàm in diacono excellentius esse debẽt. Prima ergò cleri dos & conditio, ἀνέγκλητος, qua voce de diaconis vtitur, 1.Tim.3.ministrẽt (ait) ἀνέγκλητοι, de omnibus item Christianis, 1.Cor.1. confirmauit vos Dominus ἀνεγκλήτους, & Coloss.1.vt exhiberet vos ἀνεγκλήτους, coram ipso,quorum vltimo loco Latinus interpres irreprehẽsibiles vertit,quos hoc & superioribus sine crimine verterat, alij inculpatos. Verùm Græca vox non ita sonat,quasi dicas omni vel crimine vel culpa vacantes,sed,quod plus, quẽ nemo possit accusare vel criminari, seu in ius aliquod ob crimẽ vocare, quod plus est quàm culpa vacare vel crimine,quia integritas nõ ratò calumniæ sit obnoxia,ob speciem probabilem culpæ.At Paulus nè hoc quidẽ fert in Episcopo,Sit,aiunt hic Græci, talis, cuius nemo mores suggillare possit aut carpere, vitam ducat ab accusatione liberã,nullam det occasionẽ repræhẽsionis,modò iustæ,nec eo tãtùm tempore quo ordinãdus est, talis sit,aut qui prętęritas maculas noua conuersatione diluerit, sed ex quo tempore in Christo renatus est, nulla criminis conscientia mordeatur. Quo enim modo Ecclesiæ præses malum de medio eius auferat, qui tacitus sibi respondeat, eadem se quæ corripit admisisse? Conuenit ergò eum crimine carere, integra tum fama, tum fide esse, alicuius(vt ita dicam) criminalis infamia non laborare,tum libera fronte aliorum sic arguere crimina,vt nemo valeat obiicere sua.Nõ quòd

ἀνέγκλητοι qui sint.

Integritas non rarò calumniæ obnoxia.

Crimine carere.

qui post baptiſmum mortaliter peccauerit, eligi non poſſit, vt hîc obſeruat Aquinas, ſed qui magis graui & accuſatione damnationéque di gniſſimo peccato infamis ſit, quale peccatum crimen vocant. Et hinc Auguſtinus ad Bonifacium, li.1.cap.14. colligit, neminem in Eccleſia rectè ordinari poſſe, ſiuel hîc dixiſſet Apoſtolus, Si quis ſine peccato, vel illic, miniſtrẽt nullũ peccatũ habẽtes, multi quippe fideles ſunt ſine crimine, ſine peccato in hac vita nemo. Et de perfectione Iuſtitię cõtra Cęleſtiũ, cap.2.11.12. Cùm Apoſtolus miniſtros eligeret ordinãdos non ait, Si quis ſine peccato, quod inuenire nõ poſſet, ſed, ſine crimine, quod vtique poſſet. Legitur ſanè homo ſine crimine, Iob.1. ſine querela, Luc.1. non legitur ſine peccato, niſi vnus hominis idémque Dei Filius vnicus: quia non ideo ſine vllo peccato aliquis eſt, ſi non habet maculam criminis, ſi ingreditur ſine macula, Pſal,14. ambulat ſine querela. Nec enim vt idẽ in Enchiridio, cap.64. quia peccatum eſt omne crimen, ideo crimen eſt etiam omne peccatum, ſanctorum quippe hominum vitam, quãdiu in hac morte viuitur, inueniri poſſe dicim⁹ ſine crimine: Peccatum autem ſi dixerimus quod nõ habemus, nos ipſos ſeducimus, 1.Ioã. 1. Eadem de cauſa Gregorius Moralium lib.31. cap.9. Virum ait gratia ſacerdotali dignûm, ſine crimine, non ſine peccato hîc deſcriptum. Sic ſanè Latini diſtinguentes, humanę hinc infirmitatis, illinc maledicentiæ rationem quàm

Iob ſine crimine.

Sine peccato, vnus Dei filius.

Peccatũ omne non cõtinuò crimen.

Græci plus habuerũt, nisi quòd inter hos Theodoretus, non cuiuis, sed iustæ modo reprehensioni affinem hic exponit, hoc est, non qui nũquam sit culpatus, à maleuolis præsertim & inimicis, sed qui iure culpari nequeat. Alioqui ne Christum quidem inculpatum vocaueris, licet inculpabilem omnium rectissimè. Sicut ergò Episcopum irreprehensibilem, non irreprehẽsum, alibi vertit vetus interpres, sic moderni hic inculpabilem quàm inculpatũ rectius vertissent. Et hæc rectè integritas requiritur ante electionem, vt cùm in Ecclesia post baptismũ, tum etiam inter extraneos sic vixerit, vt bonum ab eis testimoniũ referat, 1. Tim. 3. Electo verò duplex necessaria integritas, vt inculpatè tum viuat, tum ministret. Nam bene docentes & malè viuentes, meritò reprehenduntur, Mat. 23. bene in speciem viuẽtes, & malè docẽtes, nihilo magis sunt inculpabiles, imò prioribus peiores: Quid malè viuentes, & peius docẽtes? Sit igitur vtrobique minister, tum in vita, tum ministerio inculpatus. Sed quæ crimina hominem vel promouendũ inpediant, vel promotũ deiiciant, nos abundè lib. 3. Digress. ca. 9. & 11. Dictum est in genere, Presbyterũ oportere inculpatum esse, Descendit ad species quę in eo requiruntur, vt talis sit, *vnius vxoris vir*, De hoc sacrorum ministrorum charactère nobis fuit, vbi suprà, triplex expositio, Orientaliũ, vt noster hic, non habeat duas simul vxores, quæ quorumdam est consuetudo. Sed hoc Aquinas

Christus inculpabilis, sed nõ inculpatus.

Eligendi & electi Episcopi integritas

negat Paulo dictu fuisse necessarium, quòd secũdum leges, Romanis, quibus Apostolus scribebat, ne id quidem antе Christianam fidem liceret, hoc nunc non excutio, fortius est quod obiicit, I. Tim. 5. totidem verbis, hoc est, nisi vnius nempe viri vxorem viduam, in stipẽ Ecclesiasticam non recipi: Certum autem est vni mulieri nunquam plures simul viros habere licuisse. Pergunt tamẽ hinc Græci hæreticis matrimonium criminantibus ora obstruere, & silentium imponere, quòd res tam sancta sit & honorabilis, Hebr. 13. cum qua quis tum potuerit Ecclesiæ præesse. Quibuscum idẽ argumentum tractans, hoc est, nuptias defendens autor quæstionum mixtim Augustini titulo, ad finẽ operis, hinc (ait) Apostolus, eum qui vxorem habeat, si in cæteris mandata seruet, sacerdotẽ fieri posse ostendit, quod si foret illicitum, nõ poterat vtique peccatorem dicere debere fieri sacerdotem. Et quid tam apertum? Verùm hãc miscellaneorum farraginẽ nullius minus quàm Augustini puto. Nec tamẽ minus hinc arcent iidem Gręci lasciuos atque petulcos, quàm Paulus maritum quidem hic Presbyterum admittit, sed vnius tantùm legitimæ: Et alteræ enim nuptiæ, cõcessæ licet & humanis legib⁹ permissæ, multis tamẽ cauillis & conuitiis sunt obnoxiæ: non vult autem præsules subditis sui vel irridendi, vel contemnendi aut etiam minoris æstimandi causam dare, quasi minus bene Ecclesiæ præfuturus sit, qui vxori vel vnicæ,

Vxores Episcoporum.

Nuptiæ secũdæ cauillis obnoxiæ.

vel præmortuæ beneuolentiam non seruari. Verùm hîc Græci, vel eorum magis interpretes non conueniunt iis quæ ad Timotheũ cōmẽti clarissimè sunt de polygamia vera ac propria, hoc est, plurium coniunctim vxorum ductione, de qua eadem nisi hic sentiunt, vix etiã sibi constant: An non enim secundę nuptię nō mundanis tantùm, sed Christianis quoque legibus, Rom. 7. 1. Cor. 7. 1. Tim. 5. adeò licent, vt qui illicitas senserunt, atro hæreseos carbone, & quidem meritò, notati sint? Secutus est Græcos ex Latinis hic & ad Oceanũ Hieronymus. Reliqui magno consensu Monogamum intellexerunt, qui vnam tantum & legitimam vxorem nouisset, Et hinc notant sacris hominibus quædam aliis licita prohiberi, quò nimirũ possint & alios ad continentiam hortari (non enim nullum sunt incontinentiæ signum alteræ nuptiæ, verùm multò magis concubitus vagus & meretricius, &c.) Huic igitur malo Hieronymi nodo cuneum apposuerunt post Augustinum, Anselmus, Aquinas, &c. non absurdè visum esse eum, qui singularem vxorum numerum excessit, peccatum licet non admiserit, quandam tamen sacramenti normam amisisse, non quidem ad bonæ vitæ meritum, sed ad ordinationis ecclesiasticæ signaculum necessariam. Plures enim antiquorum patrum vxores significabant futuras ex omnibus gentibus ecclesias, vni Christo cōiungendas, non iam tum coniunctas, noster autem antistes significat ex

Polygamia dissuadenda.

iisdem

iiſdem gentibus vnitatem vni iam Chriſto cõiunctam. Iſque cùm ſacramentorũ diſpenſator ſit, nullus in eo debet eorundem eſſe defectus, eſt autem matrimoniũ Chriſtianum coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ ſignificatiuũ myſterium, Eph. 5. Nè ergò ſignũ ſignato non reſpondeat, vt vn⁹ vnius Eccleſię Chriſtus eſt, ſic ſacerdos vnius vxoris ſit marit⁹, defecturus alioqui, ſi plures habuerit. Hæc ratio tanti ſemper fuit, vt omnis retro Eccleſia eum qui quouis modo plures vnquã duxiſſet, ſiue ante, ſiue poſt baptiſmũ, arcuerit à ſacerdotio, baptiſmo enim peccata tolli: nõ ſacramẽta. Et ita quidẽ res habet. Eccleſia nõ primitiua tantũ, ſed & multis poſt Apoſtolos annorũ centenariis, defectu tã multorũ cęlibũ, pręſertim ſeniorũ, quàm multi erãt miniſtri neceſſarij, ſacerdotes habuit maritos. Gręca quidẽ hodiéq; matrimonio ante ordines ſuſcepto vtentes, Latina autẽ olim tam poſt ſuſceptum ordinem continẽtes, vt maritis quidẽ licuerit eſſe ſacerdotes, ſacerdotes fieri maritos vix ac nè vix quidẽ vnquam. Tandem etiam ex vnius vxoris viris, nullius vxoris viros, ſiue ex monogamis agamos, adeò vt qui vnius vxoris vir Paulo vocabatur irreprehẽſibilis, Nicolao I. ad conſulta Bulgarorũ, dictus ſit, & valde quidem, reprehẽſibilis, Diſt. 28. Can. Conſulendũ. Adeò alia ætas aliam vitam affert, alios mores poſtulat. Poſtremò notandum Paulo nec alibi ſimpliciter dictum, Epiſcopum oportere eſſe maritum, nec hic Preſbyterũ eligendũ, qui

Matrimoniũ christianum, coniunctionũ Christi & Ecclesiæ mysterium.

Cælibatus ſacerdotum.

ſit vxoratus, quaſi neuter, niſi talis, eligẽdus, ac proinde agami, cælibes, innupti, ſpadones, vel ab hominibus, vel à ſeipſis ob Dei regnũ caſtrati, Mat. 19. futuri ſic nõ fuerint digni ac idonei Eccleſiarũ miniſtri: ſed vtrobíque dixit, vnius vxoris maritum, ſignificans nõ eligendum digamum, aut polygamum, id eſt, plurium vxorũ maritum, vt ridiculi ſint qui ſic argutantur, Si vnius vxoris eſſe maritum, miniſtrum conſtituit inculpabilem, ergò nullius vxoris eſſe maritũ, culpabilem reddit & indignum: Sic enim ne Chriſtus quidẽ ſatis prudẽter dixiſſet Eunuchis ſuis, vbi paulò antè, Qui poteſt capere capiat, rectius ita dicturus, Nemo veſtrûm à coniugio abſtineat, nè fortè ſitis ad miniſterium meũ idonei. Non ergò Paulus neceſſariò maritum requirit. Sed ſiquidem maritum eligi contingeret, vna modo vxore contentum requirit. Quod & tanto poſt Paulum legitur inter Syluestri I, conſtitutiones apud Platinam, Gradus eum in ordinibus Eccleſiaſticis conſtituiſſe, vt vnuſquiſque vno tantũ ordine ſit contentus, & vnius ſolùm vxoris vir. Quam conditionem ne exiſtimaremus ſufficere, nec referre quàm parum honeſtam habeat familiã, addit & hanc cautionem, Nè quis eligatur, vnius licet vxoris vir, niſi *filios habens fideles*, Eodem quo ſuprà ſenſu, non quòd oporteat Preſbyterum patrẽ eſſe, aut ordinari nequeat, qui orbus ſit aut illiberis, ſed ſiquidem pater eſt, & liberos habet, ij ſanæ ſint fidei oportet, in qua ſuus eos pater

Digami & polygami ſacerdotio indigni.

Liberi Preſbyterorum quales ſint.

ſanè inſtruxerit, qui enim ad aliquid inſtituitur, in eo debet eſſe verſatus, aliàs minus ad id prudẽter inſtitueretur. Epiſcopus autem ad tria conſtituitur, primùm vt fidem doceat, Docete omnes gentes, Mat. 28. & iidẽ in Eccleſia ſunt, aut certè eſſe debent paſtores & doctores, Eph. 4. & Epiſcopum oportet eſſe doctorem, 1. Tim. 3. 4. attẽde doctrinæ. & hic paulò infrà, amplecti doctrinam, &c. præſumitur autẽ benè docendo exercitatus, ſi bene alios, præſertim ſuos docuerit: è contrario, qui filiorum quos ab initio ſecum habuit, doctor non fuit, quomodo alios docere poſſe putãdus ſit? Filij tibi ſunt? erudi illos, Eccl. 7. Secundò requiritur, vt populum & virtutibus imbuat, & à vitiis repurget. Sequitur ergò, *non in accuſatione luxuriæ*, ἀσωτίας, luxus, ne quis hic cum Lyrano luxuriam pro libidine, vel pro laſciuia cum Aquinate, quanquam magna eſt horum vitiorũ affinitas, accipiat. Sentit autẽ de luxu infames, vel potius infamatos nedũ ſuſpectos, nec ſimpliciter intemperantes, ſed quos de intẽperantia vel alius accuſarit, vel malus etiam rumor hoc crimine aſperſerit, helluones, prodigos, comeſſatores, dato ita exemplo, qui filios ſuos peruerti ac luxu diffluere permiſerit, minus Eccleſiæ filios benè formaturũ, aut correcturum. Et hoc enim tertiũ neceſſariũ eſt, vt & inquietos & inordinatos caſtiget ac corripiat, 1. Theſſ. 5. vnde ſequitur, *aut non ſubditos*, rebelles, contumaces, intractabiles, nõ obediẽtes, nec in patria (quod

Epiſcopus ad tria cõſtituitur.

Luxuria, ἀσωτία.

Filiorũ curã quãta habẽda.

aiunt) potestate: Equus indomitus euadit dur*, sternax & desultorius, filius remissus, & disciplina solutus, fiet præceps & temerarius, Eccl. 30. Qui in coërcendis ergò filiis remissus fuerit, satis ostendit quàm non sufficienter coërciturus sit creditam sibi Ecclesiam. Nam si quorum ei per naturæ leges & scripturæ omnis indulta erat potestas tum vitæ, tum necis, regere moderaríque non potuit, vel magis neglexit, quomodo alienos, in officio continebit? Non enim temerè fit, vt qui magna diligentia summóque studio ab initio sit educatus, malus euadat, quòd non sint adeò nobis innata naturaliáque peccata, vt parentum curam, quãta presertim esse debet, exuperent. Et hic nobis cum Chrysostomo dolendum, parentes hodiernos pecuniæ, imò pecorũ, maiorẽ quàm filiorũ habere curam, & opibus plerunque congerendis quàm liberis liberaliter instituendis, plus adhibere studij. Magnũ sanè, si hoc nequeunt, desidiæ stultitiæque indiciũ: si nolunt, duritiæ crimen & impietatis. In his ergò rebus, in quibus adeò naturalis vrget affectus, hoc est, in educãdis filiis negligentes, sacerdotio qui admoueãtur, ĩdigni, digni interdũ, qui admoti sint, remoueri. Ecquo enim iure tales ad Episcopalẽ thronum promoueantur, aut tantum subeant regiminis onus? Vult ergò Paulus futurę in Presbytero doctrinæ experimentũ de priore domus eius disciplina nasci, atque etiam nosci, cauens ne quis eligatur, de quo nõ sit expressum in fa-

Parentum cura pro filiis quantum momẽti habeat.

milia ipsius argumentum, quòd cōpetenter curabit ac reget alienam, hoc est, Dei domū Ecclesiam. Porrò quàm dura sit hæc parentū conditio ex tam multis bonorum patrum malis liberis, vt hic prolixè commonet Hieronymus, omnino huc spectabat, si non, vbi antea, collegissemus. Extat canon 14. Concilij Carthaginēsis 3. Vt episcopi vel clerici filios suos à sua potestate per emancipationēexire nō sinãt, nisi de morib⁹ eorū ac ætate securi, vt possint ad eos iam propria pertinere peccata, iuxta id nimirū,

Puerorū disciplina quã seuera sit habenda.

Blanda patrum segnes facit indulgentia natos.

Nota sunt illa, Qui parcit virgæ, odit filium: qui diligit, instãter erudit, Prov. 13. 23. Noli subtrahere à puero disciplinã, si castigaueris eū, nō morietur, animã eius de inferno liberabis, & 3. Quis enim filium non corripit pater? Hebr. 12. Eccl. 30. Qui amat filiū, assiduat ei, seu crebra admouet flagella, vt lætetur in nouissimo, nec ostia proximorum palpet. Curua ceruicē eius, dum infans est, tūde latera, ne fortè induretur, nec credat tibi, & erit dolor animæ tuæ, &c. Spectabat & huc de honore & iure parentum admonere, sed ante aliquot annos excidit nobis hac de re cōcio vernacula bene lōga, Legat cui tantum est otij. Illud propius literam, & magis monitu dignū, malos habentē filios, à sacerdotio nō mirū arceri, cū propter tales ab aliis legitimis actibus patres arceantur. Testes, inquit Adrianus Papa, sine aliqua sint infamia, vxores & filios habentes, Christum omnino prædi-

cantes, 6. q. 1. ca. Qui crimen. *Oportet enim Episcopum*, hic dicit Episcopum, quem superius Presbyterum nominauit, alioqui in vna ciuitate, vnum Episcopum non plures, multos autẽ mos est esse Presbyteros, iuxta Cabilon. ca. 4. vt duo in vna ciuitate penitus vno tempore, nec ordinentur, nec habeantur Episcopi. Et non tulerunt Toletani, vbi paulò antè, Episcopum à principe Bamba in suburbio Toletano in ecclesia prætoriensi ordinatum. Hoc quoque loco abutitur lib. 1. quæstionum mixtim, Augustino falsò (ni fallor) ascriptus, cap. 101. Presbyterum Paulo intelligi episcopum hinc probans, quòd quem ordinauit Presbyterum, instruit qualem debeat creare Episcopum: Quid enim est Episcopus, nisi primus Presbyter, hoc est, summus sacerdos? Denique nõ aliter quàm compresbyteros hic vocat & consacerdotes suos, & in Alexãdria, & per totam Ægyptum, si desit Episcopus, consecrat Presbyter. Quia ergò hic & aliquoties alibi indifferenter vtitur episcopi & Presbyteri nomine, sumpta hinc occasione, Aërius episcopatum quem ambiebat non adeptus, se ab Ecclesia diuisit, & docuit Episcopum in nullo à Presbytero differre, ideo inter veteres hæresiarchas relatus. De quo & contra quem, Digressionum nostrarum lib. & cap. 1. ampliter. Repetit ergò tum Episcopum, tum Presbyterum, vndique exactum esse debere atque inculpatum, extra criminis (quod capitale vocant canones) actum

Episcopi ne plures sint in vna ciuitate.

Episcopus & Presbyter differunt.

& ſuſpicionem. Sed vt habet Aruernenſis canon.15. tam ſancta conſcientia reſplendere, vt actuum probitate maledicorum effugiant obloquia. Sunt enim crimina quædam tam horrẽda, vt his implicitos, ſi hi fortè ſubrepſerint, tam qui antè peccauerunt, detectos repelli, quàm ſacræ profeſſionis oblitos, ſanctúmque propoſitum præuaricatos, ſubmoueri, venerãda maiorum inſtituta oportere pronuncient, vt eſt in Gelaſij I. Decreto. 20. Conuenit autẽ talem *ſine crimine eſſe*, ſicut anteà cum elegit vel Presbyteros, vel diaconos, vel quencunque ad Eccleſiæ præpoſituram ordinandum, non ait ſine peccato, hoc enim ſi dixiſſet, omnis homo reprobaretur, nullus ordinaretur, ſed ſine crimine, quale eſt homicidium, adulterium, fornicatio, furtum, fraus, ſacrilegium, &c. Sic Auguſtinus in Ioan. tractatu 41. Crimen, vt ſuprà, exponens peccatum graue, & accuſatione digniſſimũ, ſine quo quidẽ nunc ſatis bene viuitur, ait idem in Ciuitate li. 14. cap. 9. Sine peccato autem qui ſe viuere exiſtimat, non id agit vt peccatum non habeat, ſed vt veniam non accipiat. Sed ſecùs obiter Chryſoſtomus, Homil. 2. de Patientia, conferens hunc locum cum Iob. 1. Erat vir irreprehẽſibilis. quod verbũ ſic examinat, Aliud crimen, aliud reprehenſio: illud in peccatis grauiſſimis, hæc in leuioribus: ab vtriſque longè fuit iuſtus hic, quis enim magna ei obieciſſet, vbi nec locum minoribus eſſe videbat? Quem de adulterio & homicidio accuſare non habes, is ſine crimine

Crimina horrenda.

Criminum ſpecies.

est,In quoauté non iniuria reprehendas detractionem,maledicta,ebrietatem, is crimine vacuus non sine reprehensione viuit. Et à paruis ergò ac minimis quibusque culpis procul fuisse virum hunc ostendit, sicut & alicubi Deus Abraham irreprehensibilem dicit. Hoc autem pro modi excellentia suscipitur, Paulus enim vbi ad gentes proficiscitur,summũ eis virtutis pondus non imposuit, In orbe auté adulteriis fornicationibúsq; pleno pastores constituturus,quia raræ virtutes inuenirentur, Episcopos ordinans, Tito dixit, *Sine crimine*. Porrò *irreprehensibile*, tunc locum non habuit, quia pietatis vigor deficiebat. Magnũ irreprehensibilé esse:medium sine crimine esse, at florente pietatis verbo electio melior,cùm irreprehensibilis,&c.eligatur.Sit huius distinctionis fides penes Latinũ Chrysostomi interpretem. Alioqui Paulus non tantùm sine crimine,sed &(quoad eius fieri potest)irreprehensibiles esse vult cùm omnes Christianos,Col.1.tũ viduas přsertim, 1.Tim. 5. omniũ verò maximè Episcopũ, vita, & verbo, & mandato. 1.Tim.3.6.|Tit. 2. *Sicut Dei dispensatorem*,qui vtique sine peccato est, vt Domini sui puritatem,quoad eius fieri poterit, imitetur,quãdo nõ sua sunt,sed Dei atque Domini sui,quæ dispẽsat.Magna nimirũ dignitas, non diuina modò,sed Deũ ipsum tum verbi,tũ sacramentorũ ministerio dispẽsãtis magna op⁹ habet custodia. Sicut boni dispẽsatores mysteriorũ,& multiformis gratię Dei,1.Pet.4.1.Cor,

4. Si enim humanarũ legũ diſpenſatores probi quæruntur & iuſti, quales eſſe debent, qui diuina iura, imò Deum, vt dixi, diſpenſant? maior enim requiritur in ſpiritualiũ, quàm in temporalium diſpenſatione diligentia: Quæritur ergo inter diſpenſatores, vt fidelis atque prudens quis inueniatur, Luc. 12. non cum ebrioſis comedens & bibens, non ſeruos percutiens, ſed conſeruis in tempore cibaria tribuẽs. Hæc enim ſola inter villicum & familiam eſt diſtãtia, quòd conſeruus conſeruis præpoſitus eſt. Sciat ergò epiſcopus & Presbyter, populũ ſibi conſeruum eſſe, non ſeruum. Horũ criminum à quibus immunem eſſe vult epiſcopandum, primum eſt, *Non ſuperbum*, Ambroſio & Hieronymo proteruum, modernis aliis præfractum, aliis audacem, durum, inflexibilem, ſui ſenſus nimium tenacem, qui de ſua ſententia diſcedere nequeat. Durities ſanè, & ingenij intractabilitas incõmoda valde eſt, qui ſe moribus eorum accommodare debet, quibus prçeſt, & fieri omnib⁹ omnia, 1. Cor. 9. in cauſis præſertim indifferentibus, in quibus aliorum ſententiis non impiis poſſit cedere, aut locum dare, ſic vt ſuo vnuſquiſque ſenſu abundet atque fruatur, Rom. 14. propter retinẽdam pacem, Nam vbi fidei doctrina periclitatur, ibi duritia virtus eſt, & conſtantia epiſcopo non modò digna, ſed neceſſaria. Non ſibi placentem, vel tumentem quòd epiſcopus ſit, ſed tanquam bonum villicum, requirentem quòd pluribus proſit, non

Superbus quis intelligendus.

aliis se superponi cupiētem, aut eos suppeditātem, contra illud Eccl. 32. Rectorem te posuerunt? noli extolli. Et mundi quidem huius principes etiam inuitis dominantur arbitratu suo, & contra subditorum plerunque sententiam atque voluntatem moliuntur, Episcopus verò, cùm volentibus præsit & eligentibus, si suo omnia arbitratu vel libidine potius, trāsigit, quasi nulli rationem redditurus, tyrannicè magis quàm populariter, imò Christianè, episcopatū exercet. Qualem monstrosè superbum depinxerunt Eusebius, lib. 7. cap. 30. Nicephorus, lib. 6. cap. 28. 29. 30. Paulum Samosatenum Antiochiæ episcopum, qui vsurpatis mundi dignitatibus, ducenarius quàm episcopus vocari maluit (Notat autem Lāgus Nicephori interpres, ducenarios videri fuisse, qui nunc apud Reges & principes sunt Cancellarij) cum satellitio publicitus egrediens, magno numero his præcedentibus, illis sequentibus, thronū in ecclesia sublimiorem, non vt Christi discipulus, sed more principum seculariū, separatum habēs, subinde manu femur pulsans, & pedibus suggestum quatiens, in defunctos pastores & doctores impudenter inuehi, & debacchari solitus, Psalmis de Christi gloria, tanquam recentioribus, abrogatis, subornatísque mulierculis, quæ in medio templo magno die paschæ de illo psallerent, Episcopis item & presbyteris adulatoribus summissis, qui ad populum de hoc impio, vt magistro cælitus misso, & quodam

Paulus Samosatenus.

Ducenarij qui fuerint.

quasi angelo concionarētur. Et hic igitur blasphemus episcopatu pulsus est àcoëpiscopis,& cùm cedere nollet,communione priuatus, inuocato (quod aiunt) seculi brachio,Aureliano Imp.Eadem fuit Nestorij Constantinopolitani episcopi insolentia & ferocia , prima statim ad Theodosium minorem concione, Da mihi (aientis) Imperator, terram ab hæreticis liberam,ac repurgatam,& vicissim cælum tibi red dam,Tu mihi hæreticos extirpa,disperde,Ego tibi Persis delendis adero. Quò ergo euasit superba hæc magniloquentia?Audiit non modò ab hæreticis, sed suis quoque domesticis cũ vocantibus Fidei incendium, siue incendiarium, hæresim fecit sui nominis,episcopatu in exiliũ mutato miserè periit.Socrates,lib.7.cap.29. Nicephor.lib.14.cap.31.Tripartit.lib.12.ca.4. *Nestorius Constantinopolitanus episcopus.*

Sequitur in textu, *Non iracundum* , & arrogantiam enim comes sequitur iracundia, nam superbi perfacilè irascuntur.Est autem iracũdus, non qui aliquando , sed qui semper , aut certè crebrò hoc animi impetu laborat , & hac passione superatur,qui ad leuem responsionis auram,quasi à vento foliũ mouetur.Et reuera nihil preceptore furioso fœdius,qui mãsuetus es se debeat,humilis,patiens ad omnes,etiã conuenientes, non rixosus , non litigiosus, 2. Tim.2.toruo contrà vultu, tremẽtibus labiis, rugata fronte , effrenatis conuitiis, facie inter pallorem ruborémque variata , clamore perstrepat, errantes non tam ad bonum retrahat, *Iracundus quis dicatur.* *Præceptore furioso nihil fœdius.*

quàm ad malum ſæuitia præcipitet. Hinc illa, Ira perdit etiam ſapiẽtes, operatur ſuperbiam, Prou.21. non iuſtitiam, Iac.1. Ab hoc animi morbo cùm Chriſtianos omnes, tum epiſcopum in primis abeſſe conuenit, vt cui etiam ſi modeſtiſſim' fuerit, plurimas hîc eccleſiæ primatus iracundiæ occaſiones, nè dicam neceſſitates, & moleſtias quotidianas, ſuggerat. Ad hunc ergò, niſi hæc anteà longè pręmeditatus venerit, permulta quæ ſunt ſui muneris, peruertet atque corrumpet, peruerſis peruerſus, moleſtis ſibi aliis viciſſim ipſe moleſtus & ingratus: qua enim ratione alios regat, caſtiget, & vt ab hoc affectu caueant, obtineat, qui animum non prius ſuum rexerit, domuerit, & caſtigauerit? Theodoretus iracũdum hîc exponit, qui

Iracundus. meminit acceptæ iniuriæ. Et verò ita in ſcripturis pro vltione tũ Dei, tum hominis, ſæpe accipitur, Locos indicant Benedictinæ Cõcordantiæ. Eſt autem ὀργίλιος, irritabilis, ad iraſcendum procliuis, vitium ſanè noxium, & muneri epiſcopali admodum inconueniens. Sit ergò cũ Chriſtianus omnis ad iram tardus, Iac.2. tum epiſcopus, ingenio miti, placido, humano

Vinolentus. præditus. Sequitur, *Non vinolentum*, Ambroſius vino deditum, multo præſertim, vt de diaconis dixit, nec enim requirit abſtemium, neque dicit, Vinum non bibentem, ſed vino, vt ita loquar, aſſidentem, ſiue aſſiduum, & hoc quoque iræ incentiuum eſt, imò inſaniæ, pocula in tela vertentis, ſcyphum in conuiuæ faciem iacien-

tis,in aliena vulnera prorumpentis,clamantis,aut contrà dormientis,bibentis vt vomat,vomentis vt bibat, quod nos porcinum vinum vocamus,aut etiam cantillantis, cachinnãtis, quod Simiæ,ſicut ſuperius illud leonis digeſtio ventris,& guttur vno occupantur officio,vt hîc& alibi Hieronymus,lib.2.in Iouinianum,guttur ſuum meditatorium efficiunt latrinarum.Qui ita comparatus eſt, parum muneri huic aptus eſt,Sobrietatem,vigilantiam,grauitatem,modeſtiam, mititatémque requirit ſenſus vt ſimplicior, ſic verior, Quanquam Græci non tam non ebrioſum,aut non vinolentum exponunt quàm non iniurium,non cõtumelioſum, non debacchantem, ſæuum, ferocem, Quid enim conuitiis aut iniuria opus eſt, ac nõ potius Gehennæ comminatione, & iudicij ſupremi terrore peccantes emendare?Nam cui contumelia infertur,plerunque fit audacior & impudẽtior,& ad eum qui ſe ita affecerit,contemnendum magis inducitur,vt iniurioſum,minúſque proinde venerabilem,ac reuerendum. Magna neceſſe eſt modeſtia & patientia loquatur epiſcopus , ſitque omnis eius ſermo diſcretionis ſale conditus,Col.4. Si zelum (ait) amarũ habetis,non eſt hæc deſurſũ ſapientia,Iac.3.quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt,Rom.3.ex Pſal.13.Omnis ergò amaritudo, ira,indignatio,clamor, & maledicentia tollatur,cum ab omni Chriſtiano, Eph.4. tum ab epiſcopo,quẽ tamen ſi fuerint qui prohibeant

Vinum porcinũ, Simiæ, Leonis.

Modeſtia epiſcopi.

quæ ſui ſunt muneris exequi,magna is nõ au-
toritate modò, ſed & auſteritate rem tractet.
De clerico vinolento,nos Digreſſionum, li.2.
cap. 14. In vtrunque etiam ſenſum enarrant
quod ſequitur, *Non percuſſorem,* neque pugno,
Percuſſor. neque carnalibus armis. Habet enim arma ſpi
ritus,neque debet percutere diſcipul⁹ eius, qui
percuſſus non repercutiebat, Ioan.18. Et hoc
quoque vitium tum iræ,tum ebrietatis ſequela
Maledicētia eſt,& ex vtraque frequenter oritur.Sed nec a-
cerba lingua,aut verbis amarulentis,percuſſo-
rem,hoc eſt, maledicum, vt eius nihilominus
vicarium,qui cum malediceretur,non remale-
dicebat,cum pateretur,non comminabatur,1.
Petr.2.Corripiat ergò,non percutiat,animarũ
vtique medicus, medic⁹ autem vulnera curat,
non infert,nec ægrotum ferit, ſed ſi hic fortè
Correptio. percuſſerit,eum ſanat.Corripiat autem cũ om
ni lenitate,futurus alioqui,qua non oportet re
prehenſione vtens, percuſſor, & omnis enim
animaduerſio & caſtigatio contumelia vacare
debet,1.Officiorum. Breuiter, nè aliter quàm
oporteat, loquendo aut conuerſando, audito-
rum & fratrum infirmas præſertim conſciẽtias
percutiat,vt alibi Paulus loquitur,1.Cor.8. De
percuſſore item clerico nos Digreſſ.li.2.cap.3.
& ſequẽtibus. Didici poſtmodum exemplum,
quod lectorem latere nolui,In Chronico Ma-
gunt.Chriſtianus Magũtiæ Archiepiſc. elect⁹,
bellicis rebus non aſſuetus, non diu pòſt apud
Papam accuſatus,quaſi prorſus eccleſiæ inuti-

lis, quòd euocatus ad expeditiones regis inuitus ueniret, dicens nequaquam decere incẽdia vinearum, & segetum vastitates, sacerdotẽ, sed quicquid deberet, per gladium spiritus, quod est verbum Dei, seruiturũ, monitus prædecessorum sequi vestigia, respondit, Scriptum est, Mitte gladium in vaginã. Ob hoc Regi odiosus & multis laicis, ab episcopatu, id eis apud papam obtinentibus, submotus est. Non adeò sanè mirum, si eidem historiç credere dignum est, huius prædecessorem Siphridum mirificè Pontifici placuisse, & fratrem venerabilem appellatum, quòd orphanos & viduas faceret, villas combureret, ciuitates destrueret, homines vorarer, ferro & flamma terras in solitudinem & desertum deduceret ac depauperaret. O percussorem episcopum! Sequitur, *Non turpis lucri cupidum*, Hieronymo turpis lucri appetitorem siue quod idem est, Ambrosio turpia lucra appetentem, quasi dicas turpilucrum, aut turpilucripetam, qualis esse solet qui inops est, sed vt prç se ferat magnũ pecuniarũ cõtemptũ, quasi quçst⁹ omnis, etiã si iust⁹ videatur, turpis sit episcopo, quale est terrena per adulationẽ sectari, qui cælestia promittit & diuina, prçsẽtibus nõ esse cõtẽtũ, plus quã necesse est, de crastino cogitare, de altario ditescere, non tantum viuere.

Episcopus rei bellicæ ineptus episcopatu summotus.

Siphridus episcopus percussor.

Et turpe quidẽ lucrũ glossa interlinearis & Lyra seculare, Bruno, secularibus negotiis implicari, quale est mercari, & alia quæ Ecclesiæ ministros dedecent, exponunt, quasi aliud ge-

Turpe lucrũ.

nus sit quæst⁹ ecclesiastici, spirituale nimirũ ac honestũ, Testamenta scilicet captare, res malè partas ad se auertere, facultates alienas sub religionis prætextu inuolare, inescare sacerdotia, deliras aniculas emũgere, crassos negotiatores compilare, quæstus olim iam pseudoclericis & pseudomonachis vberrimus. Quales Augustinus (ne quis hæc cleri & monachismi odio Erasmum annotauisse dicat) ad Ediciam, epist. 199. iam tum notabat, non Dei seruos, sed tuæ (inquiens) domus penetratores (2. Tim. 3.) & tuos captiuatores & deprædatores, vt quibus ea transeuntibus, omnia, vel penè omnia quæ habebat, cum tamen puerum ex marito haberet, tanquam pauperibus eroganda donauerat. Cuius & illud celebre est, nolle se quempiam exhæredatis liberis hæredem facere ecclesiã, 3.q.2.Ca. Si quis irascitur, 17.q.4.ca. Quicunque, & Hieronymi aduersus tales querimoniã, cum reliquis canonibus ecclesiasticis talium olim iam correctoribus allegaui Digressionũ, lib. 2. cap. 15. 16. de clerico turpilucro & industrio. Quibus adiicio quod idem ad Nepotianum de vita clericorum sic scribit, quæ partim citantur, 12.q.2.Ca. Gloria episcopi est, pauperum opib⁹ prouidere, ignominia sacerdotum omniũ, propriis studere diuitiis. Natus in paupere domo, & tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturabã, nunc similam & mella fastidio, noui piscium genera, nomina, littora, saporibus auiũ discerno

Deliciæ clericorum.

no prouincias, ciborum raritas, ac nouissimè damna delectant. hæc ille in clericos iam tum ex pauperibus delicatulos, nedum diuites, ac proinde turpilucros. Nam qui ditari festinat, non erit innocens, Prou.18. nec impunè feret, vt quidam vertunt, Substantia enim festinata minuetur, Prou.13. Atque vtinā nulli essemus, de quibus merito illud dici posset, Sap.15. Existimauerūt ludicram, imò lucrosam esse vitam nostram, conuersationem ad lucrum compositam, & quæstum vndecunque etiam ex mala re faciendum.

Digreßio secunda.

Sed an non αἰσχροκερδία est clarissima, quod tā multa positiuo tantum iure præcepta vel prohibita, eousque ligāt homines, donec pecunia sibi harum constitutionum gratiam impetrēt? ita vt regina rerum pecunia diuitibus licitum faciat, quod pauperibus illicitum est, quia diuitias, hoc est, spinas (sic enim eas vocat Dominus, Matt.13. Marc.4. Luc.8. & interpretatur) non habent. Hęc enim ita demum procedunt, si gratis ea facere quis intendat. Quod si dolosi spes refulserit nummi, iam quod prius erat interdictum, liberè fit ac impunè, Tam diuersa est in his relaxandis diuitis atque pauperis cōditio: vix enim quicquam prohibetur, quàm vt nè quis gratis contraueniat, & quod vetatur, numerata statim pecunia dispēsatur, quasi nullum sit peccatū maius, quam nummis carere, vt quidam apud Horatium, Serm.2. Satyr.3.

αἰσχροκερδία.

Pecunia regnum.

Dispensatio pecuniaria.

Credidit ingens
Pauperiem vitium.
Et quod alter lib.3.eleg.7. *Nunc sit barbaries grā dis habere nihil.* In casibus enim quātumuis pro tempore honestis aut necessariis, nihil vnquā nisi numeretur, dispēsatur, vt si nihil attuleris, aut numeraueris, indispensatus perpetuò maneas. Turpius quòd Patrum canonibus impositam manifestis & scandalosis peccatis disciplinam, in pecuniariam redemptionem dispēsationis titulo toties iidem commutāt, & quasi cōtrà quàm illi, ouium hi lanam & pecuniam, quàm pœnitentiam & salutem malint, Ecclesiastici rigoris in inferendis pœnitentiis & satisfactionibus immunitatē pecunia vendirant.

Legitimatio Spuriorum. Quid quod liberos vulgò conceptos, & ex dānato coitu, inconcessisque Hymenæis, contra Dei, Ecclesiæ, legūque statuta editos, eiusdem pecuniæ vi legitimant, ad omnium statuum & dignitatum capacitatem idoneos reddunt, illegitimos ad parem cum legitimis successionem habiles interim reddunt & admittunt? Et vt quod quidam ait,
A boue maiori discit arare minor,
Minores non tantùm episcopi, sed & archidiaconi, eorúmque malè officiosi (absit verbo inuidia, nam de malis loquor, quę plurima turba est, non de bonis, quorum vtinam maior esset multitudo) eorum, inquam, officiales & vicarii, plerunque dum diœceses & paræcias obequitant, nō tam facinorosos & criminum reos

pœnis & correctionibus à vitiis deterrent, quo fine peregrinationes huiusmodi olim iam fuerunt iure canonico ordinatæ, quàm pecunia præsenti & numerata titulo procurationis, nè dicam fictitiæ iurisdictionis, emungunt, & exugunt tum clericos, tum laicos. Turpissimum quod & hos cum cõcubinis, pellicibus, & meretriculis cohabitare, liberósque procreare sinunt, accepto ab eis, atque adeò alicubi à continentibus, certo quotãnis censu. habeat (aiũt) si velit. & quoties enim quisque talis, cùm tales tamen tam multi sint, hodie aliter punitur? Quæ scandala ex Grauaminibus Germanicis passim collecta, 1. 2. 5.8.67.74.75.84.91.95. Hæc, inquam, lucra turpia, odio põtificis Romani ficta sint, si non, quod ait & conqueritur ille, velut

Procurationes officialiũ

Concubinatus clericorũ

Prostat, & in quæstu pro meretrice sedet, liber palã ac publicè hic impressus & hodiéque, vt olim vænalis, Taxa Cameræ seu Cancellariæ Apostolicæ, inscriptus, in quo plus scelerum discas licet, quàm in omnibus omnium vitiorũ Summistis & Summariis, & plurimis quidẽ licẽtia, omnibus autẽ absolutio emptoriẽtibus proposita, parco nominib⁹, nã, quod ait nescio quis,

Taxa cameræ apostolicæ

Nomina sunt ipso penè timenda sono.

Mirum hoc tempore, hoc schismate, non suppressum tot támque fœdorum, támque horrendorum scelerum velut indicẽ adeò infamem, vt non putẽ in Germania, Heluetia, & vbicunque à Romana sede defectũ est, opus prostare

maiore huius ſcandalo,& adeò tamen nō ſupprimitur ab Eccleſiæ Romanæ fauiſſoribus,vt tantorum ac talium facinorum licentiæ ac impunitates,in facultatibus legatorum illinc huc

Legatorum facultates.

venientium, bona ex parte innouentur atque confirmentur,aduerſus (ſi Deo placet) quæcūque fatalia reſtituendi,ac etiā quoſcūque Spurios,Manſeres, Baſtardos,ex quocunque illicito coitu,&c. cum his qui ſe per adulteriū polluerint,vt cōnubere poſſint,periuros,ſimoniacos,falſarios item,raptores,vſurarios,ſchiſmaticos,hæreticos,ſed ad cor reuerſos,non abſoluendi tantum,ſed & ad ordines, honores, dignitates,&beneficia quęcunque,quotcunque, qualiacunque,diſpēſandi, homicidas quoque, ſed caſuales,ſeu inuoluntarios,nam nec voluntarios quidē excepit Taxa ſuperior,presbytericidas,parricidas,matricidas,fratricidas,ſororicidas,vxoricidas,infanticidas,veneficas, incantatrices,cōcubinarios,adulteros,inceſtos,cum affinibus aut conſanguineis,denique cōtra naturam,cum brutis,&c.Habeat iam Roma pudorem, & tam nullius frōtis criminum omne genus catalogū proſtituere deſinat.Iā vt omit-

Annatæ.

tā Annatas,quocūque colore vel prætextu exigantur,in Baſilieſi Concilio,Seſſione 21.de *Simonia* dānatas: qua ſubtilitate ab εἰσκυρονκερδία, excuſari poſſunt,quæ vocātur.Expectatiuę gratiæ,reſeruationes in pectore,beneficiorum primo curreti collationes, plurium curionatuum ad vnum ſacellum vel canonicatū,aut ſimplex

Expectatiua gratia.

alioqui beneficium vnio seu vnitio, nè scilicet obstet pluralitas,mandata,præuentiones,popinæ,minuta,seu cõmunia seruitia,regressus,omnium fructuum pensionis loco retentiones,& infinita id genus,primùm quidem Ecclesiæ tãdiu inaudita,nec à rediuiuis Petro ac Paulo intelligẽda,vt id nihil hactenus fuerit, quã quod prior prædixerat, fictis verbis in auaritia de nobis negotiari,2.Petr.2.Deinde tanta & talia,vt nè sui quidem glossographi ea nõ incusent?Sic enim Innocentij VIII.Regularum scholiastes, modò cameram Apostolicam pecuniarũ matrem appellat,modò venalia Romæ omnia ex Iugurtha Sallustiano agnoscit, modò multa statui cõcedíque pecuniæ indirectè extorquẽdæ causa nõ dissimulat, iuxta notata per Ioan. Andr.in cap.Sedes.In Rescriptis. & magnam scilicet S.A.libertatem,plumbum dantis, aurũ exigentis,Regul.8.47.66.Sed & hoc vel pueris notum est, quibus impunè legitur ex Mantuani Egloga 5.& 9.

Camera Apostolica infamis.

Roma probra.

Si quid Roma dabit,nugas dabit,accipit aurum.
Verba dat,heu Roma nunc sola pecunia regnat.
Hoc *est Roma viris auibus quod noctua.i.*captatrix.

Idque adeò in cõfesso est,vt viuę vocis S.S. A. oraculo sit nõ ita pridem palam recognitũ. Sic enim Adrianus VI. ex maximo theologo pontifex maximus nuntium suum ad comitia Imperialia,anno 1522.instruebat,Dices nos ingenuè fateri , quod Deus hanc (Lutherismi) persecutionem ecclesiæ suæ inferri permittit,

Adriani VI. pontificis oraculum.

Sacerdotes primi castigandi.

propter hominum peccata, sacerdotum maximè ac prælatorum, à quorum peccatis, populi peccata deriuari scripturæ clamant. Ideóque Saluator (interprete Chrysostomo æditionis secundæ in Matth.21.Homil.38.) curaturus infirmam ciuitate Hierusalem, prius templũ ingressus est, vt sacerdotum peccata (ementiũ in primis & vendentium) primò castigaret, instar boni medici, morbum à radice curãtis. Scimus in S. S. aliquot iã annis multa *abominanda* fuisse, *abusus* in spiritualibus, excessus in *mandatis*, omnia denique in peruersum mutata, nec mirum si ægritudo à capite in membra, à summis pontificibus in alios descenderit. Omnes nos (id est, prælati Ecclesiastici) declinauim⁹, vnusquisque in vias suas, nec fuit iãdiu qui bonum faceret, vnde necesse est vt omnes demus gloriam Deo, humiliemus ei animas nostras, videamus vnusquisque vnde ceciderit, & se poti⁹ quisque iudicet, quàm à Deo in virga furoris iudicari velit. Qua in re quod ad nos attinet, polliceberis nos omnem operam adhibituros, vt hæc primùm curia, vnde fortè malum hoc omne processit, reformetur, vt sicut in omnes inde corruptio emanauit, sic ab eadem etiam sede sanitas, & omnium emanet reformatio. Ad quod procurandum nos tanto arctius obligatos reputamus, quanto mundum vniuersum huiusmodi reformationem auidius desiderare videmus. Cùm hic ergò Pontifex suæ sedis & curiæ deformationem non minus verè quàm

ingenuè agnoſceret, reformationem proinde neceſſariam promitteret, & ad hæc breui futura magnificè Chriſtianéque ſe offerret, omniũ Imperij principũ ordinúmque vna vox fuit & communis reſponſio, nullũ cõmodius, efficacius, & opportunius remediũ nè cogitari quidem poſſe, quàm vt nec vltra vni⁹ anni ſpatiũ, ſiquidem poſſibile foret, differretur liberi & chriſtiani Concilij à papa, accedente principũ cõſenſu, Indictio, verũ quod non ita pòſt morte ſublatus Adrianus præſtare nõ potuit, ſucceſſor eius fortè noluit, vt quo ſuperſtite nũquam coiturũ ſperabatur. Tot annis omniũ votis expectatum Paulus III. indixit, delectis primũ IX. viris doctiſſimis atq; grauiſſimis, qui ab eo iuſſi eccleſiaſtica ſcandala corrigere: qui primùm quidem non celauerunt eius ſanctitatẽ, hodiernorum malorũ inde principiũ fuiſſe, quod prædeceſſores eius nõnulli prurientes auribus, coacervauerunt ſibi magiſtros ad deſideria ſua, nõ vt à quibus diſcerent quid facere deberent, ſed quorum calliditate inueniretur ratio, qua liceret quod liberet. Hinc effectum vt prodirent adulatores potius quã doctores, qui docerent, Papã beneficiorũ omniũ eſſe dominũ, ac ideò cùm Dominus iure vendat id quod ſuum eſt, neceſſariò ſequi in eum non cadere ſimoniam: Ex hoc fonte tot in Dei Eccleſiam abuſus, & grauiſsimos morbos irrupiſſe, quibus ad ſalutis ea deſperationem ferè laboret, & quorum fama ad infideles vſque dimanet, hanc præci-

Paul. III.

Adulatores pontificij.

Simoniam in pont. Ro. nõ cadere, fons abuſuum.

puè ob cauſam Chriſtianiſmum deridentes atque blaſphemantes. Non licere ergo nec Chriſti vicario in vſu clauium, ſiue poteſtatis ab eo illi collatę lucrum aliquod comparare, hoc eſt, gratis datum non gratis dare. Cuius tamen reſpectu pleraque omnia, quæ paulò antè diximus, in Eccleſia fieri iidem ibidem non diſſimularunt. Huic autem nouemuirali concilio adeò Paulus non acquieuit, vt cùm Tridentini Seſſione 7. Decreto & Canone 2. de reformatione, cauiſſent neminē plures eccleſias cathedrales in poſterum recipere, & ſimul retinere: qui autem plures tum haberent, vna, quā mallent, retenta, reliquas miſſas facerēt, præfati tamen hæc ſe ſtatuere, ſalua ſemper in omnibus S.A. autoritate: Is, inquam, Paul⁹ in decreto canonis huius interprete, hæc addiderit, Sic autę vt fructus omnes ſibi reſeruare poſſit, tantum vt aliquid aſſignet reſignatario, pro ſua dignitate vtcunque tuenda. Regreſſum etiam retinere, vt ſi accideret reſignatarium cedere vel decedere, eccleſia ad reſignantem regrediatur, eandem de nouo alteri eadem conditione ceſſurum, & ſic in infinitum. Atqui Nouemuiri argumento planè inſolubili probauerant magnum abuſum eſſe, ſic omnia reſignanti reſeruari, & reſignatario adimi, Officio enim beneficium, id eſt, redditus ſic annexos eſſe, vt corpus animæ, Ideo ſua natura ad eum qui beneficium habet, pertinere, quibus honeſtè pro ſuo ordine viuat, cultum diuinum ſu-

Reſignationes.

Regreſſus.

ſtentet, ſacras ædes reparet, reliqua in pios vſus erogaturus. Sic autem reſeruationes fru-ctuum, & adminiſtrationes beneficiorum cumulari,&c.vt hoc pacto iura plerunque omnia Epiſcopalia ei competant, qui amplius non eſt Epiſcopus, fiat autem Epiſcopus, qui nullum Epiſcopi ius habeat.Regreſſus autem prętextu & coadiutorum nomine, qui plerunque dātur minus idoneis, quàm ipſi ſint reſignātes,ea nō tam induſtria,quàm illuſione,liquidò niſi clau damus oculos,tum beneficia teſtamento legari,tum hæredes inſtitui,Vtrunque ſacris canonibus valde vetitum, quorum præ cæteris Romanum Epiſcopum cuſtodem eſſe conuenit,vt ad Orientales olim ſcripſit Iulius I.Et hac tamē Paulini decreti praxi, Tridentini canonis mira fraude,ſic qui plures habebat Epiſcopas,vnam videlicet retinuit,vt non ita nuper ex noſtratibus Cardinalibus quidā obierit, quinque Epiſcopatuum, præter abbatias totidem, fructus percipiens,aſſignato quatuor reſignatariis pro ſua cuique ſcilicet,dignitate vix ac nè vix quidem tuenda,niſi quod totidem vultures vni illi cadaueri inhiantes, ſpem interim pretio emebant.Concilium interim Bononiam tranſlatū, paulò pòſt ſuſpenſum, & mortuo Paulo intermiſſum, ſucceſſor Iulius III. redauſpicatus eſt, Bononiæ anteà Seſſione XI. palàm profeſſus in ſacramentorum Eccleſiæ miniſterium innumerabiles abuſus irrepſiſſe, Quorum indubiè non minimus eſt, quòd multis in locis minus

Coadiutores

Beneficia teſtamentaria

Epiſcopa plures vt diſſoluātur noſtris moribus.

Sacramentorum negotiatio.
Sepultura vænalis.
Hispani Episcopi.
Apostolicæ sedis autoritas intacta etiam in illicitis.

gratuita est eorum ministratio, in aliquibus etiam adeò vænalis, vt etiam cũ sepultura pauperculis ea nõ semel denegata sint. Redassumptum ergò Tridenti, & aliquousque continuatum Sessione VI. ad biennium secundò suspensum, Protestantibus interim & suspensionis decreto contradicentibus, grauibus aliquot Episcopis, Hispanis maximè, quibus erat cordi necessaria, vt nihil magis, morum & abusuum reformatio, & causantibus nec vni quidem, nedum huic, ex causis propter quas conuocatum erat Concilium, plenè adhuc satisfactum esse. Integro igitur decennio interruptum, tot votis optatum, tandem etiam à Pio IIII. obtentũ, rursum Tridenti resumptum, & tertiò congregatum, patribus licet integra re à Põtifice permissa, adeò tamen Romanam curiam repurgare sibi non permisit, vt etiam quæcunque de morum reformatione & disciplina Ecclesiastica inferioribus præscripsit, in his saluam semper S.A. autoritatem & esse & intelligi declararit, Sessionis 9. & vltimæ can. 21. die I. vt non minus gratè quàm piè Pius idem magnã gratiam patribus Tridẽtinis publica oratione Romæ in frequentissimo R. Cardinalium consessu & consistorio habuerit, quòd in Ecclesiastica emendatione tantam autoritatis illius rationem habuerint, tantáque in eum moderatione sint vsi, vt si is seipse suáque reformare voluisset, longè seuerior in se futurus fuerit. Quid igitur superest, nisi vt quod eodẽ scripto

pollicetur,& concilij reformantis autoritatem non declinet, & si quæ patres aliqua vel ratione omiserunt,vel circa ea mitiores fuerunt, eorum occurrens modestiæ, ea tanquam iudicio eius relicta suppleat: Si enim non minus verè quàm liberè D. Adrianus hodiernæ morum vastitatis tabem à capite in reliquũ Ecclesię corpus serpsisse dixit,percutiat sanctuarium suum Pius eius successor oportet, & à domo sua incipiat,Ezech.9,1.Pet.4.Certè videt propter aliquot eius præcessorum,sua,non quę Iesu Christi sunt, quærentium ἀισχροκερδίαν, & auaritiam(vt ex scriptoribus,ei licet sedi addictissimis,probare possumus) in quem statum adducta sit S.S.A.imò tota Christi Ecclesia, quàm multa non multis ab hinc annis facta sit ab ea discessio,metuendum nè maior fiat,ni vel aliquando tandem remedium adhibeat,si tantis, quibus obruitur Ecclesia, malis medendis allata mora fuerit, hoc futura damnosior, quo longior. Et tam diuturnorum motuum non alia causa maior,quàm quòd tot annis nihil immutatur,nihil emendatur,& omnis reformandi spes inde abrupta,species ablata, quòd reliquum Ecclesię corpus reformatum velint, qui tam multis annorum centenariis vrbem, in qua merum atque mixtum habent imperium, deformatissimam adhuc reliquerunt. Quid enim vel excusare vel excogitare verum aut verisimile possunt,quibus non vel Rex vel Cæsar,

Reformandi spes ablata.

non populus,non clerus, nō generalis Synod⁹, non tota denique Ecclesia dicere potest,Cur ita facis?quid,inquam,prætexere possunt,quod eis sibi suisque reformandis moram vel remoram tandiu fecerit?Et vbi tamen sub sole maior malorum omnium licentia,clamor,impunitas, nè dicam infamia & impudentia?talis sanè ac tanta,vt nemo credat,nisi qui viderit,neget nemo, nisi qui non viderit. Missam faciam omnium temporum ab Hieronymi vsque seculo querimoniam,& quidem perpetuam.Eccuius quęso distichon hoc est?

Viuere qui cupitis sanctè,discedite Roma:
Omnia cùm liceant,non licet esse bonum.

certè non poëtæ tantum,sed & Philosophi & Theologi , & Monachi,& quidē Itali Mantuani,à Clenardo itidem Theologo,linguæ sanctę professore Louanij,Lutetię,& in Lusitania,&c. in epistolis non semel citatum.Et ausus est homo nihil minus quàm Luteranus , idem altero disticho comprehendere sic,

Quisquis opes sacras nūmo reperire prophano
Quærit,eat Romā,sacra sunt venalia Romæ.

Quin apud eundem Mantuanum in Alfonso lib.6.sic quidam loquitur,

Ipse quoque vnū oro,cùm cæli intraritis arcē,
Petrum orate,suum Latiū custodiat , vrbem
Pontificum,magnique caput ne deserat orbis.
Nanque meas pridē obscæn⁹ peruenit ad aures
Rumor,& horribilis scelerata infamia Romæ

Et quanta Stygis alluuie incestata, nitorem
Polluerit Romana fides, quo verbere ditis
Spes hominũ luxata cadat: quàm debilis æstu
Frigeat extincto pietas: quæ grandia cete
Piscari, prædáque hominũ grauis ire solebat,
Syrtibus in Stygiis hæret sine remige cymba.
Heu scelus infandũ: plures in puppe magistri
De clauo certamen habent: marcore palustri
Sordet inops: Limo infixã, turpíque latentem
Gurgite cæci onerant omni farragine nautæ,
Pastores odere pecus: nec pascere curant,
Sed tondere greges, pecoríque illudere tonso.
Et de calamitatib' temporũ li.2. *Neptunia Doris*
Per noctẽ ad nautas ita circũ littora clamat,
Tẽpora, Martigenæ, quid idonea perditis: ite,
Ite, Lares Italos, & fundamenta malorum,
Romuleas arces, & pontificalia tecta,
Colluuiem scelerum temerate fauẽtibus auris:
Ite citi, quãdo astra vocãt, quãdo oĩa mãdant
Numina.
Suspicite: & quà fata vocãt, cõuertite proras
Æthereæ mentes, quibus est tutela Latinæ
Gentis, ab occulto bella hæc immissa vidẽtes
Imperio Patris, & longa clade esse litandum.
Imbelles hærent, atque in sua regna furorem
Ire sinunt: Románque aliò fugêre relicta.
Cæde noua veteres culpas abolere necesse est.

Et lib.3. *Petrique domus polluta fluenti*
Marcescit luxu, nulla hîc arcana reuelo,
Non ignota loquor, liceat vulgata referre.
Sic Vrbes populique ferunt, ea fama per omnẽ
Iam vetus Europã mores extirpat honestos.
Sanctus ager scurris, venerabilis ara Cynædis
Seruit, honorãdæ Diuûm Ganimedibus ædes.
Et cùm alia vendant alij, *vænalia nobis*
Templa, sacerdotes, altaria, sacra, coronæ,
Ignes, thura, preces, cælũ est vænale, Deúsque.

Audiat igitur, & vtinam tandem exaudiat S.D.N. Pius v. quod nullo ibi medio subiectũ, nescio audiuerit necne, certè minus exaudiuit Sixtus IIII.

Sancte pater, fidei custos, ouiúmque magister,
Quas bonus effuso moriens in sanguine pastor
Abluit, ætatis damnosa licentia nostræ,
Quam veterũ semper crescens incuria patrũ,
Et sceleri pandens aditum, moré sque seueros
Auersata parit, tua sentiat arma: coërce
Hãc vitẽ: ancipiti ramos preme falce vagãtes
Nãque feros fructꝰ, & tristẽ frugibus vmbrã
Fert inculta: iacẽs Cererẽ necat, occupat agrũ.
Mille sub his latebræ foliis: & mille rapaces
Hac habitãt sub frõde feræ, vulpésq;, lupiq;,
Mitiáque inuadũt laniántq; animalia passim.
Sic cicurũ genus omne perit, per ouilia regnãt
Sæuus aper, tigres rapidæ, truculẽta Leonum

Semina, multicolor pard⁹, griphs narib⁹ vncis,
Et variæ pãthera cutis, grauis vnguib⁹ vrsa.
In gen⁹ hoc, pater, arma moue, sua pascua redde
Fœcundis ouibus: stent ad præsepia tauri,
Qui signata iugis, longóque attrita labore
Colla gerunt: postquam rerũ te Roma potentẽ
Fecit, & obscuro iubar hoc resplenduit orbi,
Exanimis virtus scelerum sub mole sepulta
Respirare parum visa est, & tollere frontem.
Et nisi tot vitiis hæc secula nostra fuissent
Deprauata, boni poterant rectoris habenæ
Errantes frenare rotas: Sed tantus equorum
Impetus aurigã superat, frustráque retractãs
Lora gubernator, sine lege per inuia fertur.
Proptereà sortem doleo, mitissime patrum
Sixte, tuam, fueras annis melioribus aptus.
Est tibi quæ tanto satis est in principe, virtus,
Sed velut obscuris Phœbi sub nubibus ardor
Lãguet, & vmbra diẽ piceæ caliginis auffert:
Sic tua corrupti vitio clementia secli
Obscuratur, eunt pessum pietásque fidésque.
Lerna pal⁹ terræ est, vitiorũ exercit⁹ Hydra.
Alcides nusquam est: ardentẽ sæua Chimerã
Mõstra tenẽt, nec adest Glauci castissima proles.
Cãdida Gorgonei capitis coma fluxit in angues,
Et neq; Mercurij prosunt, nec Palladis arma.
Dedaleis inclusa viis Minoia monstra

Paßim habitāt, crebris vterum quæ cædibus
augent,
Nec potis est multa ingluuiē saturare rapina.
Nec superat Thesæa man⁹: per tecta, peraulas
Harpyiæ funesta lues, fluxúque faméque
Infestæ volitant: Boreæ genus omne receßit.
Syrenes redeunt, & Phœbi filia Circe,
Quæ placidos hominū furiali carmine vultus
Vertit in immites formas, & in ora ferarum.
Plurima sunt nobis sancti vestigia secli,
Et gentis monumenta piæ: sunt ardua templa,
Sūt sacris cōgesta patrū sancta ossa sepulcris.
Est fidei caput, est veri latria Tonantis:
Ista sed Hesperidum velut aurea mala dra-
cones
Cerulei seruant: Res detestanda, nec vllis
Flenda satis lacrymis. Nec me cōuitia quisquā
Texere causetur, mordáxque excudere carmē.
Hæc sunt pro sanctis gemitus, lamēta, dolores
Moribus, & superûm pro maiestate querelæ.
Ista mouent superos, vocat hoc scelus æthere
ab alto
Bella, famē, & diri genus insuperabile morbi
Heu sortē gregis aduersam, sidúsque malignū
Quum custode caret, cùm fracto vimine sepes
Nocturnos aditu fures admittit aperto.
Præsertim cùm dura fames ieiuna Luporum

Intestina premit, rapidique mapalia lustrant,
Præda sumus, fracto ferimur temone per altum.

Et Paulò pòst,

Summe pater, cæli saltem cui regia paret,
Singultus audi insontes, fletúque piorum
Flectere: crudeles gladij saturandáque cæde
Spicula, primores populi: frontésque superbas
Oráque blasphemo feriant inflata tumore:
Parce rudi populo maiorum exempla sequenti:
Imbellémque manum serua, qui cætera seruas.
Quid meruere greges ? pastorum incuria damno est.
Cerne laborantem freta per salientia cymbam:
Et miseris fer opem nautis, pontúmque furentem
Sterne. Atqui hoc poëta, me puero, nescio an alter famosior, aut in puerorum scholis frequentior, Adde quòd & nemo S. R. E. addictior.

Pergit ita, nec ita post,

Mens humana parenti
Iustitiam, sanctos mores, & laudis honorem
Perpetuum debet: sunt hæc gratissima cælo
Orgia, & infestis obstare potentia fatis.
Sed postquàm liquit terras Astræa nocentes,
Fugit & ipse, hominum leges qui condidit, ordo:
Temporéque ex illo summi reuerentia patris,
Sanctáque diuini ruit obseruantia cultus.

Monachi Religiosi.

Hi quoque qui nomen de relligione superbum
Vsurpant, quanquam sanctis à patribus ortos
Se iactant, ouium molli sub vellere fraudes
Mente Lycaonias seruant, & crimine sordent,
Quod speciem virtutis habens, scelus omne colorat.
Nec tamen his maculis sordet pecus omne: magister,
Ne pereat, quædam sibi seruat ouilia semen.
Qui prece sollicitāt superos, multóque per omneis
Thure litant aras, veniam pacémque precantes.
Inuisi superis, fœdáque libidine olentes,
Heu frustra incestis iterant sacra orgia dextris.
Polluti circum quoties altaria vultus
Conueniunt, celebrántque choros, & carmine mixto
Sancta Deûm vanis penetralia vocibus implent:
Irritant, irásque mouent, non numina flectunt.
Hac prece nil opus est, nil adiutoribus istis
Auxilij sperate: nouis date templa ministris:
Sacrilegum genus ex adytis templísque Deorum
Pellite, nec longos scelera hæc vertantur in vsus.

Et ad Leonem x. Fast. lib. 4.

Romana graui maculata veneno
Curia: quæ spargit terras contagia in omneis:
Postremùm est oppressa fides, exposta rapinis
Vndique, & in prædam populis proiecta cruētis.

Ista tuis animose Leo, seruata diebus,
A te subsidium magnis clamoribus orant.
Sancte pater succurre Leo: Respublica Christi
Labitur, ægrotátque fides iam proxima morti.

Et lib.5.de S.Vrbano.

Nunc mores periere boni, regnátque libido
Improba, & exclusos inopes consumit egestas.
Omnia sacratus nostra sibi vendicat ordo
Tempestate, sinúntque patres pessum omnia labi.
Templa ruunt, passim sordent altaria, cultus
Paulatim diuinus abit: Resipiscite sancti
Vaticana, patres, qui templa excelsa tenetis,
Ne subitò forsan Deus excandescat: & istud
Tam deforme nefas odio vlciscatur acerbo.

Et ad finem lib.7. De SS.Petro & Paulo.

O Diuinæ animæ, quorum sanctissima Romæ
Ossa cubant, seruate fidem, prohibete ruinam,
Atque reformandi curam studiúmque senatus
Vsurpate: vetus iam disciplina fatiscit,
Consenuit probitas, & morti proxima languet.

Et in Nicolao Tolent.lib.2.

Roma ipsa Lupanar
Reddita, fœmineo Petri domus oblita fluxu
Ad Stygios olet vsque Lares, incestat Olympum
Nidore hoc, facta est toto execrabilis orbe.

Et ad Iulium II.

O utinam pater omnipotens tibi proroget annos,
Vt valeas olim post hæc certamina, Romæ
Ad malè compositos animum conuertere mores.
Sicut enim tua Regna rapax lacerauerat hostis
Improbitas, sic & sanctos Acherontigenarum
Laruarum impietas, & perniciosa libido
Corrupit mores: quibus illa antiqua parentum
Semideorum ætas totum condiuerat orbem.
Hæc morum iactura magis deflenda videtur,
Quàm Regni prior illa tui. Nam dißipat omne
Imperium Christi: toto iam cognita mundo
Mendacem facit esse Deum, qui dixit Auernum
Imperiis non posse suis inferre ruinam.
Ecce ruunt; Charitas friget, spes pallida languet,
Ægra fides fragili vix sustentata bacillo
Ex procerum tectis fugit, & gurgustia quærit.
His tribus incumbit, tanquam tribus acta columnis
Tecta domus Christi: tribus his labentibus ergò
Est opus vt ruat hæc moles vastißima quondam,
Nunc senio morbóque tremẽs, rimísque dehiscens.
Nec te, magne pater, latet hoc, prudentia pectus
Tanta tuum vegetat. Sed idonea tempora quæris,
Expectásque diem quæ det fœliciter isti
Principium Diuino operi: Stat ad ostia Christus

Cum grege Cælitum, tecum venturus in istam
Militiam: tua magne pater, præcordia pulsent
Anteferenda aliis hæc sancta negotia curis:
Hæc animo res digna tuo, qua sanctior esse
Nulla potest, nulla vtilior mortalibus. Esto
Qui decus hoc habeat, quem gloria tanta coronet.
Ad Romam conuerte oculos luxúmque fluentem
Aspice, & indignos Christi propagine mores.
Tota in capreolos it vinea, tota comantem
Effluit in syluam foliis spargentibus vmbram
Pestiferam segeti, dulcés neque parturit vuas.
Hoc steriles ramos, nemus istud inutile trunca.
Erue mortiferas taxos, aconita, cicutas,
Et sere vitales herbas, vt cinnama, nardos,
Balsama, thura, crocos. Veterũ reminiscere patrum.
Gregorium pone ante oculos, magnúmque Leonem,
Syluestrum, & reliquos, quorum est imitabilis alto
Vita animo, regnóque humeros suppone labanti.
Qui te cunque colunt, optant hoc cernere, & istud
Expectant ardenter opus. Et adhuc expectamus. Et ante auditũ Lutherũ Raphaël Volateranus, hoc est Ital⁹, ídque Romæ, Vrbanorũ nimirùm cõmentariorum lib. 30. cap. De seruis, scribebat sacerdotia tribui mercedis loco, spiritualémque thesaurum

quæſtui haberi ac negotiationi. Bone Deus, ſi ſic à domeſticis fidei audimus, quid non ab aduerſariis audiemus? Atqui præſtat hæc audire ab illis cum obedientia monentibus, quàm ab his perduellibus. Quid quod & D. Adrianus ille Traiectenſis mihi ſępe vocatus, profitebatur colla ſummę ſe ſubiecisse dignitati, ad deformatam Dei ſponſam Eccleſiā reformandā: deformatā autē non nouis tantū erratis & abuſibus, ſed & veteribus! Inueteratus, *aiebat*, nimiū morbus eſt, nec ſimplex, ſed varius & multiplex. An non hic idem penè dicit, quod ante annos quadringentos ita deplorauerat beatiſſ. Bernardus? Inteſtina & inſanabilis eſt Eccleſię plaga. Facere non poſſum, quin addā reliqua, ſi pręter promiſſionē proximā, at non præter præſentem τῆς αἰσχροκερδίας materiā. Subdit igitur, vox plāgētis in tēpore iſto, filios enutriui & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me, Eſa. 1. Spreuerūt me, & maculauerūt, à turpi vita, turpi quæſtu, turpi commercio. pro huiuſmodi volūt eſſe, & ſunt Eccleſiarum præpoſiti, decani, archidiaconi, Epiſcopi, Archiepiſcopi, nec enim hæc merito cedūt, ſed negotio perambulāti in tenebris. Ipſa quippe dignitatis Eccleſiaſticę officia, in turpē quęſtum, & tenebrarum negotium tranſierunt, nec in eis ſalus animarum, ſed luxus quæritur diuitiarum. propter hoc tōdentur, propter hoc frequentāt Eccleſias, miſſas celebrant, pſalmos decantāt. Pro Epiſcopatibꝰ & Archiepiſcopatibus impudenter hodie certatur, vt Eccleſiarū redditus in ſuperfluitatis vſus diſſipētur. propter hoc

Bernardus

nō eſt hoc tēpore ornare ſpōſam, ſed ſpoliare, nō cuſtodire, ſed perdere, nō defendere, ſed exponere, nō inſtituere, ſed proſtituere, nō gregē paſcere, ſed mactare, comedere, deuorare, ex Io. 10. Oſe. 4. Pſal. 52. peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam ſolicitudinē non impēdunt. Quē dabis mihi de numero præpoſitorū, qui non plus inuigilet ſubditorū vacuādis marſupiis, quàm extirpandis vitiis? Nunc enim dati ſunt ſacri gradus in occaſionem turpis lucri, & quæſtum æſtimant pietatē, copioſiſſimæ quidē pietatis in accipienda animarum cura, ſed hæc apud eos cura minor, & nouiſſima de illarū ſalute cogitatio. Hæc in Pſal. 90. Serm. 6. in Cantica. ſerm. 33. 77. in conuerſione S. Pauli ſerm. 1. Sed ad quos ille hæc? Egreſſa eſt (ait) iniquitas à ſenioribus iudicibus (Dan. 13.) tuis Chriſte, vicariis, qui videntur regere populum tuū: Heu heu DOMINE DEUS, quia in perſecutione tua primi ſunt, qui vidētur in Eccleſia tua primatū dirigere, & principatū gerere. Arcē Sion occupauerūt, apprehenderūt munitiones, & vniuerſam deinceps liberè & poteſtatiuè tradūt incendio ciuitatem, miſera eorum cōuerſatio, miſerabilis eſt plebis tuæ ſubuerſio. Sed & eiuſdem eſt ad eoſdem grandis ſermo & peculiaris, in opere, quod de Conſideratione inſcribitur. Sed nos cum Bernardo relinquamus iſtos ſponſę magis vēditores, quàm inuētores, & iumentorum eius, hoc eſt, Apoſtolorū miniſterij locum ſortitos, non zelum, Succeſſores omnes

esse cupientes, imitatores perpaucos, tam vtinã ad curam vigiles, quàm alacriter ad cathedram (si modò ad cathedram) currentes, perdentes nos, non seruantes, nec suis, nec sibi quidẽ parcentes, atque ita perimentes pariter ac pereuntes. Quam querimoniam si iustam omnino, nec ad vllam iustius quàm ad suam ætatẽ referendam ille concionabatur, quantò ea nostra ætate dignior, ad quã post Bernardi seculũ omnia in peius profecerunt? Sed veteres missos faciamus, & ad nostri tẽporis nõ schismaticorũ famosos, sed Catholicorũ libellos ea de re cõmonitorios veniamus. Nũquid anteà citati IX. viri, Cardinaliũ & prælatorũ tũc doctissimi, nõ idem cognouerunt, ferè nimirũ collapsam esse Ecclesiam, abusibus & morbis grauissimis pridem laborãtem, & præsertim Romanam curiã, sic vt eis paulatim ac sensim ingrauescentibus, magnam hanc, quam videmus, ruinam traxerit. Et maculas illi quidem ostenderunt tantũ, non etiam abstulerunt, adeò plures esse, quàm quas tum attigerunt, non diffitentes, vt Christi nomen à nobis clericis, nedum à gẽtibus oblitum, ad Concilij finem disertè dicerent, & in nostris cordibus restitutum iri à Paulo consultore plus optarent, quàm sperarent. Quin *A.S.* legati R. Tridentinam Synodum ineuntes, ad patres ibi collectos initio statim agnouerunt de nobis meritò dici, quod propheta ĩ persona Dei veterẽ populũ accusans dicebat, Duo mala fecit populus hic, me dereliquerunt fontem

aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas, Hier.2.malorũ quibus oppressa est Ecclesia,& ad quæ corrigẽda vocabãtur, non parua ex parte pastores causã dedisse,adeóque autores fuisse,vt prętcr seipsos aliũ ne nominare quidem autorem possent, idque non minus verè quàm acriter dictũ fassi sunt, nostram (inquientes) nimirum ambitionem, auaritiam,cupiditatem,populum Dei malis omnibus affecisse. Quæ de corruptela morum cùm omnium ordinum,tum sacerdotum, veteres prophetæ,Ezechiel nominatim,cap.22.loquebantur,In contemptu legis,pollutione sanctuarij,nulla inter sacrum & profanum distantia,ad perdendas animas,auarè sectanda lucra, &c.non ad illa solum tempora pertinuisse,sed nostri quoque temporis imaginem retulisse. Denique collapsam ferè ecclesiã agnoscebant, ad quam erigendam atque instaurandam conuenerant.Et multa (fateor) correxerũt, vereor vt non pauciora corrigenda Pontifici summo (vtinam nè frustra) reliquerint,in nostrate pręsertim Gallia,in qua nusquam peius habẽt ecclesiæ, nusquam iniquior bonorum sacrorum vsus aut dispensatio, quàm in patriis quas vocant,obedientiæ,episcopis earum à Papa, hoc est, à Petri successore, plenitudine potestatis non contentis,Apostolorum successoribus fratrib⁹ suis & coëpiscopis nulla,vel certè admodum parua,solicitudinis parte relicta.tam multis S.A.iuribus summis,hoc est,sũmis iniuriis,

Sacerdotum corruptela.

Galliæ calamitas.

priuilegiis,hoc eſt,abuſibus, conſuetudinibus, hoc eſt,corruptelis, expectatiuis nimirum, regreſſibus,mandatis, reſeruationibus, præuentionibus, & id genus inuentiunculis grauari ſe quiritãtur locorum ordinarij,vt præter pedum & mitram nihil eis penè reliquum ſit. Nec verò eſt quod ſperet Põtifex Galliam noſtratem adeò deformem reformare, adeò nutanté cõtinere poſſe, niſi iuxta nomen ſuũ ſua primum piet ac repurget,iuxta cognomen & generoſiſſimum genus ſuum, ſuis primum, quod eſt in prouerbio,medeatur,& taxas illas ἀισχροκερδίας nomine multis meritò maledictis multorũ taxatas, reliquámque cameræ cancellariæque Apoſtolicæ nihil minus quàm Apoſtolicam, quam Paulinam aut Petreiam negotiationem nũdinationémque,quaſi quoddam Augiæ ſtabulum tandem vel repurget.Super his &id genus neceſſariò purgandis admoneri non ægreferat à filiolis miſellis pater beatus, à peccatoribus ſanctiſſimus,ab ouiculis minimis paſtor maximus. Noſtrum enim,noſtrum inquã eſt, etiam quantumuis magnos & maximos admonere,hortari,efflagitare,qui nos inter tot licet infirmitates,ſordes,& abuſiones, in officio & obedientia continemus,non perduellium, aut deſertorum,quibus cum ea quam reliquerunt, eccleſia nihil vel commune, vel negotij eſſe vel poteſt,vel debet.Dolebat vbi antè,Bernardo,ſine cauſa his vel illis immorari, quia cum monachis vtique prædicantem epiſcopi non

audirent. Sed & si literis (aiebat) forsitan mandantur quę dicimus, aut dedignabuntur legere, aut si fortè legerint, mihi indignabuntur, sibi licet rectius id facturi. Equidem multo minus sperauerim mea lectum ab episcopis iri, in quorum rem scribo, sed si fortè tamen ad eorum vel aures vel manus peruenerint, non diffido vel eorum summum pro sua tum pietate, tum medendis nostris abusibus & erratis voluntate, boni consulturum. Nam & eius sanctitatis præcessor Paulus IIII. cùm horum partim atque priuatim monerem, adeò non est offensus, vt seriò cogitarit de me Romę retinendo, non sine honore quem ea Sedes largiri solet maximum. Laus & gratia Deo ac Domino nostro Iesu Christo, qui quem ei mei promouendi animum dederat vel permiserat, mox abstulit, ne fortassis ambularem in magnis & mirabilibus super me, &c. *Pauli IIII. propensio in authorem.*

Hactenus sine quibus debet esse, siue quod non debeat habere, nunc quid habere debeat. Primùm vitia damnauit, vt virtutes insereret, iuxta scripturarum consuetudinem, vnde sequitur, *Sed hospitalem*, bona sua omnibus impertiẽtem, pauperibus præsertim, & peregrinis amplius, maximè verò propter Christum domo pulsis, & in mundo exulibus, nè ab infidelibus abacti, solatij nihil inter fideles inuenientes, concidant, & ad infidelitatem redeant. Amplius quiddam φιλόξενον esse quàm ξενοδόχον *Hospitalitas quibus maximè exhibẽda* φιλόξενος, ξενοδόχος.

peregrinorum amãtem, quàm hoſpitem. Non enim tam peregrinorum amator quàm hoſpitator, quod obiter, & neſcio quo reſpectu fieri poteſt. Philoxeniam autẽ, de qua Ro. 12. Hebr. 13. 1. Petr. 4. φιλόξενοι εἰς ἀλλήλους, nedum xenodochiam, de qua. 1. Tim. 5. εἰ ἐξενοδόχησεν, requirit à nobis, vt ab Iſraëlitis Domin⁹, Amat (inquiens) peregrinum, dat ei victum & veſtitum. Et vos ergò amate peregrinos, quia & peregrini fuiſtis in terra Ægypti, Deut. 10. eadem de cauſa, Exod. 23. peregrino moleſtus nõ eris, quibus etiam in ſegete ſpicas remanentes, & in vinea grana decidentia, carpenda dimitti iuſſit, Leuit. 19. 23. Deut. 24. non exprobrabis ei, ſed diliges eum quaſi indigenam, quaſi temet ipſum, Leuit. 19. Non contriſtabis eum, nec affliges, Exod. 22. non negabis ei mercedem, nõ peruertes eius iudicium, Deut. 24. 27. Et paſſim in prophetis indignatur aduenas & peregrinos opprimẽtibus, calumniantibus, occidẽtibus, Pſal. 93. Hie. & Ezech. 22. Zach. 7. Mal. 3. Sed ad Philoxenum epiſcopũ redeamus, qualem celebrat Ioannes, Epiſt. 3. Caium, fideliter (inquiẽs) facis quicquid operaris inter fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderũt charitati tuæ, in cõſpectu Eccleſiæ, quos bene facies, deducẽs dignè Deo, pro eius enim nomine profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergò debem⁹ tales ſuſcipere, vt cooperatores ſimus veritatis, nimirum iuxta verbum Domini, Mat. 10. Qui recipit prophetam

Peregrini vt excipiendi.

aut iustum hoc nomine, vtriusque mercedem accipiet. Qualem Abdiā Hieronymus eius interpres scribit prophetalem gratiam accepisse quòd in persecutione Iezabelis prophetas in speluncis quinquagenos absconditos pauisset, 3.Reg. 18. quos vt alere clam posset, multum æris alieni contraxerat, quod Elisæus oleo diuinitus aucto dissoluit, & ad eius viduæ liberorúmque alimenta superfuit, 4.Reg.4.& huius enim viduę maritus fuerat Abdias, Iosepho, li. 9. Antiquit.cap.1. Nec verò putemus patres in hominibus non angelos modò, sed & Deum ipsum hospitio suscepisse, Gene.17.19. Heb.13. Leo papa IX. hospitalitate adeò insignis, vt domus eius pauperibus & peregrinis semper pateret, cùm leprosum ante fores suas inuentum diligenter in lecto suo locari iussisset, apertis mane foribus non inuenit, creditum pauperis nomine Christum eo loci iacuisse, Platin. post Sigebertum, anno Domini 1048. His dissimilē Diotrephen taxat vbi anteà Ioānes, fratres nō suscipientem, & suscipi prohibentem. Et nos de hospitali clerico Digress. lib.2. cap.1. abundè. Petrus apud Clementem, Epist.1. inter alia sic presbyteros docet, Charitatis recipiendę & habendæ maximum erit fomentum, si frequēter inter vos communem cibum vestrum mensamque faciatis, & quantum quisque præualet, crebrius panem salémque suum cum fratribus sumat: per hæc dilectio comparatur, & causa boni totius in huiusmodi communione cōsi-

Abdias vnde Propheta effectus.

Hospitalitatis merces.

Conuiuiorū inter bonos celebrandorum vtilitas.

ſtit. Ideo communes facite cibos veſtros cum fratribus, ſecundum Deum, per hæc temporalia officia pacis & charitatis fructibus æterna gaudia merituri. Multò autē ſolicitius eſurientes reficite, ſitientibus potum, nudis veſtimentum date, ægrotos viſite, vinctos iuuate, peregrinos in domibus veſtris ſuſcipite, &c. Et huius inter cōſacerdotes hoſpitalitatis præceptū, merito ſecuta eſt tabernarum & cauponarum interdictio, de quibus nos in vinolento Clerico, lib. 2. Digreſſ. cap. 14. Nec inter clericos tantum, ſed omnes omnino Chriſtianos erat tum hoſpitalitas, nō vltima Eccleſiæ nota olim iandiu magno Chriſtianiſmi tum damno, tum dedecore omiſſa. Facere contrà non poſſum, quin vnum & alterum epiſcopalis auaritiæ & inhoſpitalitatis exemplum memorabile hic citem, contraria enim iuxta ſe poſita magis eluceſcūt. Æneas Syluius in hiſtoria Bohemica, cap. 35. & 42. autor eſt Albicum Poſonienſem in Hungaria epiſcopum, vnicum extremæ auaritiæ barathrum, qui claues cellæ vinariæ nulli quàm ſibi crederet, animalia dono accepta mox venderet, quòd ſumptuoſos eſſe coquos didicerat, abiectam anum popinæ ſuæ præfecerat. Interrogatus ſonorū omnium quem moleſtius audiret, maxillarum, inquit, oſſa frangētium. Idoneus profecto pontifex, qui ſurgenti fomentū hæreſi daret, cum enim familiam edentem bibentémque ferre non poſſet, minori contētus officio dignitati ceſſit, & auaritiæ ſeruiuit. Al-

Cauponarū interdictio.

Aeneas Syluius.

Auaritiæ episcopalis exempla nobilia.

terum nimis quàm ſanè horrendum Hattonis ex abbate fuldenſi archiepiſcopi Mogũtini 32. qui anno 914. plurimos pauperes magna fame preſſos, dictitans nihil à muribus differre, frumentum quippe comedentes, & ad nihilũ vtiles, in horreum congregatos concremauit, iuſto Dei iudicio à murib⁹ cateruatim noctu diúque inuaſus, & in media Rheni turri, in quam cõfugerat, deuoratus, abroſo eius ex parietibus & tapetibus nomine. Renarrat Munſteri Coſmograph. lib. 3. pag. 486. 493. Idem ait cõtigiſſe Vvilderolfo Argentinę epiſcopo, anno 997. pag. 458. Tyranno Poloniæ Pompilio, Reginę eorúmque filiis, pag. 891. lib. 4. quorum in pauperes ſcelus imitatus Heriberti Coloniẽſis Archiepiſcopi frater, pœnitens Romã profectus, & abſolut⁹ eſt monaſterij cõſtruẽdi lege, pag. 506. Hæc obiter in auaros, inhumanos, & inhoſpitales epiſcopos: quales hodie ſi non à muribus, certè ab auibus, canibus, equis, & ſcortis, qui comederentur, vtinam nulli ſint. Sequuntur reliqua quæ pertinent ad conuerſationem vitæ, *Benignum*, vt hoſpites cum benignitate ac beneuolentia, non cum triſtitia ſuſcipiat, Hieronymo bonorum amatorem, φιλάγαθον, vel operum, vel hominũ, propterea quòd boni ſunt eorúmque delectetur cõſuetudine ac familiaritate: boni ac virtutis amãtem, bonarũ rerum ſtudioſum. Theophylacto, humanum, modeſtum, minimè inuidum, his denique contrariũ, quos 2. Tim. 3. futuros prædixit, ἀφιλάγατυς,

Crudelis auaritia.

ſine benignitate, bonis inimicos,omnis boni hoſtes.Et hęc quidem omnia ante epiſcopatũ, inquit Sedulius, multo magis in epiſcopatu, quod & ſenſit Bruno, qui pauperes receperit, receptíſque pauperibus, & quibuſcunque ſua largè miniſtrantem,benignè omnes diligat,& quicquid boni poteſt,tam ſpiritaliter,quã cor-
σώφρον. poraliter impendat. *Sobrium*, σώφρονα, Ambroſio prudentem, Hieronymo caſtum, notanti veterem interpretem, quaſi verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem verterit. At interpreti patrocinatur Eraſmus,quòd cùm vtrunque vox Græca ambigua ſignificet,nõ minus licuerit prudentem,transferre, quàm pudicum:an non enim & prudentia epiſcopo con-
Sobrius. gruit?Sobrium ergò iuxta eiuſdem vocis Græcæ proprietatem,& ſanæ mentis,nullíſque temulentum cupiditatibus,Græcis purum, & ab affectibus liberum,Lyræ tenẽtem in omnibus menſuram, Brunoni frugi in cibo,potu,veſtitu,Anſelmo,vt corporalis ebrietas ab eo longè ſit,nec ſenſum eius vel mundana cupiditas,vel ira,vel quoduis aliud vitium inebriet, ſed acuto ſenſu diiudicet omnia, vt vir ſpiritualis, 1. Cor.2.Indignum tamen Hieronymianum epiſcopalis caſtitatis patrocinium, quod hic omittatur,cuius etiam præcedẽtia in opere de Continentia,lib.1.cap.9. cum reliquis eiuſdem autoris teſtimoniis. Sic autem hoc loco concludit, Quomodo itaque manſuetudo,patientia, ſobrietas,moderatio, abſtinentia lucri,hoſpitalitas

talitas & benignitas, præcipuè eſſe debent in epiſcopo, & inter laicos eminentia, ſic & caſtitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia ſacerdotalis, vt non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore, mens Chriſti corpus confectura, ſit libera. Sequitur, *Iuſtum*, vt cum Lyra dicã, formaliter quantum ad ſeipſum, effectiuè quantũ ad populum ſibi ſubditum, cui iudicium debet facere, & iuſtitiam ſeruare. Theophylacto, in hominum commercio citra perſonarum delectum conuerſantem, qui perſonam non præferat, nec vllius, in iudicio præſertim, acceptionẽ habeat, quod toties ſcriptura præcipit, Leuit. 19. Deut. 1. 16. Prou. 24. Eſa. 42. Iac. 2. vt Iuſtitiã populis quibus præeſt, exerceat, reddẽs vnicuique quod meretur. Inter laici autem & epiſcopi iuſtitiam hoc intereſſe notat poſt Hieronymum Anſelmus, quòd ille iuſtus apparere poteſt in paucis, hic in tot eam exercere debet, quot ſubditos habet. Iuſtum ergo proximo, *Sanctum*, Deo, pium & Dei colentem ſui cultorẽ nihil in diuinis rebus, & ad Deum pertinentibus omittentem. Sic enim ὅσιον, Græcè ſignificat Hieronymo, cùm ſanctitas mixta eſt pietate, & ad Deum refertur. Neutrobi ſine peccato dixit, quod fieri nequit, ſed vt iuſtitiã requirit, id eſt, erga peccatores compaſſionem, animi probitatẽ, ab omni nequitia & malitia alienam, Ita ſanctitatem Anſelmo, ab omni inquinamento, quantum à nobis fieri poteſt, liberã,

Caſtitas, ſacerdotũ propria.

Iuſtum.

Iuſtitia non eadem epiſcopi & laici.

ὅσιος.

Sanctitas.

puram,incontaminatam. Subiicit ἐγκρατῆ, *Con-*
Continens. *tinentem*,siue Hieronymo,abstinẽtem,hoc est,
eidem & Græcis,& aliquot etiam Latinis,non
solum in cibo,potu,venere temperantem,non
tantum,vt quidam putant,à libidine & ab vxo
ris amplexu,sed & ab omnibus illicitis affecti-
bus coërcentem,firmiter cõtra tentationis im
petum se tenentem,linguam,manus,& impu-
dicos oculos cohibentem, In talibus enim re-
gendis & moderandis versatur temperantia,
nè quis ad iracundiam concitetur,tristitia deii-
ciatur,immoderata lætitia sustollatur, terrore
exagitetur. Continẽtia enim non in carnis so-
lùm opere aut concupiscentia,sed in omnibus
vbique rebus est necessaria,ne honores indebi
tos appetamus,auaritia accendamur, neu alia
perturbatione superemur. Id si ab omnib⁹ exi-
gitur,quanto magis ab episcopo,qui patiens &
mansuetus debet aliorum ferre vitia,consolari
pusillanimes,sustẽtare infirmos, vincere in bo
no malum,nulli malum pro malo reddere? Mi
rè id prospexit Paulus,non posse aliis prospice
re,qui sit affectibus obnoxius,non liber, nõ su
perior, sed iisdem cum vulgo cupiditatibus ser
uiat. Scholia Hieronymo & Primasio inscripta
obseruant incontinentiam & continentiã Pau
lo nunquã nisi in causa luxuriȩ,nominari (quasi
verò Paulus latinè scripserit) sanctum ergo in
opere per continentiam hic dixisse,nè quia v-
nius vxoris fecerat mentionem,locum incon-
tinentiæ dedisse putetur. Et hinc quidam recẽ-

tiores clericalis cõtinentiæ ius diuinum vrgēt, ſed, vt videre eſt, præter mentē veterũ huius loci interpretũ, Græcorũ & Latinorũ. Illud, vt eſt extra controuerſiã, ita propius literã, Requiri ab Apoſtolo epiſcopũ, virũ à vita impura & pro fana alienũ, vitæ puræ, caſtę, & ſanctę amantē. Duo enim paria virtutum contexuit, quorũ primũ ad alios, ſecũdũ ad epiſcopi perſonam ſeſe extendit. Iam verò ſequuntur quæ ad epiſcopi doctrinam pertinent: *Amplectentem*, Hieronymo obtinentē, Ambroſio tenacem, propriè ac eleganter ἀντεχόμενον, ſic alicui adhærentē ac velut vnguibus affixum ſignificat, vt ſe non ſinat auelli, & qui amplectitur, ſtringit, fit autem amplexus ex amore. Oportet igitur epiſcopũ ſciētiæ cum amplexu inhærere, hoc eſt, cum firma animi adhæſione, & cordis dilectione. Arripe ſapientiam, & exaltabit te, glorificaberis ab ea, cùm eam fueris amplexatus, Prou. 4. præoccupat enim eos qui ſe concupiſcunt, Sap. 6. Diligenter ergo tractantem, curantem, & in hoc incumbētem: materiam autem ſtudij ſacerdotalis, non ait diſertas & arte compoſitas fabulas, 2. Petr. 1. non philoſophiam, Col. 2. nõ Sophiſticen, Eccl. 37. non ſermonis ſublimitatem, ſeu eminentiam, nec perſuaſoria humanæ ſapiētię verba, 1. Cor. 2. non hominum denique ac nè angelorum quidem viſiones, doctrinas, præcepta, Col. 2. ſed *fidelem ſermonem*, vel fidei in qua oportet epiſcopum inſtitui, vel potius inſtitutum eſſe, alios vtique inſtituturum: vel veracē,

Epiſcopus apoſtolicus qualis eſſe debeat.

Amplexus, amoris eſt.

Fidelis.

certum,indubitatum,vt certa,& quæ ipſam veri faciem præ ſe ferant,reſpondeat:& quomodo ſermo Dei fidelis eſt , & omni acceptione dignus, 1.Tim.1.3. ſic epiſcopus talem ſe præbeat,vt omne quod loquitur,fide dignum exiſtimetur,& eius verba ſint veritatis regula.Diligentem ergo non ſeculares aut otioſas fabellas,non vanas & inanes quæſtiunculas,ſed ſermonem verum,nec omnem talem, ſed *eum qui eſt ſecundum doctrinam* , ad prædicationem idoneũ : Sũt enim permulta vera,quibus nihil neceſſe eſt epiſcopum intendere , & alii quidem ſtudent vt diſcant,& bene operentur, Epiſcopo non ſufficit,niſi &alios quoque doceat. Attende (ait alibi noſter) lectioni & doctrinæ, 1. Tim.4. amplectatur ergo huiuſmodi verbum, quo poſſint & audientes doceri. Græci ſecus exponunt,fidei nimirum ſermonem , per fidei gratiam traditũ, nec verbis diſertis aut faſtuoſis,nec argutis aut acutis concluſiunculis , nec philoſophicis demonſtrationibus,externa denique ſapientia vt non ſuppeditatũ, ita nec indigentem,ſed ſcripturarum peritia , & ſententiarum (biblicarum) grauitate , ſic enim Dei verbum doctrina melius & fœlicius procedit. Breuiter, diligenter ſtudentem in ſacra ſcriptura , Cuius duplex vſus,prior,*vt potens ſit exhortari*, Hieronymo conſolari , παρακαλεῖν,fideles non tantum indoctos docere, ſed & ceſſantes cohortari &extimulare,& afflictos,quíque ſeculi turbinibus exagitantur,ſolari. Attẽde,in-

Epiſcopus docere debet.

quit, exhortationi, 1.Tim.4. &, pro Christo le
gatione fungimur, tanquam Deo per nos ex-
hortante, 2.Cor.5. sed quid aliud passim quàm
vtrunque facit, & faciendum præscribit? *in do-
ctrina sana*, pro, per doctrinam sanam, quæ abs-
que vllius erroris mixtione, & nulla falsitate
corrupta, docet tum vera dogmata, tũ rectam
vitam, & sic audientes sanat, & rectè viuentes,
rectámque fidem tuentes consolidat, ait Ana-
cletus in Ca. finali. Dist.45. Quod epitheton
his ad discipulos epistolis Apostolo sæpius re-
currit, 1. Tim.1.6.2.Tim.1.4. Tit.2. ad distin-
ctionem languidæ, infirmæque doctrinæ: qui
non acquiescit sanis sermonibus, languet circa
quæstiones & pugnas verborum, 1.Tim.6. Po-
sterior scripturæ vtilitas, *& eos qui contradicunt,
arguere*, qui fidem impugnant, siue Iudæos, siue
paganos, siue hæreticos, obloquẽdo, siue pseu-
dochristianos, malè viuẽdo, efficaciter resisten
do refellere, non vno enim modo contradici- *Cõtradictio*
tur, nam vt pauci loquendo contradicant (quis *non vno mo-*
enim apertissimæ veritati cõtradicere audeat?) *do fit.*
vita certè malísque morib⁹ multi sanæ sanctæ-
que doctrinæ contradicunt, præcipit hæc non
fornicari, fornicantur, non rapere, rapiunt, reli
quáque mala à quibus prohibentur, faciũt, hos
redarguere magnum opus, grandis sarcina, cli
uus arduus, hæc pauca ex multis Augustini de
verbis Apostoli, serm.19. Sed cùm Paulus alibi
prohibeat verbis contendere, 2.Tim.2. qui hic
contrà præcipit contradicentes arguere? hæc

duo quæ apparerent contraria, quam differentiam habeant sic exponit Anticeimenon lib. 3. Quæst. 40. Nō enim illud ideo dictū, vt aduersariis veritatē oppugnantibus nihil nos pro ea respōdeamus. Et vbi erit quod hic in episcopo requirit, vt norit eos redarguere? Verbis autē contēdere, est non curare qui error à veritate vincatur, sed quomodo tua dictio dictioni prę feratur alteri⁹. Porrò verbis nō cōtēdit, qui siue submissè, siue tēperatè, siue grauiter dicat, id agit verbis, vt veritas pateat, placeat, moueat. Cū ergo contra veritatē cōtēditur, vanitatis est vitiū: Cū autē verbi minister iubetur esse potēs doctrina, vt norit cōtradicētes reuincere, spiritualis est doctrinæ magisteriū, quo veritati, nō vanitati seruitur. Ex August. libro de Doctrina Christiana. 4. ca. 28. Sit ergo episcopus scripturæ peritus, ad suorū custodiā & hostiū euersionē, vt & fidei domesticos cōseruet, & inimicos arceat: qui hāc rectè tenet, simul credētib⁹ vtilē tradit doctrinā, simul aduersarios reuincit.

Episcopus quorum peritus esse debeat

Hic Chrysost. Pauli exēplū proponit, qui tātò plura maioráque perfecerit Euāgelica doctrina, quā Plato diserta sapiētia, orbē vniuersū cō uerterit, nō tā signis quā verbis. Nā si Actus Apostolorū euoluas, cōperies eū plus & sępi⁹ doctrinæ virtute, quā miraculorum vi obtinuisse. Addo, quo tēpore? vtiq; cū Christ⁹, quē noster prædicabat, recēs adhuc cōtradictionis signū, Luc. 2. qui nō ita dudū talē tātáque sustinuerat ab impiis aduersum se cōtradictionē, Heb. 12,

Pauli prædicatio quàm efficax.

tota die manibus extẽsis ad populũ non credẽtẽ, sed cõtradicẽtẽ, Rom.10. cuius sectæ doctrinæque tũ ab omnib⁹ cõtradiceretur, Iudęis atque gẽtibus, Act.13.18.28. Quid igitur cõtradictus iste nostra causa Christus? Dabo vobis os & sapiẽtiã, cui cõtradicere & resistere nõ possint aduersarij vestri, Luc.21. cuiusmodi Pharisæi Iudæorũ peritissimi Petro & Ioãni illiteratis & idiotis, animaduersa eorũ in dicẽdo cõstãtia, nihil poterãt cõtradicere, Act.4. Sed quo magis cõstet nos in vrgẽda necessaria pastoribus doctrina necessariò hactenus fuisse importunos, etiãnũ esse, & propicio Deo, semper fore. Audiamus Leonẽ Romanũ maximo Antiocheno episc. quã id sacerdotib⁹ tũ necessariũ, tũ etiã propriũ propriè sit sic scribẽtẽ, epist.62. Id quoq; dilectionẽ tuã cõuenit prædicare, vt nemo pręter Dñi sacerdotes sibi ius docẽdi & prędicãdi audeat vẽdicare, siue monachus, siue laic⁹, sciẽtię nomine glorietur. Quod & si optãdũ est, vt omnes Ecclesiæ filii, quæ recta sunt & sana, sapiant, non tamen permittendum est, vt quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris adsumat, cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conueniat. O tempora. Atqui quod tum tantùm sacerdotum erat, hodie, si Deo placet, fraterculorum est. Sed lubet adhuc hunc Apostoli locum ex Episcopo Deo dignissimo repetere. Is est Hilarius initio lib.8. de Trinitate. B. inquit, Paulus formam constituendi Episcopi fi-

Pharisæi Iudæorum peritissimi.

Hilarius.

gens,& planè nouum Ecclesiæ hominem prę-ceptis suis condens,hanc veluti summam consummatarum in eo virtutum esse docuit,dicēs, *Obtinentem secūdum doctrinam fidei verbum,vt potens sit exhortari ad doctrinam sanam, & contradicētes reuincere,* Ita quæ propria disciplinæ ac morum sunt,ad sacerdotij meritū vtilia esse significat, Si etiam hæc quæ ad docēdæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt,inter reliqua non deerunt. Quia non statim boni atque vtilis sacerdotis est,aut tantūmodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare,cū & innocens sibi tantum proficiat,nisi doctus sit,& doct⁹ sine doctrinæ sit autoritate,nisi innocēs sit.Nō enim apostolicus sermo probitatis honestatísque præceptis hominem tātum seculo conformat ad vitā,neque rursum per doctrinę scientiam scribam Synagogæ instituit ad legē, sed perfectū ecclesiæ principē perfectis maximarū virtutū bonis īstruit,vt &vita eius ornetur docēdo,& doctrina viuēdo,hæc ille.Eāt episcopi,& à docēdi per se necessitate,si possint excusēt. Secūdò cū Hiero.tā nō indignari,quā nō obseruare nō possum⁹,cū Paulus post catalogum cōuersationis episcopi (superiora enim quę in huius virtutibus posuit,ad vitā pertinēt) sciētiam & doctrinam similiter præceperit (ad vtranque enim hæc posteriora referenda sunt) esse tamen qui inertiæ se & otio,& somno dātes,penè peccatū putent,scripturas legere,eósq; qui in lege Domini meditātur die ac nocte,

quasi garrulos inutilésque contemnant. Et memini Episcopum Italum nobilem, nec verò imperitum, mihi dicere, conterraneos suos à studio Theologico deterreri, & quodãmodo abhorrere, nè sic fiant hæretici, quasi verò hæreses ex scripturarum studio, ac nõ potius ex neglectu & ignorantia nascantur. Quam igitur artem vestrates (aio) profitentur? Iuris (ait) vtriusque, sed in primis canonici, breue scilicet ad rotam, hinc ad Episcopas, ad galeros, ad amplissimas legationes, ad Dei denique in terris summas vices compendium, nedum ad præbẽdas & dignitates, theologis nihilo penè præter curata, quæ vocant, sacerdotia, reliquo facto. Atqui vestrum istud vtrunque ius non studium modò theologicũ viris sacris magno serio imponit, Dist. 36. 38. & alibi passim, sed & à legũ auscultatione, nedum professione, non sine multarum dirarum comminatione abarcet, alioqui hoc ipso studio sententiam excommunicationis incursuros. Hunc enim canonẽ sententiæ latæ in Concilio Turonensi contra monachos conditum Honorius III. ad archidiaconos, decanos, plebanos præpositos, cantores, alios personatus habentes clericos & Presbyteros extendit, Theologiæ ita cupiens studium ampliari, vt dilatato tentorij sui loco, & funiculis factis longioribus, catholica fides esset inexpugnabili bellatorum muro circuncincta, quibus resistere valeret ascendẽtibus ex aduerso. Extra. Nè cleric. vel monach. ca. Super spe-

Theologicũ studiũ abhorrentes, ne hæretici fiant.

Iuris canonici studiũ quò vtile.

Prædicatores, bellatores. cula. Agnoſcis Pauli mentem, ſi non verba, & bellatores enim gloſſographus prædicatores exponit, qui hæreticis reſiſtere autoritate diuinæ ſcripturæ poſſint, qui etiam ait ſe credere omnes tales pręter pœnam conſtitutionis huius leges non audire, quòd vbi non diſtinxerit canonis conditor, multò minus interpres debeat. Sed licet audire leges, vt ita melius intelligantur canones, ait altera gloſſa. in ca. Epiſcopus. Diſt. 37. Atqui eædem leges abſurdum eſſe putant & opprobrio clericis, ſi ſe velint oſtendere forenſium diſceptationum eſſe peritos. C. de Epiſc. L. Repetita. & de Teſtament. L. Conſulta diualia. Sed per me ſanè ius vtrunq; amplectãtur, & ad hoc enim & illud mihi per eos obiter diuertere licet, modò nè diuinũ, hoc eſt, biblicũ, omittãt, modò & fidei ſermonẽ, quo ad docẽdũ inſtructi ſint, hoc eſt, propheticũ & Apoſtolicũ amplectãtur. Imò iuriũ (aiunt iſti) bonus interpres theologia non eget: Cur ita? Quòd in iure omnes diſciplinæ includantur, αὐτὸς ἔφα, *Accurſius iuris ſtudioſorũ Pythagoras.* Accurſius dixit, iſtorum ſcilicet, pluſquam Pythagoras. in L. Iuſtitia. D. de Iuſtitia & Iure. Cùm Iuriſprudentia ſit diuinarum humanarúmque rerum notitia, nunquid (ait) quiçunque vult iuris prudens vel conſultus eſſe, debet Theologiam legere? Minimè. nam omnia in corpore iuris inueniuntur. In cuius etiam multis titulis de diuinis traditur. Bellè ſcilicet, collectum. perinde quaſi philoſopho aut oratori reliquis artibus nihil opus eſſe inde cõ-

ficias, quod hic, authore Fabio lib.1.cap.16. efficiat orbem illum doctrinæ, quem Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocant. Illum de sua vi ac sapientia vnum omnia profiteri, disputet apud Tullium Antonius li.1.de Oratore. Sed vt clericum leges non dedeceant, quàm lites eum minimè deceant, abundè diximus in clerico litigioso, Digress. lib. 2. cap. 8. ad 11. Redeamus ad Theologum clericum. Dum igitur omisso Theologiæ studio, canonicũ & ciuile, hoc est, panem (quod aiunt) lucrandum, parui properamus & ampli, quid nobis accidit ex horum Paulini & Honoriani canonum neglectu ac desuetudine? Id nimirum quod hoc loco pergit admonere Hieronymus, Si Episcopi tantũ vita sit sancta, sibi potest prodesse sic viuens. imò nec sic quidem sibi prodest, Hieronyme, cum alibi aias, Innocentem sanctámque rusticitatem, quantum vitæ merito ædificare ac prodesse, tantum silentio nocere ac destruere, ad Oceanum & ad Paulinum. Porrò si doctrina fuerit & sermone eruditus, potest non solum se suósque instruere ac docere, sed & aduersarios repercutere, qui nisi refutati, facilè queunt simplicium corda peruertere. Et vnde quæso, tanta tanquam vetus morũ & dogmatũ inter Christianos peruersio, nisi ex ignorãtia omnium errorum & vitiorum matre? re vel omnium maximè per sacerdotes euitanda. Distinctione 38.ca.1.ex Toletan.4.ca.24. Sed vnde tantum in Gallia nostra ministrorum qui se

Ministri extraordinarij

extraordinarios non diffitentur,examen & incrementum,nisi quod ordinarij, Episcopi vtique & curiones,qui beneficiũ, & proinde docendi in populo Dei officium susceperũt, non iuxta hũc diuinum & Apostolicum canonem, scripturas sanctas sacrósque canones,vel sciunt vel legunt,non eorum opus omne in prædicatione consistit & doctrina, non suos tam fidei scientia, quàm operum disciplina ædificant? Subintrãt ergò ministri noui, & vel cathedras in vicis præsertim desertas atque vacuas, quodam quasi iure occupantium conscendunt, vel absentibus vt plurimum pastoribus, vicarios imperitiores & planè mutos nacti, dum catechismum suum assiduè eandem velut incudem tundentes,inculcant, nemine contra quàm solitum erat dicentes redarguente, quid mirum si fidem olim iam persuasam dissuadentes,persuadent,euertunt,præualent? Necdum verò finis. Serpent enim omnino, & serpere non desinent, nisi ordinarij sibi tandem persuaserint, quod & hic Græci obseruant. Alias quæ hic in Episcopo requiruntur ab Apostolo virtutes,in aliis quidem quàm Episcopis inuentu fortè faciles,hospitalem vt puta esse, sanctum,iustum, sobrium,& id genus. qui autem Episcopum ad viuum exprimit,characterem,docẽdi esse munus ac facultatem, nam nisi hoc possit ac præstet,omnia pereunt, pereunt inquam, greges cum pastoribus,nisi enim quis & suos confirmare atque consolari,& aduersus hostes dimi-

Catechismi hodierni.

Character Episcopi, docendi munus

care, & ad Christi obedientiam intellectum omnem captiuare didicerit, nihil faciet eorum quæ conueniunt, pseudepiscopus est, ait hic Theophylactus, imò Paulus, imò per Paulum Dominus. Qui (inquit) ignorat rectam sanámque doctrinam, vt oportuerit, tradere, & aliter sentientes aut docentes confutare, procul ab Episcopali sede arceatur, Cuius rei nullam ferme tádiu curam haberi, cum Chrysostomo & videmus & ingemiscimus. Et audit scilicet hæreticus, qui Episcopos nihil horum præstantes, ac nè præstare quidem potentes, Possiaci ad scholas non ita nuper amandabat, quasi verò non eodem tales vel inuitos amandent Concilia, sed ecquónam alio tales? ad ganeas, an ad disciplinas? Sed de necessaria, inexcusabili, indispensabili pastoribus tum doctrina, tum etiã prædicatione, nos in Doctore Clerico. Digressionum lib. & cap. 2. hic tantum addimus, qui tum non occurrebat, Gregorij locum, cũ Gratiano truncatim: citatum sub finem eiusdem Can. ex Pastoralis parte 2. cap. vlti. Cùm spiritale aliquid pastor à subditis inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cũ quæstionem debet enodare. quia nimirum necesse est, vt qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Idẽ eiusdem libri cap. 4. & Epistola 24. Registri 1. citans hunc Pauli locum, & aliunde confirmãs, Hinc per Prophetam Dominus admonet, Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.

Præconis, ait, officium ſuſcipit, quiſquis ad ſacerdotium aſcendit, vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter ſequitur, clamando ſcilicet gradiatur, Sacerdos verò ſi prędicationis eſt neſciꝰ, quam clamoris vocem daturus eſt præco mutus? hinc paſtores primos in linguarum ſpecie Spirituſſanctus inſedit, quia nimirùm quos repleuerit, de ſe protinus loquentes facit. Et homil. 11. ſuper Ezechielem, O quàm liber à commiſſorum ſibi ſanguine fuerat prædicator egregius, qui dicebat, Mundus ſum à ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi quominùs annunciarē omne cõſilium Dei, Act. 20. Si enim non annunciaſſet, mũdus à ſanguine non eſſet: ſed quibus omne conſilium Dei annunciare ſtuduit, ab eorum ſanguine mundus fuit. In qua voce nos ſacerdotes conuenimur, cõſtringimur, rei oſtẽdimur, qui ſuper mala, quæ propria habemus, alienas quoque mortes addimus, qui tot occidimus, quot ad mortē ire quotidie tepidi & tacentes videmus. Tacentes ſe & alios vocat, in hoc opere ceſſantes, & minus quam conuenit, aſſiduos. Et de prædicandi debito, ſic nunquam ita ab Epiſcopis ſoluendo, vt non eius ſemper debitor maneat. Auguſtinus, cùm aliis ibi per nos loci indicatis, tum tractat. 18. in Io. Debitores (ait concionabũdus) ſumus, non nunc, ſed ſemper quandiu viuimus, quia propter vos viuimus. Viderunt hoc quorũ tandemcunque conſilio, Anno 1563. die 3. Ianuarij Legati Regis Galliarũ Chriſtianiſſimi Caroli

IX. qui hęc inter Ecclesiis reformãdis necessaria postulauerũt, articulo. 5. Presbyteri, sacrisq; intiati, & cuiusuis Ecclesiæ ministerio addicti, in ea vocatione in qua à Domino vocati sunt, permaneant, nec in alio munere & officio, quàm quod Dei ministerium deceat, versentur. Iuxta hoc postulatũ nullos habebit Gallia Episcopos vel Presbyteros, magistratus aulicos vel palatinos. 6. Nullus eligatur Episcopus, qui non & ætatis sit legitimæ, iisque moribus & doctrina præditus, vt & populum docere, & ei vitæ exemplar esse possit, & qui non sit satis iis omnibus instructus, quæ sufficiant ad Episcopi munus rite per se obeundũ. Et quotusquisque nostratium Episcoporum, quorũ nomine hęc postulata circunferuntur, Tridento redux suos per se docet? nisi fortè semel & iterum vulgò sese ex suggestu ostentare, est tenacem esse doctrinæ. 7. is quoque creetur pleban⁹, qui & probatæ vitæ sit, & populum in lege Dei instruere possit, Sacrificium rite celebrare, sacramenta, vt par est, administrare, & in illorum vsum & effectum, illos, quibus ea administrat, rectè docere. Sic fiet vt quod hic requirit Apostolus, pastores & gregem pascant, & lupos arceant. Sequitur in textu.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & seductores, maximè qui de Circuncisione sunt, quos oportet redargui, qui vniuersas domos subuertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia. Dixit quidam ex illis proprius ipsorum propheta, Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri. Testimonium hoc verum est.

SVPERIORVM, vltimi præsertim dicti, Cur scilicet Episcopus in promptu habere debet, vt quando necesse sit, cōtradicentes conuincat, rationem affert, ex parte tum falsorum doctorum, tum malorum auditorũ, & illorum quidem primùm conditiones describit, posteà remedium indicat. Mores autem, siue characteres, quibus internoscantur, ostẽdit, primùm ex numero, *Sunt enim multi*, q.d. Qui Ecclesiæ futurus est princeps, docendi dedocendíq; habeat facultatem cum vitę integritate sociatam, nè opera absque sermone taceant, dicta factis deficientibus erubescant, maximè cum sint nō pauci, sed plures, latam viam quę ducit ad perditionem, Mat.7. ambulantes. imó stultorũ infinitus est numerus, Eccle.1. & Episcopis, imò mandatis diuinis non acquiescentes, sed *etiam inobedientes*, quæ est secunda nota, reliquorum quæ sequuntur, malorum omniũ radix, inobedientiæ

Characteres falsorum doctorum.

Opera sermoni iungẽda.

Inobediẽtia malum.

dientiæ aduerſus Deum & ſuos ſuperiores vitium, ἀνυπότακτοι, Ambroſio, non obedientes, Hieronymo, Hilario, & Auguſtino non ſubditi, vt paulò antè, filios nō ſubditos, & 1. Tim. 1. qui non curent illud, Nonnè ſubiecta eſt Deo anima mea? Pſal. 61. Sonat autem, q. d. qui in ordinem cogi non poſſunt, intractabiles, refractarij, Regi, inquit, nolūt & ſubeſſe, ſed præeſſe, & regere. Et futurū quidem Epiſcopum, vt aliquando doceat, prius oportet diſcere, Qui autē inobediens ſit & immorigerus, doceri non ſuſtinet, proinde nihil mirum, ſi ſani nihil rectíque is didicerit. Tales igitur nō Apoſtolicæ tātùm doctrinæ non obtemperantes, ſed & quia prius docentes quàm diſcentes, *vaniloqui*, ματαιολόγοι, non Theologi, à quo ματαιολογία, vaniloquium, 1. Tim. 1. quod eſt tertium horū ſignum cum ſequenti. Inania friuoláque, & ad nullum profectum loquentes, vanas ſectas prędicantes. Vani ſunt omnes homines, in quibus non ſubeſt Dei ſcientia, Sap. 13. & quia qualia didicerunt, talia docent, *Seductores*, vt ſimpliciter tranſtulit Latinus interpres, Hieronymus, mentium deceptores, φρεναπάται, tum ſe, tum alios decipientes, alios à veritate in errorem poſt ſe trahentes, bonam mentium ſementem de innata aut infuſa Dei notitia, inani perſuaſione peruertentes, & multiloquio corda ſimplicium perturbantes: Et quidem ſine ſcripturarum autoritate garrulitas fidem nō haberet, niſi viderentur peruerſam doctrinā etiā diuinis

ἀνυπότακτοι.

testimoniis roborare. Priusquã vltrà pergam⁹, lubet huius & proximi antè loci cœptã ex Hilario expositionem prosequi, Pergit autẽ vbi suprà, lib 8. de Trinit. sic, multi sunt, qui simulantes fidẽ, non subditi sunt fidei, sibíque fidẽ ipsi potius constituunt, quàm accipiunt, sensu inanitatis humanæ inflati, dũ quæ volunt, sapiũt, & nolunt sapere quæ vera sunt, cùm sapientiæ veritas sit ea interdũ sapere quę nolis. Sequitur verò hanc voluntatis sapientiã sermo stultitiæ, quia necesse est quod stultè sapitur, stultè & prædicetur. Iam verò stulta prædicatio quantũ malum est audientiũ, cùm seducũtur in sententiam stultitiæ sub opinione sapiẽtiæ? Et idcirco Apostolus hunc de his ordinem tenuit, dicens, *Sunt enim multi non subditi, vaniloqui, seductores*, Cõtradicendũ itaque & impietati insolenti, & insolentiæ vaniloquæ, & vaniloquio seducẽti, & cõtradicendũ per doctrinę sanitatẽ, per fidei veritatẽ, per verborũ synceritatẽ, vt & sanitas veritatis sit, & veritas sanitatis. Ac mihi quidẽ (ait) & nunc cõmemorandę huius sentẽtię Apostolicę fuit causa, quia homines mẽte peruersi, & professione fallaces, & spe inanes, & sermone viperini, cõtradicendi nobis necessitatẽ imponũt, dũ lethales doctrinas, & morbidas intelligẽtias, & corruptas volũtates, simplicitati audiẽtiũ per speciẽ religionis insinuant, hęc ille. Qui autẽ sunt, qui hãc artẽ & calliditatẽ auditores seducẽdi habẽt? *maximè qui de circũcisione sunt*, qui quart⁹ est horũ character, ex loco, vel poti⁹ gẽ-

Hilarius.

te, Iudęi, vel magis Iudaizãtes: Quibus cũ Dñs gloriam inané, Ioã. 5. & præsidẽdi ambitioné, Mat. 23. exprobrasset, hũc morbũ post susceptã fidẽ adeò nõ reliquerãt, vt suas potius traditiones, quã Dei mãdata loquerẽtur, in Christo renati, neq; puri tamẽ Christiani, sub nomine Iesu Iudaïcè docẽtes, partim legẽ, partim Euãgeliũ obseruãtes, & obseruari volẽtes. Hi à Iudaïsmo ad baptismũ veniẽtes, nascentẽ tũc temporis Christi Ecclesiã subuertere nitebãtur, carnales legis obseruãtias nõ deserentes, & pręcepta legalia introducẽtes. De quib⁹ Paulus plenius, ad Rom. Gal. Col. 2. Act. 15. Ad eos post ostẽsam Episcopi formã, accusandos, orationẽ cõuertit, & quod adulterina quędã & corrupta dogmata prędicarẽt, Euãgeliũ adulterãtes, & cauponãtes, 2. Cor. 2. 4. bono Christi vino insipidã tũ Mosis aquã admiscentes, Esa. 1. hoc his incõmodis remediũ arbitratur, vt nõ tolerẽtur (inquiẽs) *quos oportet redargui*, ἐπιστομίζειν, os occludere, seu obturare, Hieronymus, silentium indici, Augustinus contra Cresconium lib. 1. cap. 9. repelli, vbi hinc etiam concludit non obedituris, sed aliter & cõtrà sensuris & dicturis prædicãdum. Hic (ait) si flagitaris vt ostendã vbi Deus mihi pręceperit id agere quod prohibes, memẽto Apostolicas Epistolas, non iis tantùm scriptas, qui quo illæ tẽpore scribebãtur, audiebãt, sed etiã nobis, nõ enim ob aliud in Ecclesia recitantur. Attẽde ergò quod Titũ, cùm explicaret qualis esse Episcopus debeat, etiã perseuerã-

Iudæorũ ambitio.

ἐπιστομίζειν quid.

Apostolicæ Epistolæ cui scriptæ.

tē dixit esse oportere in doctrina, vt possit cōtradicentes redarguere. Oportere in doctrina redargui refellíque ab Episcopo vaniloquos, indubitata præceptione firmauit. Vnde quod mihi iussum essecognosco, pro viribus ago, &c. Talis ergò Ecclesiæ doctor, cui animæ populorum creditæ sunt, scripturarum debet ratione superare, & silentium eis testimoniorum pondere imponere. Permittendi non sunt, sic enim corrumperetur populus, & pastoribus imputaretur, Non ascendistis ex aduerso, neque vos murum opposuistis, Ezech. 13. Argue, increpa, insta opportunè importunè, 2. Tim. 4. Si persuadere nequiueris, obiurgationum vi ac vehementia ora his obstruas, & nec loqui eos permittas, reprime, suffrena. Et quid inde lucri? corruptoribus quidem nihil, at aliis alioqui corrumpendis. Hæc si non possis, ne sis Episcopus, ait hic Theophylact⁹, nam qui aliorum curam & regimen habet, nec aduersarios refutare nouit, animarū quæ pereunt, & damnorum quæ sequuntur, rationem reddet, Hebr. 13. quasi ad se ea attraxerint, per singulos facti perditionis eorum autores, Nam si quidam ita rectè monet, ne quæras fieri iudex, nisi valeas iniustitiā tollere, virtute irrūpere iniquitates, iniuriis tollēdis esse par. Longè profectò dignius hoc loco quisque admonebitur, quod ibidem Ecclí. 7. Noli quęrere ab homine vel à Domino ducatū aut principatum, neque à rege cathedrā honoris, sedē honorificā, noli, inquā, magister

Vaniloquis vt obstruendum os.

aut Episcopus fieri, si eius rei virtutẽ à te alienã sentias, sed & si traharis, hinc resilire contende. En vt dominandi, & de quo sequitur, lucri amor, vbiq; causa sit, vt subiici nolint qui *vniuersas domos subuertunt*, describit aduersantium peruersum studium, à damno quod inferunt, à quæstu, quẽ concupiscunt, non vnã domũ, aut paucas, sed totas cũ dominis & familiis praua doctrina euertunt, vel euertere nituntur, quasi quidam diaboli vectes & dolabræ, Dei domos demoliũtur, Sicut Dominus dicit Iudæorum Scribis atq; Pharisæis, Circuitis mare & aridã, vt faciatis vnũ proselytũ, Mat. 23. Et de similib⁹ Christianorũ hypocritis noster alibi, penetrãt domos, vt seducãt, præcipuè mulieres, 2. Tim. 3. At catholica doctrinã publicè proponitur in Ecclesia. Sic noui Ministri, ex nõ ita nuper clãculariis & cubicularibus, publici (si Deo placet) reformatores, & dogmatistæ facti sunt, luculẽto sanè parçciarũ, vtinã non etiã parçcianorũ damno. Sequitur, *docentes quæ nõ oportet*, vel credere vel docere, vt pote non sana, sed pestifera, vana, & inutilia, superflua Mosis legalia, per Christi nẽpe mortẽ mortua, & post Euangelij promulgationẽ mortifera. De ciborũ Iudaicorũ differentiis, Sabbati iam aboliti otio, circuncisionis iniuria, per quã qui aliũ volũt acquirere, concisio (ait noster Phil. 3.) sunt, nõ circuncisio, canes mali operarij, fiduciã in carne habẽtes, & gloriã in confusione, id est, in pudendis circũcisis, quorũ quæstus Deus, & aurũ idolũ, vt se-

Pernicies à falsis doctoribus.

Ministrorũ nouorũ fraus

Iudaica doctrina.

quitur,*turpis lucri gratia*, Sic dupliciter peccabãt, & in doctrinę substãtia,& in intẽtione docẽdi, sub Dei nomine docentes, sed magis vt Iudæis placerẽt,hæc agẽtes,à quibus sumptũ sperabãt, vt pecuniã lucri facerent & pręputiũ. Hi erant eorũ quęstus,vt ad Gal.6. Quicũque volũt placere in carne,hi cogunt vos circuncidi. Et vanę ergò gloriæ,& turpis lucri, nõ fideliũ deuotionis captatores erãt,sub cõsulendi specie,agẽtes negotiũ decipiẽdi. Hoc ipsum fidei zelo si facerẽt,aliqua ex parte ignosci posset,zelũ, inquit, Dei quidem habẽt,licet nõ secundum sciẽtiã, Rom.10.sed ventris gratia volunt facere proprios discipulos,vt quasi magistri à sectatorib⁹ suis alantur. Sed & aliter interpretatur Hieronymus turpe lucrũ,vt putet Apostolũ cõmuni verbo vsum,quo solent hæretici,cùm peruersa docent,se hominũ asserere lucratores, cùm lucrũ non sit,sed perditio,animas interficere deceptorũ. Contrà,qui errantẽ fratrem corripuerit,si is fuerit cõuersus,lucratus est eũ, Mat.18. Quod enim melius lucrũ,quid pretiosius, quã animam humanã lucrari? Omnis ergò Ecclesię doctor,qui ad fidem Christi ratione persuadet: Omnis hęreticus,qui pręstigiis quibusdã homines fallit,& fallitur,turpis lucri gratia. Obseruãdum veteres à turpi lucro sic abhorruisse, vt negotiationem publicè pœnitẽtibus vix permiserint,nedum clericis. De quo extat de Pœnit. Dist.5 ca. Qualitas lucri negotiantẽ aut excusat,aut arguit,quia est quæstus & honestus &

Turpe lucrũ

Lucrum honestũ.

Negotiatio quàm periculosa.

turpis. Pœnitenti autẽ vtilius, etiam dispendia pati, quàm periculis negotiationis obstringi: quia difficile est inter ementis vendentísque commercium non interuenire peccatum, ex Leonis 1. Epist. 92. ad Rusticũ Narbonẽ. ca. 9. De sordidis notũ est illud Tullij, nihil proficiũt, nisi admodum mentiantur. 1. officio. &c.

Mētiri ferè negotiationi annexum.

Nihil est quod nõ suadeat hic affectus, Nota sunt illa Catonis, venter auribus caret, ex Plutarcho in Apophthegmatis, & de tuẽda valetudine, ex Gellio, lib. cap. & Homeri Odyss. 7. 15. 17. 18. Venter interpellator molestus, & malesuadus, Et Persij in proœmio, *Venter*

Venter interpellator molestus.

Magister artis, ingeniique largitor,
Vt si dolosi spes refulserit nummi,
Coruos poetas, & poetridas picas
Cantare credas Pegaseium melos.

Et venter quidẽ præcepta non audit, poscit, appellat, non est tamen molestus creditor, ait, Senec. Epist. 21. paruo dimittitur, si modo das illi quod debes, nõ quod potes. Quod dum nec inter Christianos locũ habet, mirũ quã multis multa digna atq; indigna relatu venter cupidus & cupitus quæstus suasit, persuasit, & in Ecclesiæ medium inuexit. Non repetemus quæ olim in turpilucro clerico, & hic paulò antè in turpilucro Episcopo, ex Catholicis priscis & modernis excerpsimus, & reformãda submonuimus, non canones infinitos de gratuita sacrorum dispẽsatione, vt nihil huius ergo vel exigatur vel accipiatur, vt nõ vẽdat vel põtifex

manum quã imponit,vel minister vocẽ, seu lectionem Euangelicã,quã inter ordinandos clericos legit,vel notarius calamũ, aut Epistolam quam scribit,ex gestis Synodi, habitæ à Gregorio 1.lib.4.Indict.13.Epist. 44. siue cap. 88. quod est primũ caput famosi illius & grandis tituli de Simonia.Extra.nec tamen accipi prohibuit.Si quis ordinat⁹,nec ex placito,nec exactus,nec petitus,post acceptas chartas cuiuis ex clero gratiæ tantũ causa dare voluerit, quia dantis oblatio nullã culpæ maculã ingerit, quæ ex accipientis ambitu nõ processit. Sed ex hac distinctione,quasi extorquere,nõ accipere, vel potius arripere vetent veteres canones,primũ eorũ cępit rigor frigescere,extinctus autẽ propemodũ est,dũ super his Christi fideles ad cõsuetudinẽ remissi sunt,vt in cap. Ad Apostolicã,eodẽ titulo.simul & semel,quod aiunt, exactiones prauæ fieri prohibentur, & sacramẽta liberè(glossa gratis)conferri iubẽtur,& piæ laudabiléq;consuetudines obseruari præcipiũtur, laicis,per loci Episcopos veritate cognita,ad eas seruãdas cõpellẽdis.Atqui quod hęc decretalis piũ vocat ex deuotione,& ex cõsuetudine laudabile,tot ibidẽ suprà decretales nõ tãtũ exigi, sed accipi,vt simoniacũ vetãt,&puniũt,quouis licet cõsuetudinis aut prælationis obtentu vel prętextu,quia diuturnitas tẽporis peccata auget nõ diminuit,ca.Nõ satis.& seq. ca. Ea quæ.ca. Veniẽs.ca.Sicut.ca.Intantũ.Quãquã & ibi electuaria,vina,& huiusmodi pretij modici munų

Accipere aliquid pro Ecclesiasticis functionibus an liceat.

Diuturnitas tẽporis peccata auget, nõ minuit.

ſcula,quę recipiĕtis voluntatĕ mouere,allicere, inclinare, multò minus peruertere ſoleant aut debeāt, ſine pacto præſertim aut taxatione gra tanter oblata,gratis accipi poſſint,& neque do nantem,neque accipientem inquinent,ca.Etſi. Ca.Dilectus. Aliud eſt ſi ex pacto, Ca.Veniēs. Ca.Ex tuæ.Tua nos.aut per exactionē,Ca.Audiuimus.vbi exacta reſtitui,&quidem duplicata,iubentur,in eorum vtilitatem,in quorū ſolu ta ſint diſpendium , fideliter conuertenda.Sed ſeruentur quidem laudabiles conſuetudines,vt pia fidelium deuotione introductæ,cōpeſcantúrque laici eas vel malitioſè, vel ex prauitatis hæreticæ ferměto infringere aut immutare nitentes. Seruetur inquam, hæc Innoçētiana,ſed erga pauperculos clericos &curiones,in quorū ea fauorem condita, quorum ſacerdotiis bono rum temporalium nihil ineſt, vel certè minus quàm eis alendis ſatis ſit,decimis præſertim& primitiis per canonicos atque monachos, animarum vt plurimum curam non habentes,po tiori ex parte acciſis. Cum enim iuxta prouerbium,artem quæuis alat terra,& ſua cuique ars pro viatico ſit,ars artium,regimen animarum artificem ſuum nō aleret?his,his inquam,proſit ac ſuccurrat quicquid in toto Iure, non tantum pontificio, ſed & diuino traditur de victu ac veſtitu paſtoribus,ſed paſcentibus ſufficiendo,Matt.Luc.10.Rom.15.1.Cor.9. Gal.5.1.Ti. 5. victitent ſpiritualibus popularium oblationibus,& id genus deuotionibus minores ſacer

Laudabiles conſuetudines quatenus ſeruandæ.

dotes, sed ministrantes, quibus deficiunt temporalia, cuiusmodi plerunque plebani vrbani, nihil nè decimarum quidem habentes, nam vicanis & paganis sua solet esse qualiscũque portio, quam congruam vocãt atque canonicam. vt nuper Panceltij Aurelianẽsis de statu Ecclesiastico artic. 15. plebis arbitrio ministerij sacri mercedem relinquens, vetus quidem & summum ius sit, sed summa crux, vtinam non iniuria: quanquam enim sequẽs articulus iubet prælatos curatis vel beneficiorum vnitione, vel decimarum partitione, vel alio vndecũque sacro prouentu prouidere, sed prouisum prius oportuit, quàm Innocentianam hanc abolere, in tãto præsertim laicorum hodie frigore, odio, & fastidio. Verùm hic desidero maiorum, imò summorum sacerdotum, hoc est, episcoporum æquitatem, eorum præsertim, quibus cum affatim bonorũ tẽporalium sit, nihilo tamẽ minus has minutias spiritales pro vsitato more persequuntur, quàm parum decorè ipsi nouerint, aliquot interim Senatusconsultis ab iis sordibus & turpibus lucris coërciti. Et quæ fuit maiorũ nostrorum, magnificorum certè heroum, Regum, & principum mens & intentio, cùm episcopos baronum, comitum, ducũ, aut aliàs dominorum temporalium nomine, dignitate, ac ditione augerent ac afficerent, quàm vt sic probè ditati, iuxta Christi verbum, quæ gratis acceperant, gratis darent? Matt. 10. Quã igitur cõtrà indecorè, turpiter, auarè, nè dicam iniquè &

Portio congrua & canonica.

Panceltium Aurelianẽse

Episcoporũ reuerentia olim.

iniuſtè ſeſe antea gerebant, ex eorũ ipſorũ ore, ſeſe in Synodo, præſide Spiritusanćto, reformantiũ, teſtimoniũ ac confeſſionẽ, &, vt eſt in prouerbio, ex malis moribus bonã legẽ audiamus, Quoniam (aiunt) ab Eccleſiaſtico ordine omnis auaritiæ ſuſpicio abeſſe debet, nihil pro collatione quorũuis ordinũ, etiã clericalis tonſuræ, pro literis dimiſſoriis, aut teſtimonialib⁹, pro ſigillo, aut alia quacũque de cauſa, etiã ſpõte oblatũ, Epiſcopi, & alij ordinum collatores, aut eorũ miniſtri, quouis prætextu accipiãt. Notarij in his tantũ locis, in quibus non viget laudabilis conſuetudo nihil accipiendi, & quibus nullũ eſt cõſtitutũ pro exercẽdo officio ſalariũ, pro huiuſmodi ſingulis literis decimã tãtũ vni⁹ aurei partẽ capere poſſint, ſic vt ex eorũ cõmodis nullũ epiſcopis emolumẽtũ directè vel indirectè proueniat. Tunc enim gratis operã ſuã eos præſtare omnino teneri decernit Synod⁹, contrarias taxas, ſtatuta, cõſuetudines, etiã immemorabiles quorũcũque locorum (quæ potius abuſus & corruptelæ, ſimoniacæ prauitati fauentes nuncupari poſſunt) penitus caſſando & interdicendo. Qui ſecus fecerint, tam dantes quàm capientes, vltra diuinam vltionem, pœnas à Iure inflictas ipſo facto incurrant. Canon eſt primus, Seſſione quinta, de Reformatione, Tridenti ſub Pio IIII. publicatus, Anno 1562. 16. Iulij, vt veterum ea dere inſtauratorius, ſic vtinam executorius. De diſpenſationibus item vt neceſſariis, ita

Notariorum ſalarium.

Diſpenſationum ratio.

gratuitis, ſic canit Seſſione 9. Ca. 18. decreti ſuper generali reformatione publicati. Sicut publicè expedit legis vinculum quandoque relaxare, vt plenius euenientibus caſibus & neceſſitatibus pro communi vtilitate ſatisfiat, ſic frequentius legem ſoluere, exemplóque potius, quàm certo perſonarum rerúmque delectu petẽtibus indulgere, nihil aliud eſt, quàm vnicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire. Sciant ergo vniuerſi ſacratiſſimos canones exactè ab omnibus, quo ad eius fieri poterit, indiſtinctè obſeruandos. Quod ſi vrgens iuſtáque ratio, & maior quandoque vtilitas poſtulauerit cum aliquibus diſpenſandũ, Id cognita cauſa, ſummáque maturitate, & Gratis, à quibuſcũque, ad quos diſpenſatio pertinebit, erit pręſtandum, alitérque facta diſpẽſatio, ſurreptitia cenſeatur.

Turpilucrorum genus aliud.

Sequitur aliud turpilucrorum genus, quanto inferius, tanto ſordidius. fuiſſe Auguſtinus ſuo iam tẽpore multos hypocritas ſub habitu monachorũ, callidiſſimi hoſtis inſidiis vſquequaque diſperſos, circumeũtes prouincias, nuſquã miſſos, fixos, ſtantes aut ſedentes, autor eſt in libro de opere Monachorũ, cap. 28. Quorum alij martyrum (ſi tamen martyrum) membra venditarent, alij alia facerent, omnes petentes, exigentes, aut ſumptus lucroſæ egeſtatis, aut ſimulatæ pretium ſanctitatis, cum intereà vbicũque in malis ſuis deprehenderentur, vel quoquomodo innoteſcerent, ſub generali nomine

monachorum propoſitum bonũ ſanctúmque blaſphemaretur. Dei ergo zelo Dei vir monachos inflammabat, vt iſtorum opera mala bonis operibus perſequerentur, eis occaſionem turpium nundinarum amputantes, quibus bonorũ exiſtimatio lædebatur, & infirmis offendiculum ponebatur, oſtenderent hominibus ſe non otio facilem victum, ſed per anguſtam & arctam propoſiti monaſtici viam, regnum Dei quærere. Eandem monachis in pſeudomonachos, quæ Apoſtolo in pſeudapoſtolos, eſſe vt occaſionem amputent, his qui occaſionem quærunt, 2. Cor. 11. vt qui malorum putoribus præfocabantur, bono bonorum odore reficerentur: hos ita graphicè ab Auguſtino depictos vagos, peraces, otioſos, Iſidorus de officiis Eccleſiaſticis, lib. 2. cap. 15. quintum facit monachorum genus, & circuncelliones vocat, vænalem hypocriſim circunferentes, & gloriam ab hominibus captantes. Abuſus mirũ quàm pertinax, & in fraudem promptus, cæca malitia, & vana cæcitas, vt de Oſſenis & Sampſæis ſcripſit Epiphanius non diſſimilibus erronibus, contra hæreſim 9. & 53. qui miſerandarum mulierculärum Martyos & Marthanæ, quas duas venerabantur, quod ex benedicto ſcilicet ſemine Elzai pſeudoprophetæ eſſent, quacũque eæ in publicum exirent, pedum puluerem, oris ſputa & ſaliuam, reliquáſque corporis ſordes colligerẽt cum turbis ſequentibus, quibus vterentur in morborum medelis, in præſeruatiuis & amu-

Circuncelliones, quintum monachorũ genus.

Martys & Marthana mulieres imposturis pſeudoprophetarum ſubſeruientes.

Elxaus pſeudopropheta.

letis, quorum tamen nihil efficerent. Hos stolidos præstigiatores à Iudæis profectos & oriundos ad Constantij Imperatoris, & sua vsque tempora peruenisse scriptor idem refert. Augustini discipulus Prosper de Dimidio temporis, cap. 6. de indicibus Antichristi signis agens, testatur partim ex visu, partim ex auditu, fuisse tum alibi terrarum; tum in Italiæ Campania non procul à Neapoli, qui sub specie monachorum infirmis curatione phantastica illuderent, oleo eos nescio cuius (ait) mortui linientes, & martyrum virtutem atque meritum assignãtes, Sic vt sibi visum cæci, gressum claudi redditum existimarent. Sed discedẽtibus seductoribus, in quibus antea tenebantur, infirmitatibus permanerent: proditi ergò seductores aliò fugerent, sed ab Ecclesia retracti tentique, & multa in animarum subuersionem promittere & illicita facere conuicti, coërcerẽtur, & à prouinciarum limitibus arcerentur. Quæ ex multis pauca Rhegiensis indicasse aiebat, vt posteri agnoscerent, qua cautela Deo iuuante, inimicũ per diuersas terras perditionis socios quærentem valerent superare. Aliquantò pòst Gregorius 1. scripsit, lib. 3. Epist. 3. Græcorũ monachos Romam ventitantes, nocturno silẽtio, iuxta Ecclesiam S. Pauli mortuorum corpora in campo iacentia effodisse, & ossa recondidisse, seruantes sibi dum recederent, deprehensos autem, detentos, & cur hoc facerent, diligenter discussos, confessos esse se ossa illa in Græciam

Impostura sub monachorum specie designata.

pro Sanctorum reliquiis portaturos,ac etiam, vt habet epistolæ summarium,vēdituros. Serpsit iam tum apud nos istud impostorum genus,Nam Gregorius Turonensis Gregorio Papæ contemporaneus,historiæ Francorum,lib. 9.cap. 6. testis est fuisse tunc seductorem valde magnum,colobio indutum,amictum desuper sindone, crucem ferentem, de qua dependebāt ampullulæ oleum sanctum (vt dicebat) habentes,aiebat se deHispaniis aduētare, cum reliquiis martyrum Vincentij & Felicis. Vespere Turonos veniens mandauit, reliquiis sanctis occurrere. Gregorius cœnans, quia hora iam præterierat, respondit vt beatorum reliquiæ super altarium requiescerent, donec mane ad occursum earum procederetur. Is diluculo consurgens, non expectato cum suis Gregorio, aduenit cum cruce sua in huius cellulam, Rogatus quid sibi vellet, respondit superbus & inflata voce, Meliorem occursum nobis exhibere debueras. Hæc ego Regis Chilperici auribus ingeram, is vlciscetur despectionem meam, & ingressus oratorium postposito Episcopo, capitellum vnum, alterum atque tertium dixit, orationem protulit & consummauit, eleuatáque iterum cruce abiit. Erat autem ei sermo rusticus, nec rationabilis, & linguæ latitudo turpis & obscœna. Venit Parisios, & Raguemodo Episcopo cum populo suo publicis ante Domini ascensionem

Reliquiæ sanctorum supposititiæ.

Gregorius Turonensis.

Impostura insignis narratio.

Rogationibus loca sancta circumeunte, eadem hic cum cruce sua aduentans, inusitatum populis indumentum exhibens, publicanis (*fortè paganis*) & rusticis mulieribus adiūctus, vt ita chorum suum faceret, cum sua multitudine circumire tentat. Episcopus misso archidiacono dixit, Si reliquias sanctorum exhibes, pone paululū in Basilica, nobiscum celebra dies sanctos, decursa solennitate viam tuam profecturus: paruipendit hic, & episcopum conuitiis ac maledictis prosequens, seductor proditus, in cellula recluditur. Sacerdos cuncta quæ hic habebat, perscrutatus, inuenit sacculum magnum plenū radicibus diuersarum arborum. Ibi talpæ dentes, murium ossa, vngues & adipes vrsinos, quibus maleficiis in flumen proiici iussis, eum ablata cruce termino Parisiacæ vrbis exclusit. Cùm hic facta cruce altera, quæ gesserat, iterū exerceret, captus ab archidiacono, & catenis vinctus, custodiri iubetur: Erumpit miser de custodia, & cum quibus erat nexus, catenis ad Basilicam B. Iuliani martyris properans, in pauimento ruit, vino & sopore oppressus obdormiuit. Gregorius tum fortè Lutetiam veniens, ibi metatum habebat, ignarus facti media nocte ad cantandas Domino gratias surgēs, dormientem inuenit, sed tanto ab eo egrediente putore, vt cloacarum omnium ac secessuum fœtorem vinceret, & præ quo Basilicam ingredi vix valerent. Accedens clericus clausis naribus excitare nititur, nec potest, ita miser ille vino maduerat.

Malefica recula.

duerat. Tunc clerici quatuor leuatum inter ma- *Vinolēti māgi ſoporgra-uis.*
nus in angulum quendam proiecerant, pauimēto aqua abluto, & odoratis herbulis aſperſo, cantum expleuerunt, quibus tamen pſallentibus excitari non potuit, donec reddito terris die, & ſole altius aſcendēte, excitatus, ſacerdoti redditur. Qui tunc Lutetiam conuenerant, epiſcopi, hæc in conuiuio (vt fit) narrantes, pro caſtigationis eum gratia adeſſe præcipiunt, aſtantem Amelius Berrectanæ (*fortè Biterrenſis*) vrbis epiſcopus agnoſcens, ſuū eſſe famulū ſibi perfugam elapſum, ſic excuſatum, receptúmque reduxit in patriam. Multi, ait hui⁹ hiſtoriæ ſcriptor, ſunt, qui has ſeductiones exercent, populum ruſticum in errorem mittere non deſiſtunt, De quibus, opinor, in Euangelio Dominus dixit, ſurrecturos in nouiſſimis temporibus pſeudochriſtos & pſeudoprophetas, qui dantes ſigna & prodigia, etiam electos in errorem inducant, Matt. 24. Marc. 13. Bella ſcilicet & iucunda hiſtoria, ſi auditu pulchrum iucundumvè foret, plenum iam tum talibus impoſtoribus orbem fuiſſe, Contra quos aliquanto antè legem tulerant Impp. Honorius & Theodoſius Augg. C. de Sacroſanctis Eccleſiis, L. Nemo martyres diſtrahat, nemo mercetur. *Reliquiæ ſanctorum vænales.*
Sed cum neque deeſſent, neque deſiſterēt mercatores huiuſmodi, quin Sanctorum reliquias paſſim oſtentarent, & vænales exponerent, & ex eo religioni Chriſtianæ ſæpi⁹ detraheretur, contra eorum commercium, καὶ αἰσχροκερδίαν,

Innocentius III. in Concilio Lateranensi, cap. 63. obuiam ire vtcunque visus est, canone lato nè vænales exponerentur, neu prælati permitterent eos qui ad ecclesias venerationis ergo accederent, vanis figmẽtis, aut falsis decipi documentis, quod plerisque in locis fieri quęstus occasione consueuerat, Extra, lib. 3. titul. 45. cap. 2. Sed nè sic quidem hæ sordes cessauerũt, exortis eleemosynarum quæstoribus, qui sese alios plerunque mentiendo, abusiones in sua prædicatione proponerent, hos eadem Synodus capite seq. siue 64. admitti prohibuit sine literis Apostolicis, vel diœcesanorum, formula præscripta, iuxta quam episcopi literas suas moderarentur, quæstores autem præter in eis contenta, populo nihil proponerent. Extat de Pœnit. & Remiss. ca. Cum ex eo. Extra. permittit autem vt ij Christianos ad quos ventitarint, moneant & exhortentur in Domino, vt de bonis à Deo sibi collatis pias eleemosynas, & grata charitatis subsidia erogarent, vt per eorum subuentionem, aliorum inopiæ cõsulatur, quibus ad sustentationem fratrum & egenorum ad hoc vel illud hospitale confluentium, propriæ non suppeterent facultates. Iussi interim qui ad quærendas eleemosynas destinarentur, modesti esse, discreti, non in tabernis, aut locis aliis incongruis hospitari, non inutiles aut sumptuosas expensas facere, omnium minimè falsæ religionis habitum gestare. Sed ne sic quidem ij prædicare & nugas prædicare desie-

Eleemosynarũ quæstores.

Hospitaliũ quæstores.

runt, vt constat ex Bonifaciana, de hæreticis, Cap. Vt officium. §. compescendi prædicatores quæstuarij à prædicationis officio, quod ad eos nullo modo pertinet, quorum tãtum interest charitatiua subsidia supplices petere. Successerunt hospitalium quęstoribus fabricarum ecclesiasticarum quæstores, qui quàm priuilegiati fuerint; liquere potest ex altera Bonifaciana, sub tit. de Pœnit. & Remiss. ca. 1. quæstoribus fabricæ Rhemẽsis ecclesiæ. Rhemensis archiepiscopus, aut eius officiales citãdi suffraganeorum subditos, quos quæstores sibi resistere aut parere nolle dixerint, vt super hoc coram ipsis compareant, potestatem nequaquam tribuant, sed super benigna eorum receptione, & subuẽtione fabricæ facienda, possint eosdem Christi fideles Rhemẽsis prouinciæ charitatiuè monere. Pergunt igitur hi more suo abusiones prædicando proponere, simplices decipere, aurum ab eis subtili vel fallaci magis ingenio extorquere, cum animarum periculo, & multorum scandalo, quibus viã præcludere cupiens Clemens v. in Concilio Viennensi, Innocentianam repetiuit, & iuxta Lateranense statutum, quæstores nisi literis Apostolicis, vel diœcesani literis exhibitis, quomodolibet admitti vetuit, nec in populo prædicare permisit, iuxta Bonifacianam, aut aliud quàm quod in eorum literis, diligenter nè quid fraudis committatur, examinandis, continebitur, exponere, in Clementina Abusionibus,

Prædicatores quæstuarij.

Quæstores fabricarũ ecclesiasticarũ.

ſub eodem titulo, vbi emineat abuſus octo talium erronum non ſine multa temeritatis audacia, & multiplici animarum deceptione, indulgentias populo motu proprio concedere, ſuper votis diſpenſare, à periuriis, homicidiis, & aliis peccatis ſibi confitentes abſoluere, malè ablata incerta: data ſibi aliqua quantitate, remittere, tertiam aut quartam partem de iniunctis pœnitentiis relaxare, animas tres pluresvè parentum, aut eis qui eleemoſynas illis conferunt, amicorum de purgatorio extrahendas, & ad paradiſi gaudia perducendas mendaciter aſſerere, benefactoribus ſuis remiſſionem plenariam indulgere, & à pœna (vti loquuntur) & culpa abſoluere. hæc & per quæ cenſura eccleſiaſtica villeſceret, & clauium autoritas in contemptum duceretur, omnino ille abolitus, per quæſtores fieri attentarivè inhibuit, omnia & ſingula priuilegia locis, ordinibus, vel perſonis quæſtorum quomodocunque conceſſa (nè eorum prætextu ſit eis materia talia preſumendi) penitus reuocauit, delinquentibus eis in poſterum & abuti pergentibus per locorum epiſcopos puniendis, vt à ſuis auſibus, qui vbique nimis excreuerant, pœnæ formidine compeſcerentur. Eorundē abuſuum admonuit *Opuſculi* tripertiti Conciliorum tomo ſecundo inſerti autor part. 3. ca. 8. ita, Circa quæſtuarios prædicatores, qui totam ferè Dei eccleſiā vbique terrarum inficiunt, & ſunt ſcandalo toti mundo, ſunt tot reprehenſibilia, vt non facilè dici poſ-

Abuſus eccleſiaſticorum.

Quæſtuarij prædicatores

ſt. Sunt enim maxima ex parte perſonæ inhoneſtæ ac infames, corrumpunt prælatos, officiales, presbyteros, archipresbyteros ſuis adeò ſeruitiis, quòd dimittunt quæcunque volũt, facere & dicere. Breuia relinquunt in ſingulis paræciis tot indulgentias continentia, vt mirentur boni viri, illa de Papæ cõſcientia, aut etiam alicuius boni viri, poſſe procedere. Exponunt tamen ea ſimplicibus malo modo, acquirunt multa, multa perueniũt ad domos pro quibus fiunt, quia multa vltra modum conſumunt, vel modico pretio quæſtus emunt. Multis itẽ mẽdaciis aſſueuerunt, de Reliquiis, Indulgentiis. Et quod malum ſupremum eſt, hæc & alia tam multa eorum mala iam ita in ludum & riſum verſa ſunt, vt vix aliquis ſuper his doleat Chriſti vicem. Admonuit & Petrus Aliacenſis libelli de Reformatione Eccleſiæ 4. cõſideratione, Prouidendum ſuper correctione quæſtuariorũ prædicantium, tam religioſorum, quàm ſecularium, quòd mendaciis & immunditiis eccleſiã macularent, & ridiculam redderent, & prædicationis officium maximè honorandum, iam contemptibile efficerent, quod enim ob ſui reuerentiam ad prælatos pertinet, non eſſet tot & talibus villibus homunculis permittẽdum. Eos Sũmiſta Syluester, Ceretanos, Fumus in armilla Zaratenos vocari produnt in vocabulo Quęſtuarij. At verò quã nec ſic cõpreſſi fuerĩt improbi negotiatores, patet ex hodierni Schiſmatis initio & occaſione, dę qua quoniam vix

Petrus de Aliaco.

Ceretani. Zarateni.

licet hiſcere, dicam de his turpilucris (ſi fortè minus inuidioſum fuerit) grauamē Germanicum,quod eſt ordine ſeptimum. Eſt (aiunt) aliud indulgentiis vendendis addictum hominum genus,Stationarios vulgò vocant, hi ruſticorum ſimplicitate abutentes, dū omnes vicos,villas, pagos, angiportus,caſtella & oppidula peragrant,prædicantes Diui cuiuſpiā ſanctimoniam,quātum ad rem familiarem addat, ſi quotannis cum munuſculo in horum erronum cōmodum ceſſuro,demulceas. Inſcribūt item domibus Diui numen ac tutelam, promittentes ab hoc vel illo morbi genere immunem futurum,qui eis annuū cenſum penderit.Omnia hæc ſic excogitata,vt vulgus ad viuum exugatur, Nam hoc negotium in tam innumera morborum genera diductum eſt, vt vix ſuperſit morbus,cui nō iſti peculiarem ſanctū,quaſi tabernæ propoſuerint,eóque mali ſerpigo processit,vt pauperum ſanguinē vorent &medullam,dum hi neceſſariis vnà cum liberis ſpoliātur,illi in deliciis ac luxu pluſquam Sybaritico degunt.Quæ res præſentem S.A. medicinā in primis poſtulat, qua interdicatur epiſcopis eorūque vicariis,nè pro functionis huius admiſſione quidpiam poſthac pretij capiant, nevè eā omnino tolerent amplius aut patiātur.Hic vides nihil tot pontificum decretis profectū,horum furunculorum epiſcopis, vel eorum certè vicariis,non ſolum conſciis, ſed etiam participibus cum tēpore factis.Ad hæc Adrianus VI.

Stationarij.

Sancti peculiares morbis curandis propoſiti.

breui Apostolico per Laurētium Campegium in Germania legatum iuxta superiora respondit, §.16. nè quis quauis autoritate, & literarum occasione, vel ad prædicandum, vel ad colligēdas eleemosynas se ingerat, vtcunque se iactet indulgētiis abundare, nisi prius admissionis & approbationis literis ab eo prolatis, astrictis ordinariis, vt tales admittant, qui probæ vitæ testimonium habeant, de prædicatione sua, dū opus erit, rationem reddere possint, eleemosynis piorúmque oblationib⁹ ad luxū proprium non abusuri, Iurati se nec quotam nec totā colligendi facultatē certa pecuniæ summa pactos esse. Sed quod facili⁹ tutiúsque foret, hos quæstuarios semel omnes submouere, quàm ab eis impetrare, vt nec modum illis præscriptū præterirét, nec superstitiones admiscerét, hoc est, vt quod hic ait Apostolus, non totas domos euerterent, non docerent quæ non cōuenit, turpis lucri causa, agnouerūt IX. viri Paulo III. eos quod innumeris superstitionibus simplices implicarent, tollendos censentes. Sub hoc ergò Paulo Tridentinum Cōcilium Sessione 5. hos eleemosynarios quæstores, cuiuscunque conditionis existerēt, nullo modo nec per se, nec per aliū prædicare permisit, cōtrà facientes ab episcopis & locorū ordinariis, priuilegiis quibuscūque nō obstātib⁹, opportunis remediis arcēdos. Sed cū hoc hominū genus in iis quæ non oportet pro turpi lucro docendis sic induruisset, vt frangi magis valeret quàm corrigi,

Quæstuarij prædicatores tollendi.

eadem Synodus ſub Pio IIII. Seſſione 5. can. 9. decreti reformatorii, ſic eos ſuppreſſit, Cùm multa à diuerſis antè Cōciliis aduerſus prauos quæſtorum abuſus remedia tunc adhibita, poſt reddita fuerint inutilia, potiúſque eorum mali tia ita quotidie fideliū ſcandalo & querela creſcat, vt emēdationis nulla ſpes amplius relicta ſit, ſtatuit vt poſthac in quibuſcūque Chriſtianæ religionis locis eorum nomen & vſus penitus aboleatur, nec ad officium huiuſmodi admittatur, non obſtantibus priuilegiis, eccleſiis, monaſteriis, hoſpitalibus, piis locis, & quibuſuis cuiuſcunque gradus, ſtatus, & dignitatis perſonis conceſſis, aut conſuetudinibus immemorabilibus, Indulgentiis, aut aliis gratiis ſpiritualibus, quibus non ideo Chriſti fideles priuari decet, deinceps per locorum ordinarios, adhibitis duobus de capitulo, tempore debito populo publicandis, & eleemoſynis oblatíſque charitatis ſubſidiis, nulla prorſus mercede accepta, fideliter colligendis, vt hos tandem cæleſtes theſauros ad pietatem, non quæſtum, exerceri omnes verè intelligant. Et hic vtinam turpilucricupidorū finis, & valeat apud nos quod de noſtra Maſſilia teſtatur Valeri⁹ Max. de Inſtitutis antiquis, omnibus qui per aliquam religionis ſimulationem alimenta inertiæ quærerent, clauſas ea portas habebat, mendacem nimirum & fucoſam ſuperſtitionem ſubmouendam eſſe bene arbitrata.

Maßilia fucoſam omnẽ ſuperſtitionẽ portis ſuis excludebat.

Declarat autem Paulus præcedēs propoſitū

per ſequens dictũ cuiuſdam doctoris eius gentis, quod ab aliis ad alios refertur. Aquinas vult eo deſcribi auditores, qui Cretenſes erant, ad quos ſcribit, q.d. Et tales quidem ſunt doctores & ſeductores, ſed & diſcipuli ſeu auditores ſunt ſimiliter ſeducibiles, iuxta teſtimonium cuiuſdam eorum poëtæ: Tales inquam, ſunt, quales à ſuis ſcriptoribus audiunt. Ergò *dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta*, Verè igitur tales ſunt. Qui eos propius nouerat, eorúmque vitia ſubtiliter conſiderauerat, & ſi non abſolutè, nec verè loquens ſpiritu Diuino, Dei propheta, ſed humano, eorum naturalis & vernaculus propheta tales eſſe dixit, quia eorum bene naturã aperuit, & mores deſcripſit, ſicut expertus fuerat viuens inter eos, Sic Hieronymi & Primaſij Scholia, & cum gloſſa interlineari Bruno, Lyra: quibuſcum exponit Theodoretus, Paulum poſtquam dixit de iis, qui ei contraria docebant, ſeu contradicebant, eos quoque qui decipiebãtur, increpare. Erant autem ij gentiles, non Iudæi, quod apertè docet qui ſubiũgitur verſiculus, aliis, quãtum ad textum ſermonis & ad continentiam loci pertinet, quod ſequitur, videtur ad eos referri, de quibus ſuprà loquebatur, maximè qui de Circunciſione ſunt, quos oportet refrenari, &c. vt ſequatur, *dixit quidam illorum propheta*, quia verò in nullo prophetarum apud Iudęos vaticinatorum ſequens hexameter reperitur, Hieronymo dupliciter legendum videtur, vt hoc, *dixit qui-*

dam, cum ſuperioribus copuletur, *huius rei gratia reliqui te Crete*, & ſequatur, *dixit quidam illorum*, id eſt, Cretenſium *propheta*. Sed quia propter tam multa in medio, hoc vti abſurdum nemo fortè recipiat, ideo vicinioribus aliter aptandum, vt legamus, Sunt multi vaniloqui, &c. quos refrenari conuenit, &c. & id quod ait, *dixit quidam ex illis*, &c. non ſpecialiter ad Iudæos, ſed ad multos illos vaniloquos referatur & deceptores. qui vtique quia in Creta erant, Cretenſes fuiſſe credendi ſunt. Sed antequam verſum attingamus, de verſifice nõ vſquequaq; conſtat. Vnus Ambroſius ſentit quendam ex Cretenſibus per Dominicam diſciplinam melioratũ, quid ſentiẽdum eſſet de Cretẽſibus indoctis expreſſiſſe. Auguſt. li. 2. contra aduerſarium legis & prophetarum cap. 4. non miratur hominem ineruditum hoc de prophetis Iudæorum dictum exiſtimauiſſe, ignorantem dictum de (vel potíus à) quodam Epimenide Cretenſi, in cuius libris hoc inuenitur, qui homo inter Dei prophetas non inuenitur, nec ad illa Dei eloquia pertinet, quæ Iudæis dicit credita, Rom. 3. 9. qui non mentitur. Ideo non commemorauit Apoſtolus nomen eius, ſicut aliquando ſolet commemorare Dei Prophetas, Dauidem, Eſaiam, Oſee, vel tacitis eorum nominibus dicit, Sicut ſcriptũ eſt, Et ea ſcriptura intelligitur, in qua eſt Dei autoritas, Aut euidẽter Deũ dicere aſſerit, cũ aliquod de Dei vel lege vel prophetis teſtimoniũ adhibet,

Scriptura quæ ſit intelligenda.

Quale illud.1.Cor.9.An propter nos Scriptura dicit? & 1.Tim.5.dicit enim ſcriptura, oſtẽdens in ea Deum loqui. Vel illud, Gal. 3. prouidens ſcriptura,quia ex fide iuſtificat gentes Deus,prænunciauit Abrahæ dicens, Scripturã pro Deo poſuit,quia Dei eſt,vel illud, non poteſt excidere verbum Dei,Rom.9. In Iſaac vocabitur tibi ſemen.vel illud de Helia, Sed quid dicit diuinum reſponſum?Rom.11.his & huiuſmodi atteſtationibus,Dei boni & veri ſcripturas Apoſtolica commendat autoritas. Vbi autem etiam aliquid de autoribus gentium dicit, non eos appellat Dei prophetas, nec illarum ſcripturarum Deum dicit, quamuis ibi aliqua vera reperiat, Sicut de iſto Cretenſi ait, proprius Cretenſium, non Iudæorum propheta,quod vtique ad hoc dictum eſt, ne Dei propheta putaretur.Hæc obiter ex Auguſtino, de Paulinis in ſacram ſcripturam formulis. Sed ſiue Epimenidis Cretenſis, ſiue Callimachi Cyrenæi carmen hoc ſit, vt hîc Græci Latiníque indicant, cùm vterque poëta fuerit, cur hic propheta vocatur?Prophetam Paulus vocat poëtam,qui quaſi futura præſenſerit,vt notat Aquinas prophetam dici, cuius intellectus ad aliqua ſupra communem notitiam cognoſcenda illuminatur, Item qui prophetias eodẽ quo ſpiritu traditæ ſunt,exponit.Item qui propheticũ aliquid profert,etiãſi ex quodã interiori inſtinctu,prẹter mentem ſuã,vt Caiphas per ſpiritũ ad dicendũ mot⁹, quòd tũ eſſet põtifex,

Scriptura, pro Deo poſita.

Dei propheta,qui.

Poeta,cur propheta vocetur.

Propheta.

Caiphas cur prophetaſſe dictus.

prophetauit, Ioan.11. non secundum intentionem suam. Qui etiam prophetandi apud eos modus est, qui primum alicuius verbum pro omine accipiunt. Vel per Ironiam, & illudens, Hieronymo interprete, prophetá vocauit, quòd scilicet tales Christiani tales mereantur habere prophetas, Quo modo Baalis, confusionis, & offensionum, & quoscunque vitiosos prophetas scriptura commemorat. Prophetæ autem erãt, aut vocabantur potius, largè, ij præsertim, qui sicut veri prophetæ vera interim dicerent. Aut etiam verè, quia de oraculis atque responsis scripserit, quæ futura prænuncient, & euentura multò antè prædicent, Et is enim Epimenidis liber, vnde versus hic sumptus est, Oraculorum titulo prænotatur, περὶ τῶν χρησμῶν, quem quia videbatur diuinum aliquid repromittere, Hieronymus arbitratur Paulum inspexisse, vt videret quid Gentilium diuinatio polliceretur, & in tempore abusum esse, Cretensium primati scribentem, vt falsos eorum doctores proprio insulæ doctore conuinceret. Obseruat idẽ eos qui putant versum hunc de Callimacho sumptũ, aliqua ex parte nõ errare, siquidẽ integer in Epimenide nõ reperitur, Sed eius exordio Callimachus in suo poëmate vsus est, siue vulgare de Cretensium fallacia prouerbium, siue furto alieni operis metrũ retulerit. De autore ergò satis, de occasione carminis mox videro. Est autem heroicum à Paulo citatum, & ob id etiam quodammodo sanctificatũ, tale,

Propheta ironicè.

Epimenidis liber de oraculis.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.
Quem verſum Hieronymus ad Eſaiæ cap. 50. notat cum aliis à Paulo alibi citatis, & admonet ſi metrum atque menſuram in tranſlatione non ſeruant, ſciendum pedibus eos currere. Non placet per Fabrum huius verſio,

Gnoſius vſque loquax, mala beſtia, viſcera pigra.

Caſtalio ſic reddidit,

Cres ſemper mendax, mala beſtia, venter iners eſt.

Sumptum à Cretenſium moribus, quos plurimis conuitiis inceſſit antiquitas. vno autẽ verſiculo notantur de tribus, de corruptione nationalis, quòd mendaciis aſſueti, perdes omnes qui loquũtur mendaciũ, Pſal. 5. Sap. 1. Os quod mentitur, occidit animam, &c. *Cretenſes ſemper mendaces*, tam multa vtique mentientes, nec quomodo ſolet incurri mendacium, ſed perpetuò, nunquam loquuntur, niſi etiã mentiantur, vt eorum vanitas in vulgi fabulã & multa prouerbia abierit, Cretenſis Cretenſem, conatur (ſupple) circumuenire, quoties improbus cum improbo, aut perfidus agit cum perfido. Cretenſis cum Ægineta, in pariter improbos, & mutuis inter ſe fallaciis agentes, Et Æginetæ enim nihilo melius audierunt. Cretizare cum Cretenſi, aduerſus mendacem mendaciis vti. Quo Plutarchus vtitur in Lyſandro & Æmilio. & κρητίζειν, pro mentiri, Suidas putat in eos quadrare, qui fruſtra mendaciis agunt aduerſus artificem mentiendi, Sicut dicunt difficillimum apud fures furari, ita mẽdaciis imponere

Cretenſium mores vitioſi

Æginetæ Cretenſibus nihilo meliores.

Cretizare.

mendacibus, hæc ex Erasmi Chiliadibus. Extat in vita Annibalis cum Cretensibus Cretizantis dignum vtrisque exēplum. Et Plutarchus scribit Philopœmenem in Creta non vt Pelopōnensem aut Arcadem, nec simplici quodam & ingenuo bellandi ritu gessisse, sed Cretensium mores induentem, illorum versutias, fraudes, furta, & insidiosas in eos artes vsurpantem, eos ad belli peritiam inani calliditate contendentes, puellos demonstrauisse. Vtitur & Polybius lib. 8. Acheus (inquiens) quæ fieri poterant, fecit, id verò ignorauit, Cretizandum esse, vt in prouerbio dicitur, cum Cretensibus, quorū nihil non exploratum Bolis habebat. Eodem respiciens Ouidius, 1. de Arte,

Nota cano, non hoc quæ centum sustinet vrbes,
Quamuis sit mendax, Creta negare potest.

Et 3. Amorum, Elegia 9.

Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes.

Repetam breuiter ex Georgij Cedrini historiarum compendio, non procul ab initio, Iouē in Italia mortuum, in Creta sepultum. Ex Athenagoræ pro Christianis legatione, prolixius,

Mendaces semper Cretes sunt: atque sepulcrum
Creta tuum ostendit defuncti, Iuppiter, at tu,
Immortalis eras, es, erisque per omnia secla.

Tu verò, Callimache, genitum cùm credas Iouem, non admittis sepulcrum? Imò, cùm veritatem ita te putes obumbraturum, ignorantibus, etiam vt mortuum esse non dubiè suspicē-

tur,autor es. Tu cùm vides antrum, Rheæ partum animo recolis: loculū verò cernens, mortem eius offuſcas: neſcis nimirùm ſolum æternum eſſe Deū, qui & ingenitus eſt, &c. Sequitur in Paulo, *malæ beſtiæ*, θηρία, non ſimpliciter beſtias, ſed feras, ac veneno noxias ſignificat. Indicat hos titulus Nicandri θηριακά, nec ouem rectè dixeris θηρίον, Malitia, inquit, paſci volebant, qui cū nihil proſunt, nocere geſtiūt. Lyra mordaces verbis, gloſſa interlinearis, ſanguinē ſitientes, Bruno beſtialiter viuētes, & quo modo malè meditantur, ita crudeliter operantes. Corruptionem iraſcibilis vult hic Aquinas, quia homo vt cum iuxta rationem operatur, animantium optimum eſt, ſic cum declinat ad malitiam, peſſimum: quòd ſi ob crudelitatem, nulla beſtia tam crudelis, decies certè millies peior malus homo quàm mala beſtia. Philoſophus in Politicis lib. 1. cap. 2. Magnorum moralium lib. 2. nota 25. cap. 6. & in Socraticarū hecatonomiarum nota 30. Hinc illa homo homini Deus δαιμόνιον, homo homini lupus. Et ſcripturæ tam profanæ quàm ſacræ, homines eorū animaliū nominibus plerunque efferunt, in quorū hi mores & affectus trāſierint. De quo campus vtique latior quàm pro Commentarij lege, vt ad Cretenſes redeā, Horū olim rempublicā ab Ephoro, Xenophōte, Calliſthene, Platone laudatā, & Lacedęmonię aſſimilatā, Polybi⁹ li. 6. improbat nō ſine horū ſcriptorū ſuggillatione, Nō inueniet (ait) quiſpiā priuatos mores

Homo malus decies millies peior mala beſtia.

Cretenſium reſpublica.

Polybij de Cretensium improbitate testimonium ſubdolos, nec iniuſtiora pro portione ſtudia, quàm Cretenſium, demptis planè paucis. Regionem leges ipſis pro cuiuſque viribus nullo fine poſſidendam permittere ferunt, vt ſic inter eos inæqualitas & excellentia (æqualitati Spartanæ contraria) non neceſſaria modò, ſed honeſtiſſima quoque putetur poſſeſſio. In vniuerſum turpis lucri & auaritiæ ſtudium vſque adeò locum apud eos obtinet, vt inter omnes mortales ſolis Cretenſibus nullus quæſtus turpis eſſe videatur, vt propter inſitam eis auaritiam, in publicis ſeditionibus, bellis, ac cędibus plurimum verſentur. Proinde Rempublicam Creticam nec Laconicæ ſimilem, nec aliàs electam eſſe aut æmulandam, Hæc Polybius.

Gula tarditas. Paulus item de corruptione concupiſcibilis dicit, *ventres pigri*, guloſi, ideóque tardi, & minus expediti. Qui enim vētrem plus æquo plenum habent, luxu atque cibis oneratum, ad omne bonum ſegnes ſunt, quietem, vel magis pigritiam amant. Anima (inquiunt) habes multa bona repoſita in annos plurimos, quieſce, comede, bibe, epulare, Luc. 12. Ventres ergò vocat, ventri atque abdomini ſeruientes & deditos. *Ventres qui dicantur.* Vitium ventris & gutturis, id eſt, guloſitas, quā vocant, ait pro Cælio Tullius, item Lucilius,

Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.

Plutarchus de diſcrimine adulatoris & amici, non minus in paraſitum, quàm in Cancrū conuenire putat hunc Iambum,

Eſt venter omne corpus, vndique obtuens

Oculus,

Oculus, suisque reptat bestia dentibus.
Pollux lib.2. autor est, qui linguam habent vænalem, loquentes quæ ventri cōducunt, comicorum salibus taxatos esse, dictos voce ridiculè composita, γλωσσογάστορες, quales sunt mali aduocati, peiores cōcionatores, assentatores pessimi, quorum omnia quæstū sapiunt, de qualibus Eccli. 37. Sodalis amico congaudet causa vētris, & Rom.16. qui Domino Deo nō seruiūt, sed vētri suo, imò quorum & venter Deus est, Philp.3. Alioqui nihil vetat bonos viros omne genus artiū lectores & professores, causidicos & Ecclesiastas, iuxta Sapientis parœmiam, de fructu oris quenque sui ventrem suum satiare, & prouentu labiorum suorum saturari ac impleri, Prou.18. At qui nō in disciplinæ beneuolentiæque participatū veniūt, sed vorandi modò vsum, Plutarchus Sympos iac.3. ventri concænes, γαστρισυνδείπνους, appellat, citante Cælio Rhodigino li.26. cap.2. Aristoteles 3. Moraliū γαστριμάργους, appellari ostendit, homines qui præter modum ventrē cibo potúque expleant, quasi ventre insanos. Et certè eodem vbi paulò antè teste, homo siquidem fiat à legibus & iudiciis alienus, impurissimum & immanissimū fit animal, sine virtute, & cum ad alia, tum in venerea, libidines, & in gustus voluptates deterrimū. Sic cùm alij, tum Berosi quod circūfertur fragmentū, testantur ob infandos venereorum congressus, & ferales cibationes, vteris (horrēdum dictu) matrum refectis ad scelestas Berosus.

Diluuij inundatio vnde.

infantulorum epulas, vltore diluuio vniuersum orbem periisse, Homo quippe totus caro erat, omnis autem caro corruperat viam suam, Gen. 6. Et Satanæ virtus in vmbilico vẽtris, Iob 40. Cuius insatiabilitas passim notatur in scriptura, quasi venter nunquam satis pro sua libidine impleatur, aut etiã saturetur, Iob 20. Ezech. 7. Prou. 13. venter impiorum insaturabilis, Eccli. 36. omnem escam manducabit venter, 15. aufer à me ventris concupiscentias, Luc. 21. attendite vobis nequando grauentur corda vestra crapula & ebrietate, quia esca ventri, & vẽter escis, & hũc autem & illas Deus destruet, 1. Cor. 6. Sed est ad Cretenses redeundum, inter quorum antiquas à Minoë institutiones, commemorat in Politicis phylosoph⁹ comessationes, li. 2. cap. 3. lib. 7. cap. 10. Cœlio li. 18. cap. 26. virorũ in Creta conuiuia dicta Andreia Syssitia, id est, viriles sodalitates, puerorum conuentus Agetas, id est greges. In Andriis infimæ sortis homines indiscriminatim cũ honestioris amplioriſque loci viris de publica alimonia parem consequebantur portionem, & indiscretè omnibus alimenta publicitus citra vllam exactionem suggerebantur: quanquã Athenæus li. 4. cap. 5. de Cretensium conuiuiis, Lyctios ait singulos decimã fructuum & armentorum partem ad societatem & ciuitatis ingressum conferre, Reliqua ibi videntor. Cretensium alioqui victum fuisse tenuem, id est, εὐτελῆ καὶ αὐστηρόν, ex Plutarchi Lycurgo, vt quidam Epimenidis versiculũ

Venter insatiabilis.

Comessationes Cretẽsiũ.

non illepidè ad syllogismum ψευδόμενον, id est, mentientē, quíque seipsum refellat, reflectant, Cretensis enim fuit Epimenides. Addit & de hac insula à veteribus iactatum, Quicquid vsquam proueniat, id omnium optimè in Creta haberi. Fœdum autem & prorsus (vt ita dicam) ventrale, quod idem lib.15.cap.9. lege lata passim illic permissam venerem masculam, nè superfluam parerent multitudinem, multa alioqui ad cibi temperantiam, vt perutilem, sapienter atque studiosè constituta, an quòd Cretum nemo gustauit vnquam cubans? vt idem lib.17. cap. 8. ex Tullio pro Murena, sed sedentes, vt Athenæus vbi paulò antè, & humi sedentes, vt vbi paulò pòst Strabo, villibus tecti amiculis, iisdémque seu æstate, seu hyeme. Fœda autem illa nè quis fingi putet, probat ex Aristotele, cuius verba zelo Christianæ (opinor) religionis vetus interpres Latina facere neglexerat. Filiorum enim multitudinē prohibebant, potestate viris facta, post susceptā æquo numero prolē. vxores abdicādi, alio vsu introducto. In quo ex sententia D. Thomæ videtur Aristoteles de marium vsu intellexisse, nec vituperasse. Volatera. lib.36. in Politic. Ex quibus etiam primùm in Græcos irrepsisse puerorū amorē testatur apud Athenæum li.13.cap. 27. Timæus. quos quàm immeritò Strabo lib.10. commendat, qui non ignorauit eos puerorū non tantū amatores, sed & raptores, tā meritò in Moralibus Plutarchus execratur. Nec tacet Strabo post ad deteriora

Syllogismus mentiens.

Strabonis testimonium de Cretensibus.

plurimum mutatam delapsamque Cretam, receptis qui maria popularentur piratis & latronibus, à Cilicibus primùm vastatã, dein à Romanis destructã. Locus autem à Cęlio suppletus extat in Politicis li.2.cap.8. vnde bona pars prædictorum de Cretensi Republica sumpta est, quam & ibi tradit Philosophus videri ad principatum totius Græciæ natam factámque fuisse, vt pote in alto sitam, & cuncto mari imminentem, & omnibus quodammodo Gręcis incumbentem, vt qui omnes mari ferè adiacent. Sed de hoc plus satis. Redeamus ad Pauli de Cretensium vitiis interpretes. Triplex ergò malum in eis coarguitur, falsitas seu fallacitas, ferocia, ingluuies, & huic iuncta pigritudo, Quòd vani siue mendaces essent, & mendacium amantes, quòd mali & voratores noxij, quòd pariter otiosi vellent comedere, ideóque ferias & otia libenter admitterent. Quorũ postremum vitium nè fortè leue putemus, néue otio exultemus, nimium vè gestiamus,

Creta totius Græciæ princeps.

Cretensium tria vitia insignia.

Otij mala.

Otium Reges prius & beatas
Perdidit vrbes.

Sodomæ exitium vnde.

ait Catulus. Sic Sodomæ, quę antequã euerteretur, vniuersa irrigabatur, sicut paradisus Domini, Gene.13. & filiabus eius, hoc est, toti pentapoli Syriæ (Sic vocatur Sap.10. à quinque ciuitatibus, quib⁹ olim fuerat inclyta) exitio fuit cũ saturitate, abundãtia otij, Ezech.16. Et multam malitiã docuit otiositas, Eccle.33. Prou.12. qui sectatur otiũ, stultissimus est. 28. replebitur

egestate. mulier è contrario cordata panẽ otiosa nõ comedit. 31. Cui dissimiles, hoc est, otiosas non vult ali ab Ecclesia Paulus, 1. Tim. 5. sed omnibus edicit ac denuntiat, vt qui non laborat, nec manducet, vtque qui nihil agentes curiosè tamen agunt (præstaret autem vacantes esse, quàm ineptis implicari laboribus, ait ad Minutium Plinius) pręcipit, vt cum quiete operantes panẽ edant, 1. Thess. 4. 2. cap. 3. hoc est, iuxta primã primo homini siue legem, siue pœnam datam, in sudore vultus sui vescantur pane suo, Gene. 3. Galba parasitus dictitabat neminẽ otij sui rationẽ reddere cogẽdum, at Cato melius, nõ minus otij quàm negotij clarorum virorum rationem extare oportere, nam & de omni verbo, nedum facto, otioso reddendam in die Iudicij rationem dicit Dominus, Mat. 12. Omnino reuocandæ aduersus otiosos leges, si non Draconis, qui otij damnatos capite multauit, vt habet Plutarchus in Solone Cœlius li. 10. cap. 6. li. 11. cap. 3. quod prius in more Ægyptiis fuisse autor est Diodorus, lib. 2. vt cogerẽtur oẽs scripta nomina sua. & quo simul exercitio viuerẽt, ad Pręsides Regionũ deferre. qua in re qui mentiretur, aut iniusto quæstu victitaret, in mortis pœnã incidebat, Quã Amasiæ Regis legẽ facit Herodoti Euterpe. Sed vel Pisistrati, qui, quod est in Euãgelio de otiosis in foro diu stãtibus ad vineã à patre familias ire iussis, Matth. 20. ciuibus otiantibus de suo boues & semina largiens, ad laborẽ eos amandabat,

Laborandũ vt manducemus.

Otij etiam reddenda ratio.

vt habet Æliani variæ historię lib.9.cap.25.veritus ne otium insidias pareret,iuxta illud,vacāt otio,ideóque clamant & vociferantur,Exod.5. vel Lacedęmoniorum eodem autore lj.2.cap.5. qui adeò suis tempus in otio, vel ludicris consumere non permittebant,vt deambulationib⁹ eos vti pomeridianis vetuerint, tāquam ita genio potius indulgerent, quàm corpus exercerent,oportere verò Lacedæmonios exercitiis, non deambulationibus bonam valetudinē parare ac tueri.Vel Sardoa eidem li.4.cap.1. pœnas ignauiæ constituens, sic vt qui otiosè viueret,eum rationem reddere oportebat, & vnde viueret ostendere. Institutum sanequàm illustre,quo peragebantur ἀργίας δίκαι,id est,otij iudicia,quę subirēt temerè ac citra vitę propositū agētes,sic enim exprimebatur illis,vt vnde alerentur,magistratibus approbarent.Cœlius lib.19.cap.26.Vel Atheniensium,apud quos,eodē autore lib.10.cap.3.& illa fuit Areopagitarum functio,vt vnde quis se aleret, accuratè scrutātes,in desidia compertos nō citra multā transmitterent.Quam legē à Solone,cùm ad Ægyptios penetrasset,Athenas traductam,autor est vbi antè,Diodorus.& Plutarchus cū de inertibus ac desidiosis supplicium eū sumpsisse.Draconis etiam lege mortem otij damnatis definitam.Vel maiorum nostratium priscorum Gallorum,De quibus inter multa peculiaria, quę huius tēpestatis hominib⁹ haud sanè respōdēt, Strabo li.4. hoc etiam fuisse proprium asserit,

Deambulationes Lacedæmoniis prohibitæ.

vt laboribus agitarentur, vt macilenti essent, ventrésque minimè propenderent: quisquis autem iuuenis zonæ mensuram excederet, multari. At nõ ita nuper quidem apud nos Episcopabatur magno omnium risu, sed maiore Christi ludibrio, gurges & helluo nostratium quos hæc vidit ætas ventrosissimus, cui tamen plus obfuerit ductæ ab eo viduæ memoria, quàm prodigiosę quanlibet. *Ventris probrum.*

Pinguis aqualiculus propenso sesquipede extans,

cuique, quod de Demade olim dictum fuit, nihil vt immolatæ victimæ præter linguã & ventrem. Sed ad Paulum tandem redeamus. *Testimoniũ hoc verũ est,* quod poëta de Cretensibus testatus est, nè minus ei crederetur, quia gentili, id confirmat & commendat Apostolus, tales eos esse vt plurimum, licet nõ omnes, quales esse testificatus est. In quorum eum causa prophetam appellat, quasi tam vera de his locutum, quàm prophetam, falli autem prophetã impossibile est. Et hic certè nodus vindice dignus est, in quo enodando non parum negotij fuit vindicibus eius ac interpretibus. Crete, inquit Mela li. 2. cap. 7. multis famigerata fabulis, tum statione ac morte, maximè tamẽ sepulcro Iouis ibi sepulti penè claro vestigio, cui nomẽ eius insculptũ esse accolę ostendũt. Varro quoque Solino cap. 16. etiã suis tẽporibus affirmat Iouis sepulcrum ibi visitatum, in oppido Gnoso, in quo sepulcro eius inscriptum est antiquis literis Græcis, testante Ennio, ὁ ζεὺς τοῦ χρόνου. Iuppiter Saturni filius, trium quos *Iuppiter in Creta sepultus.*

Ioues tres. Theologi Ioues enumerant, tertius Ciceroni, lib.2. de natura Deorum: quæ non poëtæ modò tradunt, sed & antiquarum rerum scriptores, adeò vera, vt Sibyllinis versibus confirmētur, Lactantio, lib.1. cap.11.

Dæmones exanimes, simulacra cadaueris instar,
Quæ Creta ostentat monumenta misella sepultis.

Et Lactātij præceptor Arnobius aduersus Gētes lib.4. Apud insulam Cretam Iouem sepulturæ mandatum esse nobis traditur, Theophilus ad Autolycum quidem, ait, lib. 1. Iuppiter Saturni filius, Cretensium rex in Creta sepultus est. Reliqui Ioues, vt arbitror, nè sepultura quidem digni habiti. Quære (inquit ad Gentes Clemens Alexandrinus) tuum Iouem, nè scruteris cælum, sed terram. Narrabit tibi Cretensis, apud quem est sepultus, Cuius monumentū non paucis notum, in Creta insula, in monte Iasio vsque huc ostēdi, hoc est, Suis quoque tēporibus, testis fuit in Ancorato Epiphanius.

Cādiani hodierni literas non discunt. Hodiernos verò Candianos literas nō discere, ac proinde natos apud se Iouem, Saturnum, reliquósq; simplices antiquitatis tyrānos ignorare, testis est Petrus Martyr Mediolanēsis, legationis Babylonicæ, lib.2. Sed quid ad Paulū tā multa de Iouis sepulcro? Ea est versus à Paulo citati occasio, interpretibus hic Græcis & Latinis, & Clemēte vbi suprà, Epiphanio in Marcionē, cōfutatione 13. Scholij in 1. ad Cor. Nec

Angeli Politiani locus. fraudabo laude sua Angelū Politianum in Miscellaneis cap.35. Hic igitur tria Græci quærūt,

Cúrnam Paulus ex Græcis testimonium protulerit? Quis hoc dixerit? Cur commendauerit quod non rectè dictum videri possit? Et ad primum quidem de profanis à Paulo citatis postremo loco respondebimus, De autore, quis aut cuius is fuerit, quod secũdo loco quæsitum est, satis antè multa, fuit is Epimenides peruetus Epiphanio philosophus, Mithræ siue solis apud Cretenses sacerdos, Theophylacto post Laërtium, lib.1. sapiens apud Græcos habitus, diuinationibus, vaticiniis, expiationibus, deorúmque placationibus addictus, & clarissimus, quíque multa verè prædixerit. Hic igitur cum animaduerteret sepulcrum Ioui apud Cretenses, vt prædixim⁹, extructum, inscriptum, & frequentatum, colíque ab eis Iouem, vt mortaliũ quempiam, zelo accensus pro patrio Deo suo, hoc in eius gratiam carmen cecinit, Cuius integri prima pars est, Cretenses esse mendaces, Reliqua per auxesim addita sunt. Cretes ergò tales atque tales tibi, ô Iuppiter, sepulcrũ fabricati sunt, atqui tu non es mortuus, sed semper es, & in æternum viuis. Idem cùm scriptum reperisset apud Euhemerum in sacra historia Callimachus, Iouẽ in Creta natum sepultúmque, idque pro confesso à Cretensibus habitum, testatúmque in hymno ad Iouem ex Epimenide idem cecinit, citantibus Epiphanio & Politiano,

Epimenides quis fuerit.

Iuppiter immortalis contenditur.

Cres semper mendax, tibi Rex qui magne, sepulcrum
Erexit, cum non sis mortuus ipse perennis.

Quos imitatus Statius Thebaidos 1.
Mentitáque manes
Creta tuos. quasi non falsò tantum, sed sacrilegè gloriarentur de hoc Iouis apud se tumulo. hoc est carminis argumentum, hæc ratio & occasio. Quod ergò vltimò propositum est Paulum attestari verum hoc esse poëtæ de Cretensibus testimonium, mentitos esse Cretenses Iouem apud ipsos sepultum esse, ac proinde mortuum, Intuere quantum periculi. Si enim hoc verum est, periclitatur veritas, nā Iuppiter immortalis erit, Respondet Theodoretus, Apostolum non fabulas poëticas confirmare, sed Cretensium mentis inconstantiam arguere, Verisimile autem Iouem alibi mortuum, cósque temere illi sepulcrum extruxisse. Sed hoc non temere fictum testimonio non externorum tantum, sed & nostratium euicimus. Reliqui ergò Græci melius, Paulum non huc respicientem, verum esse hoc poëtæ carmen dixisse, sed quòd cùm in multis aliis multa mentiri Cretes soleant, meritò mendaces illos poëta dixerit, nec enim Paulus addidit, & multò minus approbauit, minimè verò sua autoritate confirmauit, quod apud poëtas illos sequitur, Iouem immortalem esse, non mortuum aut sepultum, aut de Iouis sepulcro mentitos esse Cretenses, sed ex generali testimonio con iiciendum reliquit Cretensium multa de Ioue aliis, quos falsò Deos existimant, mentiendi consuetudinem. Eadem cum Græcis ita prose-

quitur Hieronymus, Reprehendunt quidam Apostolum, vt imprudéter lapsum, quòd dum fallos doctores arguit, versiculum comprobarit, qui Cretenses ideo fallaces dicat, quòd Iouis sepulcrum inane struxerint. Si enim poëtæ eos arguunt, quòd diuina non sentiant, Iouem qui regnet in cælo, in sua insula sepultũ fingentes, & poëtas verum dixisse comprobat Apostoli sententia, sequitur Iouem viuum esse, non mortuũ. Imperitè igitur idololatriç destructor, dum aduersus peruersos doctores agit, deos quos impugnabat, asseruit. Quibus breuiter respondendum, vt in eo quod alibi alios citauit, non statim totã Menandri comœdiã, aut Arati librũ probauisse, sed versiculorũ opportunitate abuti, ita hic non totum opus, vel Epimenidis oracula, vel Callimachi hymnos vno versiculo confirmauisse, quasi verè dixerint Iouem Deum esse, & reliqua in carminibus horũ contẽta, sed ingenita Cretẽsibus vitia increpauit, & de proprio eos autore cõfutauit, mẽtiẽdi in primis facilitate expressã, qua tamẽ quia fallaces sunt, nõ statim verũ nõ aliquãdo dixerũt: Nec enim Iuppiter idcirco De⁹ nõ esset, si Cretẽses vera loquerẽtur, sed vel illis tacẽtibus, qui mortu⁹ erat, Dei vocabulũ nõ haberet. Denique vt sciamus Apostolũ nõ fortuitò, & vt libet trãsitoriè, sed cõsideratè, circũspectè, & omni se ex parte aduersus Cretenses protegẽtem, locutũ, non ait totum carmen, vel vniuersum opus, de quo testimonium sumptum est, verum esse, sed

Partẽ vnam libri probãs non continuo totum librũ probat.

Paul⁹ apost. à calumnia defensus.

hoc tantùm testimonium,hunc versiculũ, quo mendaces pro mẽdacitate,vt sic loquar,bestię pro crudelitate,vẽtres pro voracitate,pigri pro otiositate vocantur. Qui autem putant totum librum debere sequi eũ qui libri parte vsus sit, videntur &apocryphum Enochi,de quo Iudas Apostolus in epistola testimonium posuit,inter Ecclesiæ scripturas recipere,aliáque multa, quæ Paulus de Reconditis locutus est,hoc etiã argumento, quia apud Atheniẽses dixit se Deũ ignotum colere,Act.17. quem illi in ara annotauerãt,dicemus eum & cætera quæ ibi scripta erant,sęcutum esse, & quia cum Atheniẽsibus in cultura ignoti Dei ex parte consenserat,reliqua quæ illi faciebant,hũc fecisse? Absit vt elegantiam Scholasticam in calumniam trahamus.Nemo tam sicari⁹, parricida,venefic⁹,qui boni aliquid non aliquando fecerit,Ergò si vel vnum illius bónum vidẽs probauero,& in cæteris quæ mala fuerint, approbandi mihi incũbet necessitas?Si inimicus aduersum nos iurgetur & clamitet,nonne inter verba simultatis & rixæ aliquid loquetur veritatis ? quod & à nobis,aduersus quos loquitur, non vsquequaque reprehenditur.

Enochi liber apocryphus.

Digreßio tertia.

Hic obiter obseruandum ex Hieronymo ad Gal.3.quo nos hinc remittit, vnãquanque prouinciam suas habere proprietates , suísque vitiis denotari,Cretenses mẽdaciloquos, stultos Galatas noster appellat ,vanos Mauros, fero-

Sua cuiusque nationis proprietates.

ces Dalmatas Latinus pulsat historicus, timidos Phrygas omnes poëtæ lacerant, Athenis expeditiora nasci ingenia Philosophi gloriantur, Immanes Barbaros, Græcos leues apud Cęsarem suggillat Tulli⁹ pro Flacco, Ingenita (inquit) leuitas, & erudita vanitas. Israëlem graui corde, & dura ceruice omnes scripturæ arguunt. Nec hoc dicimus (ait idem præfans in 2. librum ad eandem epistolam) quòd non vbique diuersa nascantur, sed quòd ex magna parte etiam cætera quæ non sunt similia, nuncupentur. Addit idem ad sua vsque tempora, proprietatum quibus vnanquãque regionem denotarat Apostolus, permãsisse vestigia, Romanę plebis fidem, facilitatem, superbiam, Corinthi mulieres intecto capite, viros comam nutrientes, indifferenter vescentes in templis, inflatos sapiẽtia seculari, hac ex parte (ait) vsque hodie permanere, dubitare nequit qui Achaiã viderit. Macedones in charitate laudat, in hospitalitate ac susceptione fratrũ, sed reprehendit vt otiosos, alienum cibum expectantes, & per alienas domos huc & illuc discurrentes, & dum singulis placere desiderant, quid apud singulos agatur, enunciantes, & hæc non magis docentis officio, quàm gentis virtute vel vitio admonebat. Illud ergo inter Pauli laudes meritò eius laudator Chrysostomus non omisit, Homil. 5. Tantum eum virtutum tenorem seruauisse, etiam in alios quæ viderentur iniuriosa dicẽdo (& iniuriam enim fratri dicere, alio-

qui inter prohibita numeratur, Mat. 5.) ſed hac ſpecie, ita opportunè vſum & congruè, vt magis etiam quàm laudans placeret. Sic Galatas vocans inſenſatos, Gal. 3. Cretes pigros, & hinc prædicatur. Regulas enim nobis exemplo ſuo ſtatuit, vt neglectores verbi diuini nequaquam cura leuiore tractemus, ſed ſermone paulò rigidiore percutiamus. Sed longius foret ſingularum gentium vel virtutes obſeruare, vel errores aut vitia. Quæ tamē vitia ex loci natura, aut cæli climate gentibus ſic innata ſint, vt hæc habeant propria & penè perpetua, nobis hæc cōmentantibus indicauit in Genialibus Alexāder lib. 4. ca. 13. Ita prorſus, vt vbique aliàs volitaturi, rem (quod aiūt) factā, ac veluti præmāſū cibū habuerim'. Sicut ergo quædā regiones acuta & ſolertia gignūt ingenia, vt quibus eſt aër purus & tenuis, vt Athenis, aliæ retuſa & hebetiora, vt quibus craſſus & pinguis, vt Thebis, ita ex cæli rigore vel clemētia, ex ſyderū ſtatu vel inflexu, virtutes vitiáque gētibus innaſci, ingenita locorū incolas afficere, & corporibus animíſque inſidere. Itali nobilitate præſtant, regali quadā magnificētia lauti & magni ſunt, Campani natura ſuperbi, ex agri bonitate, mitiſſimo cælo, affluenti rerum omniū copia, ſemper habiti. Argiui, Brutij more inſito genti latrones, rapinis gaudent, Rhegini pauidi & formidoloſi, Galli ſuper inſitam genti vanitaté, mobiles, ſtolidi, contentioſi, religioni tamē deditì, Hiſpani iactabundi, duri, parci, abactores

acerrimi, ad inediam laboréſque ad mortẽ vſque parati. Græci ingenioſi, facundi, ſed nationis vitio leues, infideles, aſſẽtatores. Cappadoces, Cilices, Cretenſes ſuopte ingenio fraudulenti, mendaces, promiſſi fidẽ fallentes, & periuri. Afri ſubdoli, mẽdaces, ex vſu & cõmercio frequenti mercatorum ad fallẽdum ſolertes & proni. Numidæ leuiſſimæ fidei ingenia, Chij petulantiſſimi, Galatæ minaces, Syri cupidi, auari inquieti, nouarum rerũ auidi. Alexandrini deriſores & dicaces, Indi & Perſæ otioſi, liberi, vt & Ætoli nullius imperio parentes, Lydi contrà & Phryges Regibus ſeruiunt, negotiis intenti & laborioſi. Emperitani imbelles & barbari, Ætoli & Locrenſes fædifragi, Druidę religioſi, malefici, ſuperſtitioſi, Germani & Cimbri duri, laborioſi, latrociniis & rapinis dediti, viribus ad impetum validis, ſed momento dilabuntur. Corſi diri, immanes, horridi, ore truci, Scythæ rapidi, feroces, graſſantes, ſuis tamẽ cõtẽti, nec alieni appetẽtes. Aſiani, Iones, Abydeni, Medi, Arabes, Tarẽtini, Galatæ molles & effæminati, eneruatis animis, ad ſertiã nequitiãq; parati, omnib⁹ imbuti delinimẽtis, in gymnaſiis illecebris & amorib⁹ ad extĩguẽdũ animi vigorẽ exerciti. Siculi vafri, & ĩgenio mõſtrifico, Aſti ſupra Byzantiũ doloſi, Cumani in Ætolia hebetes, inſulſi. Bæotiis & Thebanis plus viriũ quã ingenii, Syracuſani varię multiplicíſq; naturæ, aut enim, vt & Atheniẽſes, optimi, aut improbiſſimi. Hedui iracũdi, temerarij, turbulẽti.

Ligures duri, agreſtes, fallaces, montani præſer tim ex arido & aſpero ſolo. Longa item obſeruatione probatum, regiones cæli clemētia fertiles, homines plerunque ſenſu hebetes, & obtuſa mente gignere, difficiles verò & ſteriles, ſingulari ingenio viros educere, ita ſiue parente natura, ſiue Deo comparante, vt vbi rerum vbertas & copia, ibi bonarum ſæpe artium deſint ſtudia. Senſit tamē Ariſtoteles eos qui Scythiā verſus loca deſerta incolunt, animo abundare, ingenij non ſatis habere, at qui mitiorem plagam, īgenio & arte præſtare. Nec omiſerim quod Maximus Tyrius prodidit, Serm. 19. valere Crotoniatas palæſtra & gymnico certamine, Lacedæmonios pedeſtri, Athenienſes nauali, Sybaritas luxu, Thebanos tibiis, Iones choris & cantu, Cretenſes venatu, iaculo, curſu. Serm. 7. 13. vbi addit Ægyptios & Aſſyrios humum colere & ſeruire, ac formidoloſa eſſe mācipia, Scythas ac Perſas pugnare, liberos eſſe, ac regnare. Serm. 7. Bæotiæ vniuerſæ vernaculam menſam tibiarum modulatione delectari. Athenienſes eloquētiam, ſic vt vix nihil aliud, exercere, Cretas in montanis itineribus inſtitui, vt ſuprà, Theſſalos equitandi habere peritiam, Cyreneos, agitare currus, Ætolos graſſari, Acarnanas iaculari, Thraces in vtendis bene peltis operam ponere, nauigare Inſulanos, & ſi nationum ſtudia ad alias tranſtuleris, ſtudia labefactaueris. Quid enim Mediterraneo cum nauibus, maritimo cum aratris, muſices inexperto

Regionū diuerſitas, diuerſa gignit ingenia.

perto cum tibiis, montanis cum equis? quid plana incolentibus opus circis cursoriis? quid arcũ grauis armatura, sagittarius scutum requirat? adeo gentes peculiaribus artibus gaudent, quæ vel vtentium quadrāt ingeniis, vel ab initio ingenitæ sunt, aut amore ac studio acquisitæ. Adnotauit idem vulgaribus adagiis notari Medicam mollitiem, delicias Ionicas, Siculas mēsas, saltationes Sybariticas, Corinthias meretrices, voluptates Assyrias & Syracusanas, Ser. 31. 33. Artiũ quoque disciplinas Menander dixit natiua consuetudine distingui nationibus variis, Mitylenæos cithara delectari, Thebanos tibia, Alexandrinos Geometria, Athenienses statuaria & pictura, Crotoniatas Medicina, Æginetas Athletica, quod proximè accedit ad id quod Eustathius prodidit, id forsan ab illis mutuatus, Bæotios palæstra valde probari, reliquisque corporis exercitiis, Lacedæmonios legib⁹, Athenienses nautica, Thessalos equestri, Cyrenæos ephectica sciētia, seu curribus, vt quidem citat Erasmus, in Bæotico ingenio, Cuius & hæc sunt in Chiliadum initio à gentibus sumpta, Pæno perfidior, Scytha asperior, Scythotauris inhospitalior, Cretensi mendacior, Parthis vanior, Thrucibus bibacior, Thessalo perfidior, Care vilior, Sybarita fastuosior, Milesiis effæminatior, Arabe ditior, Arcade stolidior. Quædam (ait Iulius firmicus citante Crinito, lib. 1. cap. 6.) gentes sic à cælo formatæ sunt, vt propria sint morum vnitate perspicuæ. Scythę

Artium disciplinæ vt distinguuntur nationibus.

Cælitus in formandis gentibus.

immani feritatis crudelitate grassātur, Itali fiūt regali semper nobilitate præfulgidi, galli stolidi, auari Syri, acuti Siculi, Luxuriosi semper Asiatici, & voluptatibus occupati, Hispani elata iactantiæ animositate præpositi. Opinio non absimilis eorum, quos vbi paulò suprà Hieronymus, profundis se quæstionibus inferentes, quasi sub obtentu vitandæ hæreseos, quę diuersas naturas infert, ait dicere, Tyrios & Sidonios Moabitas, Ammonitas, Idumęos, Babylonios, Ægyptios, omnésque gentes quæ in scripturis nominantur, habere quædam idiomata, & ex causis præcedentibus, ac operum pristinorum merito, nè iustitia Dei veniat in dubium, cùm vnaquæque gens, vel bonum vel malum asseratur habere, quod alia non habeat. Nos istas altitudines relinquētes superiora sectemur, & ad Cretenses à Paulo regionis suæ proprietate pulsatos, ac de genuinis gentis vitiis notatos redeamus, Cornuto interim Florentino adeo nobis iniquo, cuius & illa sunt lib. 4. cap. 14. Gallos homines esse ingenio simplici atque barbaro, lib. 12. cap. 3. Gallicam insolentiam ridendo fidem frangere, victis illudere, lib. 8. ca. 3. quorum commentarij aspiciendi sint, non probādi, non hic inquam, deest quod tum pro nobis respondeamus, tum in illos regeramus, sed præterquam quòd aliud agimus, imò de peculiaribus gentium moribus & ingeniis nō nisi obiter agimus, nō magis velim exteros, quàm nostrates, quod ait Vergilian⁹ Æneas 2. Æneid.

Gallorum ingenium.

crimine ab vno omnes discere. Extāt Forcianę quæstiones, quibus varia Italorum ingenia explicantur, si quis nosse volet.

Cretenses igitur vel tandem absoluamus: Quæ olim Aëria & à cæli temperie Macare, siue Macaronesos Martiano, lib. 6. in Thracia, pòst Cureta, & per syncopen Creta dicta, hodie à Metropoli vocatur Candia, fortassis à cādore, solis Sicilia & Sardinia in toto Mediterraneo minor, Cypro maior, ex vrbibus vel c. vel xc. quarum circiter xl. Plinij ætas nouerat, eidem enumeratas, Extant hodiéque non paucæ, quarum ad minimum decem suos præsules habent Religione Romanos, cum populares Græci sint, si me modò verè Bononiæ docuerunt Græculi. Noxiis animalibus caret, serpentibus, lupis, vulpibus, aliisque quadrupedibus, atque noctuis, nec aliundè importata nutrit, Æliano de animalib. lib. 5. cap. 2. hoc malū habet, si qua mulier dentibus aut vnguibus hominem læserit, mori aiunt sauciatum. Variis post heroïca secula tyrannis seruiit, qui optimū gētis statum euerterunt, Barbari, Cilices, Alexandri successores, donec victo Antiocho Romani eam Metello duce, inde Cretico dicto, deuicerunt. Ecclesias habuit celebres, ex episcopis veteribus clarissimos in historia Eccle. Pinytū Gnosiū, & Philippū Gortyneū. Collabente Orientis imperio ab Alexi concessam Bonifacio Mōtisferratēsi, Veneti emptā anno 1194. ditioniq; suæ adiectā iam plus ccc. annis possident.

Macare & Macaronesos olim, paulopost Cureta & mox Creta dicta.

Cretenses episc. decem.

Mulieres Cretenses quam noxia dentibus & vnguibus.

Cretensium euersio.

Veneti Cretæ Domini.

Hæc Volaterran.lib.9.Vadianus in insulis Mediterraneis,Munsterus in Italia & Græcia.Fortè ad eorum vêtres pertinet vinum optimum, quod & Maluasium vocant siue Maluaticum, Munstero à Malua in Chio insula monte, Sed Rhodigino,lib.13.cap.11.lib.28.cap.39. Creticum,aut aliò ex Creta aduectum,quod à veteribus passum dici quidam opinantur.Meminit & inter Græcorum vina laudatissima, Cretici Ælian. in varia historia, lib. 12. cap.31. Petrus Martyr Anglerius vbi suprà,ãno circiter 1500. scribebat non aliud eos quicquam scire aut curare,quàm vineas,greges,& armenta,ex quib9 vini & casei copiã immensam exhauriant,quorum prouentuum permutatione, cætera sibi iucunda aut necessaria comparant. Sed quoniam semel res Creticas tractare cœpimus,age,à superioribus omissas suppleamus ex Zonara, & secutis eum Rerum Constantinopolitanarum Græcis historicis,nõ ita nuper Latinis.Sub imperio Michaëlis Balbi Amorrhæi bellis ciuilibus occupato, Agareni Occidentales ex Hispania locorum angustiis coacti Cretam petierũt & subegerunt, passo tunc martyrium Cyrillo Gortynæ episcopo: Ab eo tempore Cretenses in seruitutem redacti,& Agareni facti,vario euentu à Romanis petiti sunt, victi modò & victores, sub Michaële Theophili filio Cycladas insulas & oram maritimam prædati, Basilium Macedonem ceciderũt, Ægæi maris oram sub eo populati, & Peloponnesum vexauerunt, ad

Maluaticũ vinum. *Vinum Creticum.* *Vinũ passũ.* *Cretica historia velut supplementum.*

Cenchreę portum cremati tamen ſunt & ſubmerſi. Aduerſus eos infœliciter pugnauit Conſtantinus Leonis filius, Fœlicius Roman' puer ſubactis eis, Candace Metropoli vaſtata, ducibus captis. Alexius Comnenus eandem inſulā ad Turcos deficientem Romano imperio recuperauit. Nicetas autor eſt, Balduini Flandri imperio Genuēſes Piratas, homines alioqui abiectiſſimos, per mercaturę ſpeciem in Cretam traiicientes, & inſulares hoſtiliter aggreſſos, totius inſulæ fuiſſe potitos. Apud Gregorā, lib. 4. cap. vlt. ſub Palæologo Romani cum Cretenſibus dubio marte pugnantes victi tandē ſunt. In fragmentis Pachymerij, lib. 9. Creta, ſub Andronico Palęologo ſeniore, venetę ditionis fit. Volaterrano vbi ſuprà, ſub Hērico duce rebellans per Andream ducem anno 1343. ſub iugū miſſa, pro qua motus varios inter Venetos & Genuenſes ſcribit Sabellicus Ennead. 9. lib. 5. 6. Rerum item Venetarum Decad. 1. lib. 9. 10. & Decad. 2. lib. 1. 4. Sed næ ſuper Cretenſibus priſcis & modernis nimio plus quàm pro theologo.

Supereſt poſtremum, primo tamē loco propoſitū. Hæc ita ſanè ſint. Sed cur à Græcis producit teſtimonium? aut quis fideli teſtium infidelium ſiue profanorum vſus? quid opus? quod vè commodum? multum per omnem modum. Huius autē rationem Græci hāc reddūt, quod homines tum maximè reuincimus & pudefacimus, cùm nequitiæ ipſorū teſtibus propriis ac

Teſtimonio infidelis non nunquam vtendū fideli.

domesticis vtimur, & accusatores cõstituimus qui apud reos fuerunt admirabiles, facit hoc & Deus, semper & vbique sese ad salutem nostrã demittens & condescendens, Balaamum permittit verè, si non bene, dicere ac prophetare, Num.22.23.24. Arcam ab alienigenis captam, captorib⁹ maxima plaga percussis, reduci à bobus seu vaccis sinit, 1.Reg.6. quod illorum arioli suggesserant, & remittendam cõsuluerãt, Sic eos suorum ore corripiens, & à consuetis sibi attrahens, Saülem per pythonissam, quòd id genus mulierculis credulus erat, quę se mala erant deprchẽsura, audire facit. 1.Reg.28.1.Paral.10. Magos astronomiæ deditos, non angeli, non prophetæ, non Apostoli aut Euangelistæ ministerio, sed proprio ac vernaculo illorũ signo, stella nimirum, admonet, ducit, ac reducit, Matth.2. Cum Iudæis contrà perpetuò penè ex prophetis agit, nisi quòd aliquoties velut exprobrat gentes, quòd deos suos non mutẽt, Hier.2. publicanos, qui se diligentes diligunt, ethnicos qui se salutantes resalutant, Matth.5. peccatores denique, qui erga se beneficis æqualia reddunt, Luc.6. Quasi pater dignitatis suæ non habens rationem, cum nobis puerulis balbutit, nec diserta quadam locutione, alimenta, pocula, eduliáque appellat. Ita Paulus factus Iudęus, 1.Cor.9. Iudæis nihil ex Euangelio loquitur, omnia propheticis testimoniis expedit. Quid ergo? num ex iisdem locis cum gentibus ageret? atqui non crederent, sed iis qui sine le-

Deus sæpe ministerio malorũ vsus.

Deus cũ Iudæis ferè semper ex prophetis agit.

Paulus Iudæis Iudæus. cum gentilibus agit ex ipsorum doctoribus.

ge erant, quasi sub lege nō esset, quòd iis fidem non haberent, qui fidei domestici erant, testes opponit proprios & domesticos, nec hoc tantum loco, sed & alibi nō semel. Ad Corinthios & ipsos græca facundia expolitos, de Menādri comœdia versū sūpsit tragicū Iambū, 1. cor. 15. *Colloquia mores praua corrumpunt bonos.* Cum Atheniēsibus in Areopago ex Arato dissereit, sumpto ex eius Phænomenis hemistichio, *Huius enim & genus sumus*. quod à poëta illatum est, cū paulò antè dixisset, *Iouis omnia plena*. De Ioue ab Arato dicta Paulus ad Deum retulit. Et Iustissimè quidē, Nam quæ Dei sunt propria, Ioui peruersè ascripta, Deo vero restituit, Dei enim nomen ipsius tantū est, falsò diis ac Idolis imposi tū. Hoc autē Paulū rarò facere cū Hieronymo notādū, id loci potius quā ostētationis opportunitate exigēte, in apū morē, quæ mella ex diuersis florib⁹ cōposita fauorū cellulis coaptare solēt. His (ait idē Esa. 50.) qui prophetarū fidē non recipiebāt, autorū suorū loquitur testimoniis. Hoc autem faciebat, quia acceperat linguā (vt ait prophera) eruditā, lxx. disciplinæ, vt sciret quando oportebat loqui verbum, cui addita est auris per gratiā atque disciplinam, quam per naturam non habebat. Vnde autore vbi supra, in Martionem Epiphanio, cōtra quosdam græcorum linguam ad fastū iactantes, & quòd Atticè, Æolicè, Doricè, Ionicè loquerētur, Corinthi turbas cientes agnoscit linguas donum esse spiritus, 1. Cor. 14. sed vel hoc magis quàm

Ioui ad scripta quæ Dei sunt deo adhibenta.

Paulus lxx. disciplinam norat.

Paulus Hebraicam linguam a Gamaliele didicit.

Paulus Græca lingua peritus.

ipſos linguis loqui, quòd Hebræus ex Hebrǽis, Hebraicam diuerſæ & locutionis, & cum ſapientibus variegatam ad pedes Gamalielis didiciſſet, 2. Cor. 11. Phil. 3. Act. 22. Græcæ etiam appoſitis poetarum Græcorum teſtimoniis, peritiam ſe ſingularem oſtendit habuiſſe, ſed male ſe interpretando in Eccleſiæ aurem ad ædificationem, quàm ſeſe per vtriuſque linguæ, cuius gnarus eſſet, oſtentare magis quàm ædificare. Nam & ſtilus indicat talem in diſciplinis Græcis fuiſſe, cui non potuerint Stoici, Epicurei, reliquíque Athenis philoſophi reſiſtere, Act. 17. Et huius exemplo Clemens 1. Stromatum fatetur in Græcorum poetis etiam aliquid ineſſe veritatis, nec erubeſcendum nos differẽtes ad eorum vtilitatem, quorum ipſi curã geſſerimus, Græcis vti poematis. Quod & hic ex Gloſſa repetit Aquinas, licere ſacro doctori, vt & diuinæ licuiſſe autoritati, veritatis, vndecunque & vbicunque inuenerit, teſtimonium ſumere, quod quidem neceſſarium fuerit, nec ſic tamen omnia ibi ſcripta confirmantur, aut tota Gentilium doctrina probatur, Sed bonum, quod à quocũque dicitur, à Spiritu ſancto eſt, eligitur, & malum reſpuitur, Eſa. 7. Pſal. 33. 1. Theſſ. 5. Sed de vſu, & abuſu, profectu, & periculo in Gentilium lectione, præfati ſumus hoc quo hæc commentamur, Anno 1564. in ſacras Heroides, reliquum breui daturi, ſi per Amanuenſem, qui mihi nunc deſit, liceat.

Græcorũ poetis aliquid veritatis ineſt.

Quam ob causam increpa illos durè, vt sani sint in fide, non intendentes Iudaicis fabulis, & mandatis hominum auersantium se à veritate. Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus nihil est mundum, sed inquinatæ sunt eorum & mẽs & conscientia. Confitentur se nosse Deum, factis autem negant, cum sint abominati, & incredibiles, & ad omne bonum opus reprobi.

CRETENSIVM malos mores graphicè descripsit, sequitur remedium, nimirum reprehensio, & huius finis, in fide sanitas, & debitus ad eum finem perueniendi modus, cum Christianismo Iudaismum non confundere, *Quam ob causam*, quia tales sunt, & talibus assueti vitiis, quia docent quæ non oportet, falsa persuadent, ferarũ ritu sanguinem sitiunt deceptorum, impudentes, fraudulenti, subdoli, ad confingenda mendacia, dolósque nectendos prompti, vẽtri præterea, & inerti otio dediti. *Increpa illos*, nõ alienos vtique, sed peculiariter tibi creditos Cretẽses argue, redargue, velut flagello, camo, & freno indigentes constringe, Psal. 31. & 67. Increpa feras arundinis, nec verò molliter vt soles, sed *durè*, seuerè, acriter, asperè, opus enim habẽt vehementi obiurgatione, siue verborum acri-

Peruersi ac refractarij duriter arguendi: mites ac mansueti leniter. monia, neque qui talibus moribus pręditi sunt, & superstitiones maláque sua alia mordicus tenent, sub imperium facilè rediguntur, apud eos nihil promoueret lenitas aut mansuetudo, qui mitem atque mansuetum acrius ferit, confundit, ita qui peruerso adulatur, aut eum blandius demulcet, corrumpit, ne se agnoscat, nec sic ad rectum aut meliorem frugem adducit. Discretim, variè, nec pari modo omnibus infligendum reprehensionis vulnus, est vbi altius *Increpationis adhibendæ cautio.* & profundius infligendum, est vbi minus profundè, est vbi exerendum, & mitius agendum. Dura ergò corda penetret increpatio dura, cum austeritate nimirum, & pontificali impe*Heli lenitas reprehensa.* rio, non vt Heli propter familiæ iniquitatem damnatus, aut saltem reprehensus, 1. Reg. 2, quam corripiebat lenitate patris, non autoritate pontificis. At Sapiens, Via, inquit, vitæ, increpatio, Prouer. 6. Committit hunc locum Theodoretus cum alio 2. Tim. 4. increpa cum omni patientia, & respondet, iis qui nondum crediderunt, placidè ac leniter tradendam esse doctrinam, eos autem qui credere profitentur, & quæ fidei repugnant committunt, medicamentis asperioribus curandos. Respondet & Thomas duplicem esse exhortationis huius rationem, nam siue hanc consideres ex eorum parte qui reprehenduntur, Cretenses vt duros & peruicaces, duriter fuisse reprehédendos, non etiam Ephesios, siue ex eorum par*Titus lenis.* te qui reprehendebant, Titus lenis & mãsuetus

inducitur quasi ad cõtrarium, arguere cum imperio, infrà cap. 2. Timotheus vir austerus & rigidus, ad patientiam. Sic anteà locos illos composuit Gregorius locis ibi per nos indicatis, vbi de virga cum lenitate pastori in corrigendo grege coniungenda, plura. Extat Gregorij Nysseni oratio aduersus eos qui castigationes ęgre ferunt, in qua inter alia sic distinguit inter Mosaicã & Euangelicã castigationẽ, vt inter verbera & verba, Illic plagarum (ait) decades quatuor permanent, Deut. 25. hîc non ita, siquidem omnium sermo est misericordia & virga, 1. Cor. 4. adhortatio vel plaga, non enim tibi verbera inferimus, vt seruo, sed te castigamus, vt liberũ: *Tibi* ex Sara genus, non ex Agar, Gal. 4. Reueremur te liberę filiũ, non dedecoramus, vt ancillæ progeniem. Ob id peccantem te liberis increpationibus tangimus, non corpus pũgentes, sed animum cruciantes. Quòd si ab hac re abstineamus, quo te pacto castigabimus? Docẽdi ratio est tractatu difficilis ac varia, quę semoribꝰ vt sese offerũt, accõmodet. Est aliquis obediẽs, & ad instituendũ animo facilis? huic lenis & mitis sermo conuenit: alius durus & indocilis? verberibus eget. Quid igitur faciemus, cũ virgæ non conceduntur? eúmne nulla cura dignabimur? Non ita sanè, sed eum verbis ad aliã atque aliam formã rei subiectæ accommodam cõcinnatis traducemꝰ, vtq; obsonia cõdimẽtorũ exiguo additamento ad cõtrarias qualitates permutantur, ex acri in dulce, ex dulci in acre,

Tim otheus austerus.

conuersa,ita sermo noster figurarum adiectione ad varios vsus transformandus,vt quod cuiusque educationi cõgruit,intelligatur. Et paulò antè,Durum & contumacem Dauid emolliens,ait in camo & freno cõstringendas illius maxillas,Psal. 31. veluti oleo adhortationibus mitigans,Incurua(inquit) ceruicem, præcepta ceu iugum subi. Quod durum est cõfringitur, quod cedit atque flectitur, rectum efficitur, quod te etiam in plantis docet experientia, nè lupato dentibus compresso rapiaris in præcipitium,aut barathrum,sed accommodata manui sessoris ceruice, ad vitam, quæ te seruet, rectà ducaris:Cum increparis, dic animo religioso, Bonum mihi quòd humiliaueris me, vt discam iustificationes tuas,Psal.118.Nè igitur in angulis de me obloquaris,asperum nominãs dicendi genus,neu cum tuis participibus communes mei reprehensiones faciens,assideas, Episcopũ cum vanitatis consessu iudicans. En Episcopalem,vt sic loquar,duritiem,in verbis tunc, non in verberibus sitam. Nam carceres, & huiusmodi corporum coërctiones, cum dominiis temporalibus beneficio& deuotione principum accessisse puto. Grauissima tum erat Ecclesiæ pœna excommunicatio, de qua *ibi* multa Nysses. nec mortalis tamen, sed medicinalis,vt colligitur ex ca. Corripientur, 23. q.4. Omnis enim Ecclesiasticæ siue lenitatis, siue asperitatis in Christianos finis est, *vt sani sint in fide*, de qua fidei sanitate in vtraque ad

Excommunicatio, grauissima Ecclesiæ pœna.

Timotheum,hoc item capite paulò antè,& ſe- *Sanitas fidei & doctrina.*
quenti:ad quam fidei ſimilitudinem, doctrinæ
ſanitas appellatur, ſunt & ſermones ſanitatis,
& ſana verba.Inſiſtendum ergò præcipit in reprehenſione illorum,vt conuerti poſſint,rectè credant,& in catholica fide perſeuerẽt, in fidei tanta puritate,quæ non infirmetur, aut vllo tabeſcat languore perfidiæ,vt nihil alienum,illegitimum,adulterinũ,vel gentilitium,vel Iudaicum inducant,ſed quæ iuſta ſunt, & legi Dei condigna ſectentur. Vt homo ſanus eſt, in quo non corruptio,ſic in fide ſanus,qui eam in nullo corruptam habet, ea vitiatur per errores & hæreſes. Timeo (aiebat) ne corrumpantur ſenſus veſtri,& excidant à ſimplicitate quæ eſt in Chriſto,2.Cor.11.hoc autem verbo frequenter vtitur Paulus,quo Græci ſignificant, quicquid probandum, vnde illud μηδὲν ὑγιὲς, nihil ſanum,cùm omnia diſplicent.Hîc igitur [vt ſani ſint] nihil aliud,quàm vt rectè ſe gerant,vt è contrario νοσεῖν, ægrotare Græcis dicitur, qui *νοσεῖν quid dicatur Græcis.*
non rectè eſt affectus.Modus autem perueniẽdi ad ſanitatem fidei eſt,ſi vitemus errores Iudæorum, *non attendentes fabulis Iudaicis*, quas *Fabulæ Iudaicæ quæ intelliguntur.*
hoc loco Græci exponunt, non legem, ſed legis peruerſam & prauam, quæ afferebatur à Iudæis,interpretationem: Veteris enim legis, reliquæque totius ſcripturæ libri, qua ratione forent fabuloſi,cùm Euangelicam inde veritatem doceamur? & legem enim adimplere ſe dixit Dominus,non ſoluere,Matth.5. Implere

Legis impletio per Christum quæ intelligatur.

autem tum modis aliis, tum à Scribis & Pharisæis perperam intellectam & expositam, bene ibidem interpretando,& malè ab eis intellectæ expositæque eos passim insimulando, Mat.15.22.23.Mar.7.12.Luc.11.20. Ioan.5.7.8. quòd legis externã modò, non etiã internã obseruationẽ vrgerent, cũ ea intus vel impleatur, vel violetur:quòd legis minutias persequerentur,& seria omitterent, quòd se à Mose, Dauide,reliquísque prophetis prænunciatum, præsentem interficere quærerent.Iudaica item fabulosa posse dici duplici ratione, & quia cum etiam in suo vigore forent,futurorum vmbra, & figura veritatis essent,non corpus,non veritas,1.Cor.10.Gal.4. ἀλληγορούμενα, Col.2.Hebr. 10.& quia intempestiuè fiũt, & ipsorum enim tempus præteriit.Et hoc ergò modo Iudaism⁹ non leuis ęgritudo est,res inopportuna,intempestiua, inutilis & noxia,Cuius ritus si fiunt, cùm faciendi non sunt, facti non sunt: iis se subiicere, ad eos relabi, & legis se seruituti atque iugo submittere, non est eius qui Christi fidem & gratiam credat ad iustitiam & salutem valere ac sufficere, sed infirmi in fide, Rom.14.diffidentis & infidelis indicium,imò certum argumentum. Consentiunt & Latini, quòd nescientes vim scripturarum, & interiora verborum legis, colorem sequuntur, non saporem.Ideo fabulas dicuntur narrare, non veritatem,putantes nunquam recedendum ab iis quæ Moses tradidit, iudiciis

Iudaismus nõ leuis ægritudo.

Mosi addicti.

& ceremoniis, de ciborum dierúmque discrimine, de diuortiis, de domorum nedum hominum immunditia, cum sciant primores suos patriarchas sine his iustificatos, & Dei amicos appellatos, Et propheta contestetur quòd quia legem Dei profanauerant, præcepta eos accepisse non bona, & in quibus iustificari nō possent, Ezech. 20. Dominus ad duritiem cordis hæc partim scripta, Matth. 19. Marc. 10. Petrus iugum minoribus atque maioribus importabile, Act. 15. Nam si vtilia fuissent, cum lege tunc in tabulis data fuissent, sed quia post eam æditam, post tot signa & prodigia irreuerentes, diffidentes, & ceruicosi inuenti sunt, talia tantáque mandata acceperunt, in quibus non respirarent, hinc factum, vt & boni laborarent cum malis mercedem accepturi. Hæc ergò in vindictam data, & tempore, quo Dei donum promissum aduenit, per eius misericordiam relaxata, non intelligentes Iudæi, sub iugo permanent, & aliorum per Christum libertatem his volunt vinculis obligare. De talibus autem reducendis quæ ij docent, fabulæ sunt, non rei veritatem habent. Cum enim legalia Mosis per Christi mortē mortua sunt, quicquid pòst de necessaria eorum obseruatione dicitur, falsum & fabulosum. Si quis ergò post Christi aduentum conciditur, non circunciditur, Philip. 3. Roman. 2. quia circuncisio cordis in spiritu, non litera, Si quis pascha agit, non in azymis synceritatis & veritatis, 1. Cor. 5. vt

Præcepta nō bona vnde dicta.

Legalium abolitio.

exterminet ex anima sua omne vetus fermentum malitiæ & nequitiæ, Iudaismo seruit, fabulas attendit, & vmbras sequitur veritate neglecta. Multò magis si vel paulisper Iudęis acquiescamus, & sapientium apud eos patienter ineptias audiamus, tūc intelligemus quę sunt Iudæorum fabulæ, nulla vel autoritate scripturæ, vel rationis assertione anilia & fabulosa fingētium, de quibus toties alibi Paulus, 1. Tim. 1. 4. 2. cap. 4. Et quibus locis cùm quidam legis & prophetarum aduersarius, aduersus eos abuteretur, quasi Apostolus sua eos sententia condēnaret, Augustinus contra eundem blasphemū lib. 2. cap. 1. respondet Iudæos præter scripturas legitimas & propheticas, traditiones quasdam suas ab vtrisque alienas habere non scriptas, sed memoriter retentas, & ab altero in alterum loquendo transfusas, quas ipsi δευτερώσεις, vocent, Apostolum fabulas aniles & profanas appellauisse catholicus lector intelligit. Idē serm. 20. in Psa. 118. quas ἀδολεσχίας, alij fabulationes, alij delectationes verterunt, ad easdem iudæorum δευτερώσεις, accommodat, continentes pręter diuinarum scripturarum canonē milia fabularum, quasi in sermone cum quadam delectatione exercitationes, seu verbis delectabiles sed nō vt lex tua Domine, vt in qua me veritas, non verba delectent. Ad has Iudæorum præter legis doctrinam narrationes, vel potius fabulationes, nè videretur Apostolus cum hæreticis vetus testamentum condemnasse, referēdus hic

Traditiones Iudæorum.

hic cum similibus locus. Tale ferunt esse Talmut, tam Euangelio anterius, quàm posterius. Addit Aquinas in lege duplicia fuisse documēta, fidei scilicet circa credenda, quædam circa Dei cultum seruanda religionis mandata, vtraque credibilia inquam; & agibilia, diuinitus quidem certè instituta, sed nunc prout à Iudęis intelliguntur, fabulosa, adeò vt quod olim fuit veritas, Verbi gratia, Virgo concipiet, sit prout ab eis hodie creditur, fabula, nimirum vt ab eis dicitur nondum hoc esse impletum. Prophetia ergò ab Esa. 7. prædicta; & à Matth. 1. citata, si vt adhuc implenda dicatur, est fabula. Quo etiā modo intelligas licet quod sequitur, *& mandatis hominum,* quia mādata quæ in lege Dei sunt, facta Iudæis sunt, at Iudaizantibus post manifestatam veritatem, iam sunt hominum, non Dei mandata: Nam cum seruarentur in signū futuræ veritatis, Dei vtique mandata erant; postquam verò corpus nostrum legi mortuum est, Rom. 7. iis qui ea seruare volunt, fiunt hominū mādata. Et hæc enim quæ olim sub lege fieri Deus mādarat, vbi aduenit tempus gratię, eadem vt non fierent mandauit. Quod si etiam in lege nemo iustificatur apud Deum, quantò minus in mandatis hominū? quicquid enim aduersum veritatem opponitur, humana inuētio est. Sic alibi Paulus monet, nè post legem mādatorū (vtique legalium) in decretis (& ritibus, seu cęremoniis) sitam, à Christo euacuatam, Eph. 2. 4. postquā peruenimus in vnitatē fidei,

Talmut Iudæorum.

Hominū mādata quæ sint.

in agnitionem filij Dei, in virum perfectũ, in Christi mensuram & plenitudinẽ, iam nè fluctuemus vt paruuli, neu circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circunuentionem erroris (hoc est, versutia qua nos adoriuntur, vt imponãt nobis) veritatem autem facientes in charitate, crescam⁹ in eo per omnia, qui est caput, Christo. Sic & quidem clarius ad Colocenses secundo, Nemo vos decipiat secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, non secũdum Christum, in quo habitat omnis plenitudo, seu perfectio. Et subdit, Nemo vos iudicet in cibo, potu, parte seu respectu aut discrimine diei festi, nouilunij, sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi, Si enim mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, quid adhuc tanquam viuentes in mundo decernitis, aut decretis tenemini, Nè tetigeritis, gustaueritis, attrectaueritis? quæ omnia in interitu sunt, seu pereunt ipso abusu, secũdum præcepta & decreta hominum. Si quis ergò, quod paulò pòst ait initio cap. 3. non resurgens cum Christo, nec quærens ea quæ sursum sunt, sed quæ deorsum, hæc adhuc vetera Mosaica dicit, hic sequitur iustitias non bonas, & præcepta non bona, ait, hic cum Hieronymo Ambrosius, & obseruat mandata hominum vmbras mordicus retinentium. Vbi autem est veritas & lex spiritualis, Romano. 7. ibi iustifica-

tiones bonæ, præcepta optima, quæ qui fecerit, viuet in eis. Est & altera vt fabularum antè Iudaicarum, sic & humanorum mandatorum hoc loco expositio, de seniorum traditionibus, de quibus Dominus in Euangelio eos redarguit, quòd Dei mandata reiicerent & irritarēt, vt suas traditiones statuerent, qualem improperat quā de parentibus non honorandis impietatem docebant filios suos, Mat. 15. Marc. 7. frustra Deum colentes, docentes doctrinas & mandata hominum, verè hominum, nō nisi humana, carnalia, & terrena sapientium, Phi. 3. de quibus adhuc paulò pòst videro. Qui ergò hāc, de qua toties Apostolus, fidei & doctrinæ, & verborum sanitatem habent, legalibus Mosaicis non amplius addicti sunt, & multò minus Pharisaicis seruiūt. Empti, ait alibi, estis pretio magno, 1. cor. 6. 7. & nō corruptibilib' auro vel argento, sed pretioso agni immaculati Christi sanguine, de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, 1. Petr. 1. hec est, quam ex patribus veluti per manus acceperatis, nolite ergò fieri serui hominum. Sed nunquid non hominum vllorum mandatis obediendum? non magistratuum, non principum, non Episcoporum, non parentum, non pastorum, non herorum, non maritorum, non prophetarum denique & Apostolorum, qui vtique homines sunt? Obediendum sanè, & in omnibus, & per omnia, Sic enim alicubi, nec semel, Paul' loquitur, sed non *auersantium se à veritate*; seu veritatem

Seniorum traditiones.

Hominū mādatis quatenus obediendum.

auerſantium & abhorrentium,quaſi terga obuertentium veritati Euangelicę,gratię ac libertati noui teſtamenti, quin etiam legis veritatē, hoc eſt,ſpiritalem intellectum recipere nolentium. Auerſantibus autem nos à veritate vel angelis,nedum hominibus,anathema,Gal.1.& cum principibus Apoſtolis reſpondendum, Si iuſtum eſt in conſpectu Dei vos potius audire quàm Deum,iudicate: obediendum Deo magis quàm hominibus,Act.4.5. & magna voce cum Mathathia reſpondendum, Etſi omnes gentes Regi Antiocho obediant, vt diſcedant vnuſquiſque à ſeruitute legis patrum ſuorum,& conſentiant mandatis Regiis: ego & filij mei, & fratres mei obediemus legi patrum noſtrorum (haud dubiè Dei, nam ſequitur) propitius ſit nobis Deus,non eſt nobis vtile relinquere legem & iuſtitias Dei,non audiemus verba regis,neque ſacrificabimus, tranſgredientes legis noſtræ mandata, vt eamus altera via,1.Mach.2.& 2.cap.7.Septē fratrū Machabæorum martyrum quartus, potius eſt ab hominibus morti datos ſpem expectare à Deo. Septimus,idem natu minimus, Non obedio præcepto Regis, ſed præcepto legis, quæ per Moyſem nobis data eſt.Porrò ſunt hic obſeruanda 1.ex Chryſoſtomi ad hunc locum commentario,fuiſſe tunc adhuc in Chriſtianiſmo non tantū Iudaiſmi reliquias,ſed & gentiliſmi, hoc eſt,Chriſtianorū aliorum cū Iudæis cibos obſeruantiū, vnà ieiunantiū, & ſimul ſabbata

Mathathiæ conſtantia.

Machabæorū fortitudo.

Chriſtianiſmi & Iudaiſmi & gentiliſmi commiſtio.

celebrantiũ,aliorũ cũ pagauis ad loca Diis dedicata cõuenientium,vt ad eũ qui in Daphne, ad speluncã quæ Matronæ appellatur, ad Saturni in Cilicia,vt insanis huiusmodi corripiẽdis vehementiori flagello opus fuerit. In Romanis tale nihil Paulũ fecisse,quod non iis erãt moribus,sed ingenio lõgè nobiliori,&mente magis pollebant ingenua. II. Quod paulò antè diximꝰ tot tantáque legis fuisse mãdata, vt Iudęi vix ac nè vix quidẽ respirare potuerint,quod Ambrosij est ad hanc literã,minus mirabitur qui legerit catalogum vniuersorum Mosis præceptorũ, moralium,iudicialiũ,cęremonialiũ, quæ Iudæi numerãt 613. Tot nimirum negatiua,quot sunt dies in anno 365. Affirmatiua 248. quot scilicet sunt mẽbra in homine. Extat is Catalogus Hebraicolatinus Mũstero interprete,cũ succincta, nec minus mira,vel potius superstitiosa Rabinorum expositione, quæ aperta Dei mandata friuolis implicant magis quàm explicant commentariis. cũq́ue additione traditionũ,quibꝰ & propter quas verè irrita fecerunt Dei mandata, leuissima & minima quæq; maximè curãtes,& maxima grauissimáque relinquentes. Quæ deliramenta maioribus eorum à Christo multis verbis ac diris exprobrata,locis paulò antè indicatis,mirũ quàm ab illo tẽpore multũ aucta, non diminuta fuerint. Ferunt enim & affirmãt duplici modo tradita Mosi à Deo pręcepta,ore & calamo,& scripto quidem recepta,plerũque diminuta,obscura,imò aliquando sibi ipsis (in

Romanorũ laus.

Præcepta Iudæorum quã numerosa.

ſpeciẽ) contraria inueniri, quę minus facilè cõcordari poſſint, niſi per legẽ ore tenus à Moſe

Legis Moſi danda mora quæ fuerit.

receptã. Nã cùm is in mõte Sinai 40. diebus & noctibus eſſet, non præſumendũ aiunt Hebręi, quòd propter legẽ vnam ſcriptã tantum tẽporis in monte exegerit, cũ Deus tabulas in quib⁹ ſcripta lex fuit, vna illi hora dare potuerit, ſed multo tẽpore fuit opus ad verã legis interpretationẽ ei reſeruandã. Hãc Moſes primus excepit, & Ieſu ſucceſſori tradidit. Hi LXX. ſenioribus, hi prioribus prophetis, à quibus prophetæ poſteriores acceptã tradiderunt Synagogæ magnæ, à qua didicerũt ſapiẽtes ſubſequẽtes Babylone exules, & Hieroſolymã reduces, & ſic à generatione in generationẽ peruenit genuina

Cabala.

illa legis expoſitio, quã CABALAM vocant, quaſi ſuſceptionẽ, & ſeſe habere gloriãtur Hebręorũ ſapiẽtes, iuxta illud ſcilicet, Nè receſſeris à verbis ſapientiũ ad dexterã vel ad ſiniſtrã, Prou. 4. Aiunt etiam vetitam ſcripto redigi, nè vertatur, vt lex, in aliam linguã, ſed in ore tantũ

Iudæorum ſapientes vbi.

ſapientium adhuc inueniri. Rogati vbinã gentium ſint ſui ſapientes, reſpondent verpi illi, in Babylonia, etiamſi non magis quàm nos, ſciãt vllos eſſe in Babylone Iudęos. Sic memini Iudæum mihi Venetiæ reſpondiſſe, cum premeretur Meſſiæ tempus olim iam exactũ, Regem quoque ſuum veniſſe, breui è Caſpiis portis in orbem erupturum. De quo laruato Meſſia, qui à Iudæis in hunc vſque diem fruſtra expectatur, extat eodẽ Mũſtero autore dialogus, vtraq;

lingua Christiano cum Iudæo colloquium: In quo portentosas & absurdas gentis excæcatæ de Christo opiniones & fabulas, sed & violentas scripturarum interpretationes videre liceat. Nec verò noua est hæc de Iudaicis traditionibus traditio. Nam Iosephus Iudæorum vernaculus, indicat multas constitutiones à maioribus per manus successione acceptas Pharisæos populo tradidisse, quę scriptæ non essent inter leges Mosaicas, quibus ideo Sadućęi autoritatē abrogarent, dicentes oportere eas tantum seruari, quæ scripto continentur, non quæ à Patribus traditæ fuissent (quod habet Ruffini versio) hinc magnam inter vtrosque exortam controuersiam, sequentibus horum partes diuitibus, popularibus illos adiutantibus: vt cùm Hyrcanus abrogatis illorum constitutionibus, earum obseruatores punire cœpisset, parum apud multitudinem gratiosus cum filiis Rex & pontifex fuerit. Eius contrà nurus Alexandra gratiosa apud populum esse cœperit, adeóque vel ob id maximè regnauerit, quòd si quid rituum socer abrogauerat, quos Pharisæi iuxta maiorum traditiones induxerant, id totum ea denuo sanciuerit ac restituerit, Antiquitat. lib. 13. cap. 17. veteris editionis: nouæ 18. & vtriusque vltimo. Has, vt prædiximus, traditiones δευτερώσεις, quasi secundas aut secundarias, earúmque autores δευτερωτάς, quasi secundos aut secundarios doctores aut magistros, cùm alij, tum Hieronymus passim vocat & flagellat:

Saducæi.

Hyrcanus pōtifex & Rex

Alexandræ regnum.

cuius locos quia in concione Gallica ante aliquot iam annos edita partim vertimus, partim indicauimus, nec admodum ſpes tantum nobis futurum otij, vt eam homiliam liceat Latinam reddere, hîc lectorem precor, vt contentus ſit Hieronymianorum ea de re locorum indicio. Sunt autem in Epiſtola de Seraphin ad Damaſum, Ad Algaſiam quæſt.9.& 10. Super prophetas paſſim,& præſertim ad Eſaiæ cap.3. 5.8.29.59.Ezec.36.Oſe.3.Abac.1.Idē argumētū poſterio.ſeculis tractauerūt ex Iudæis Chriſtiani magna in primis cum laude Lyranus & Petrus Alphūſus in Dialogis, Rabbi Samuel in veri Meſſiæ Paraſtaſi.& noſtro tempore Galatinus de arcanis catholicæ veritatis , Capnion in arte Cabaliſtica. Sed omnium maximè ridicula, fœda, obſcœna, putida de iis tradidit Hieronymus de ſancta fide, Relatione ad mandatū Benedicti Papæ XIIII. anno D.1412. in Hiſpania facta, duobus libellis, quorum prior Iudaiſmum, poſterior Talmuthum impugnat. In his inquam, talia quædam ſunt, quæ ſupprimi præſtiterit, vel certè niſi à perfectis, non legi, etiāſi libri recitatione vltra quinq; millia Iudęorū ad fidē cōuerſa notauerit typographus Tigurin⁹, nuſquam certè clarius didici quod hic & alibi Paulus ait, eos qui veritatē auerſantur, & à veritate auditū auertunt, ad fabulas cōuerti ſolitos, 2.Tim.4.& qui veritatem non recipiunt, credant mendacio, 2.Theſſ.2. Extat & concio noſtra Gallica de Trad. Ecclī. in qua eas quæ veræ

Fabulas ſectari eos qui veritatē auerſantur.

modò tales ſunt, ab hominum commentis lõgè latéque differre oſtendimus, vt nihil faciãt, imò contra Pauli mentem faciant, qui ſuperioribus eius ſcripturis aduerſus Apoſtolicas traditiones non ſcriptas abutũtur. Seruanda enim Apoſtolorum & Seniorum dogmata & præcepta, Act.15.16. ſiue ea verbo, ſiue ſcripto tradiderint, 2. Theſſ.2. Quo item ſenſu Eccleſiæ maiorúmque conciliorum cõſtitutiones, aliàs humanæ, aliàs diuinæ vocentur, & in quibus quid cauendum, quid obſeruandum, in earum item vſu & abuſu, quid omnibus retrò temporibus optimi quique ſemper deſiderauerĩt, nec tamen adhuc obtinuerint, modum in primis, vt nè quid nimis. Sed redeam⁹ ad Paulum. Ait ergò contra Iudęos & Iudaizãtes Chriſtianos, hæreticos, & omnes temerarios rerum cenſores caſtigator optimus, vt eleganter Bernhardus, Serm.66. ſuper Cantica, *Omnia munda mũdis.* Oſtendit in ſpeciali ſuperiorum dictorum rationem, in pſeudapoſtolos docentes cùm legem in omnibus eſſe ſeruãdam, tum præcipuè in ciborum diſcrimine, inter quos putabant eſſe diſtantiam, vt aliqui mundi, immundi aliqui eſſe viderentur: cõtra quos plenius diſputat ad Galatas, ad Rom.14.15. Col.2. hic obiter tantũ oſtendit, primò vt ſe ad bonos cibi habeant, ſecundò vt & ad malos, & veluti ſententiam profert contra ſecus ſentiẽtes, cibaria nimirum & eſculenta omnia humanis vſibus eſſe ccõeſſa, non vel natura immunda, quia natura nihil ta-

Ciborum diſcrimen.

Immundum nihil præter peccatum. le, ſolum nanque peccatum immundum, quod immunda facit omnia, animas penetrans & inquinans: vel adhuc ſecundum legem, ſed mundis, his videlicet qui per baptiſmum ſanctificati ſunt, qui in Chriſto credunt, quíque ſciunt omnia quæcunque bonus Deus fecit, eſſe valde bona, Gene. 1. omnem item Dei creaturam bonam eſſe, & nihil abiiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, 1. Tim. 4. nihil extra hominem eſſe, quod in eum, ſiue eius os introeat, ipſum coinquinet, Matth. 15. Marc. 7. qui denique norunt qua quędam cauſa olim interdicta, & qua poſtea conceſſa, & ab immunditia legali Domini ſic eſſe aduentu purgata, vt quæ is mundauit & purificauit, ea communicare aut impurare non poſſimus, Act. 10. 11. qua fide iuſti ſunt, eadem fide vniuerſa quibus vti conſuetudo eſt, ſumunt, in munditia & ſanctitate percipiunt: hos inquam, mundos eſſe, & omnia eis munda ſignificat, Omnia quippe Deus ad vſum & ſuſtentationem ſibi ſeruientium condidit, eatenus munda, quatenus ab eo creata, quare munda, pura, ſancta, & his digna, qui mundo corde & opere Deo ſeruiunt. Ergò puris quidē pura ſunt omnia, vt moderni quidam rectius vertendum putāt, quòd his verbis Latini vtantur, de caſtitate ſacrorum agentes. Hinc extat apud Senecam lex, Sacerdos caſta caſtis, puris pura, ſiue caſta è caſtis, pura è puris ſit, Declamatione 2. & lib. 2. Controuerſia 2. *coinquinatis autem*, pollutis, & piaculo aliquo

Mundities aut immundities ciborū

Coinquinati

profanatis,q.d. impiatis,non expiatis, vt ſint à ſacris arcendi, Ambroſio, his qui contaminati ſunt,*& infidelibus*,eidē,ſine fide, *nihil eſt mundum*, Qui vel peccato vaſtante conſcientiam impuri ſunt, vel Deo non credunt, Dei donis digni non ſunt. Qui in creatorem non credūt, indignum eſt & iniuſtum Dei eos creaturis vti: Qui ſuperiora non intelligunt, quíque legem carnaliter accipiunt, & tempus gratiæ à legis tempore non diſcernunt,*nihil*,nullum cibi genus eis *mundum*,adeóque quod mundum reputant,illis mundum non eſt, qui non credunt iugum legis Chriſtum donando fidem à collo credentium abſtuliſſe,id eſt, quæ temporaliter in figuram data fuerant,infirmi in fide ſunt,ac proinde ſanum eis nihil,ſic morbo ægrotantibus,& qui affecto ſunt ſtomacho, amara omnia,& inſuauia,Sic vertigine capitis laboranti- *Vertigo capitis.* bus, omnia, etiam terra,fixa licet,ac in æternū ſtet, Eccl.1. circumagi & volutari videntur. Is eſt morbi humor, affectus, & opinio, vt qui- *Oris putor.* bus os putet,omnia quæ offeruntur putida,putent,oris,non elementi vitio,Ita qui in fide errant,& contra fidem atque conſcientiā comedunt,quod tum natura ſua,tū Dei benedictio- *Similitudo* ne,tum Domini purgatione, mundum purúm *aptiſſima.* que eſt,ſibi & immundum & impurum faciūt, Omnia ergo pro veſcentium qualitate munda vel immunda, & ex eorum mente qui edunt. Quî enim mūdis quę mūda ſunt,immūda reperirētur? Vt igitur iis qui curioſius non inquirūt,

1.Cor.10.pura natura omnia,ſichis contrà,qui ſuperſtitioſè quæ munda, quæ immunda ſint, diſcutiunt, nihil fuerit attrectabile aut eſculentum,Sed plerũque impura omnia,Nam nè panis quidem Euchariſticus,& calix Dominicus, tales,hoc eſt, infideles atque pollutos iuuerit, ſed edentes & bibentes indignè, ad iudicium edunt & bibunt,1.Cor.11.Quorum omniũ cauſa ſubditur, non ciborum ex ſua natura impuritas, *ſed* vtriuſque operum humanorum cauſæ,hoc eſt,intellectus,& volũtatis deprauatio, *inquinata ſunt eorum & mens*, polluta ratio per infidelitatem,*& conſcientia*,per peccatum.Totius rei ſummam in eos contorſit.Nunquid inquinata ſunt omnia? Abſit,non hoc dixit.Sunt opera Dei munda,& immundum ex conditione ſua nihil,ſed ipſi intus mali, & ſic immundi perperam de cibis ſentientes, ſua eos ſuſpicione,vel potius ſuperſtitione, ſibi reddunt impuros & inutiles. In nobis itaque eſt munda comedere,vel immunda. Si mundi ſimus,munda nobis eſt creatura: Sin immundi & infideles, fiunt nobis vniuerſa communia, ſiue per inhabitantem in cordis arcano hæreſim,ſiue per cõſcientiam delictorum,vt ciborum non ex cibis ſit inquinatio, ſed ex vtentiũ vel malo peruerſóque intellectu,vel mente ſibi malè conſcia. Propter quod dicit Dominus,nõ quod extrinſecus per os in hominem intrat, eum coinquinat,(in aluum enim,non in cor vadit) Sed quę de homine ex ore procedunt,hominem inqui-

Mundum & immundum nos facimus.

nant,ab intus & ſeu internis, à corde ea prodeunt malæ primum cogitationes, dein omne genus mala opera hominem verè inquinantia, Matt.15.Mar.7.Et Sapiẽs ait ex corde quatuor rerum genera oriri, bonum & malum, vitam & mortem,quorum aſſidua gubernatrix, imò dominatrix lingua ſit, Eccl. 37. Huius duplex officium, guſtare & loqui:de guſtu hactenus, nunc de locutione,fortaſſis enim aliquis diceret,Inquinati ij non ſunt, fidem enim Dei & notitiam,non ignorãtiam habent, contrà quã de quibuſdam alibi ait, 1.Cor.15. Deum vnum credunt,agnoſcunt & profitentur, proinde vera ſunt,non vana,quę loquuntur,hoc excludit, ſcio quidem, ait, quod *confitentur ſe noſſe Deum*, ſe Dominum ſic,vt nemo melius, noſſe dicũt, vt ex lege ac prophetis ſibi promiſſum, ſed & Chriſtianos ſe appellant,ſed falſò:& qualecũque quod in eis erat,bonum oſtẽdit,quod cõfiterentur,ſed ſummis (quod aiunt) & primoribus labiis,*factis autem negant*, eius aduentum, cùm ſe ſine lege iuſtificari non poſſe putant, quod dictum quanuis ad omnes tum hæreticos,tum pſeudochriſtianos pertinet:hoc tamẽ de Iudæis intelligitur locutus, qui ſe Abrahæ Deum ſolos ſcire dicunt,& operibus abnegãt, vt Dominus ait,Si filii Abrahæ eſſetis,Abrahę opera faceretis,Ioan. 8.Quomodo ergò Abrahæ Deũ ſciunt,Euangelij opera non ſectantes, ſed legem factorũ in Sabbatis & Normeniis, &c? Et corde quidem creditur ad iuſtitiam,

Lingua officiũ duplex.

Iudæi de Abraham ſe iactantes.

Rom.10.ore autem confessio fit ad salutẽ, orẽ inquam,id est,tota extrà cõuersatione,alioqui cum Iudæis audiemus, Populus hic labiis me honorat,cor autem eorum longè est à me, seu corde procul à me recedit,Esa.29. & Hier.12. prope es tu ori eorum,longè à renibus. Existimant quidam in eo tantum Deum negari,si in persecutione quis comprehẽsus, Christianum esse se renuat. Sed ecce,respondent post Hieronymum Sedulius & Anselmus, omnibus peruersè factis Deum Paulus negari asserit, Deus charitas est,1.Ioan.2.Christus Dei virtus & sapientia,iustitia,1.Cor.1.veritas, Ioan.14.sanctitas & fortitudo,& his similia, quæ omnia negantur per sua contraria,odium, insipientiam, iniustitiam,mendacium,turpitudinem, pusillanimitatem, quoties vincimur vitiis & peccatis,toties Deum negamus, quem è contrario confitemur,quoties bene viuimus. Nec putemus in die iudicij eos tantum à Dei filio denegandos, qui eum in martyrio denegarunt, sed per omnia opera,sermones,cogitationes,Christus vel negat negatus, vel cõfitetur confessus, Matt.10.Marc.8. Luc.12. vt in omnibus bonis operibus & sermonibus mens Christum ipsi dedita confiteatur. Sic Augustinus ad finem inchoatæ expositionis ad Rom.ex hoc & similibus locis colligit in scriptura, aliquid factis tum dici tum negari, neque Deum eos confiteri, qui oris tantum sono, non etiam bonis operibus confitentur. In Ioannis item episto-

Deus quam multipliciter negetur.

Confessio Dei quam multiplex.

lam tractat.3. & 6. Christi negationem etiam factis fieri, ab iis qui eum ore confitentur, & moribus ab eodem dissentiunt. Non attendamus (ait) ad linguam, sed ad facta, quiescat paululum lingua, vitam interroga. Nō audio quid sonet, video quid viuat, opera loquuntur, verba requiremus? Malus non bene vult loqui? Proinde Christi negatores non eos tantum esse, qui eum foris lingua negent, Paganos, Iudæos, hæreticos, sed & intus qui vita, omnes malos catholicos, quotquot in Ecclesia periuri, V.G. fraudatores, adulteri, fęneratores, ebriosi, mendaces, &c. qui aliud loquuntur, aliud agunt, lingua profitentur, vita negant. Nolite igitur esse tanquam de fide securi, adiungite fidei rectæ vitam rectam, vt Dominum confiteamini & verbis vera dicendo, & factis bene viuēdo. Hęc Beda ex Augustino. Et certè qui peccat, Deum, quātum de se est, facto negat, quia qui Deum confitetur, eius quoque potestatem quòd nimirum ei obediendum est, confitetur, ideo si non obedit, facto negat quod verbo fatetur. Sed dices, Quisquis Deum negat, infidelis est, peccatores ait Deum negare, ergò & infideles esse, Respōdet Aquinas & philosophatur, Sicut habens scientiam, ita & fidem, in vniuersali, potest in particulari ille scibili errare, hic agibili corrumpi, propter affectus corruptionem, Sic alioqui fidelem suorū negligentem & incuriosum, ait noster fidem negauisse, & infideli peiorem esse, 1.Tim.5. & alter, Qui

dicit se nosse Deũ,& mandata eius non custodit,mendax est,&in hoc scimus quòd eum nouimus, si mandata eius obseruamus,1.Ioan.2. Simulatis ergò verbis profitentes,moribus nõ solum inficiuntur, sed & sunt ad redeundum ad Deũ valde malè dispositi,per tria enim homo redit ad Dominum,per gratiam iustificantem,Rom.5.per fidem purificãtem,Act.15.per boni operis exercitium, factores enim iustificãtur,Rom.2.hæc tria ab iis excludit, primum *cum sint*,siue quoniam sunt,*abominabiles* βδελυκτοί, Ambrosio & Hieronymo execrabiles, Deo odibiles,nec pergratiam accepti,profani, nefarij,ab humanitate destituti bestialiter viuẽdo.Ambrosio perturbatores impij &irreuerẽtes,intractabiles. Secundò fidem excludit,diuinis præceptis *incredibiles*,increduli,ad credendum præ nimietate impietatis suæ inhabiles & inepti, indigni etiam quibus debeat credi, quia toties in mendacio deprehensi. Ambrosio & Hieronymo, inobedientes, ἀπειθεῖς, impersuasibiles, nulla veritatis ratione persuasi, contumaces,dicto non obedientes,postremò, *& ad omne opus bonum reprobi*,reprobandi. Argẽtum reprobum vocate eos,Hier.6. ad omnem rem bonam inepti,ad opus in primis Deo gratum &acceptum,quia sine fide impossibile est placere Deo,Hebr.11. Fides autem sine operibus mortua est,Iac.2. at mortui ad quiduis bene operandum aut demerẽdum sunt impotes, ligatis vtpote tum manibus, tum pedibus, &

Homo redit ad Deum per tria.

Abominabiles.

clausa

clausa ianua,& lampadibus extinctis,Matt.22. 25. Et hi ergò fide atque charitate destituti, ac proinde spiritu mortui,nihil propè, quod vel boni similitudinem habeat,operantur: Quòd si quid quod bonum esse videtur, naturali bonitate inducti, fortè faciunt, quia mentis peruersitate sunt reproba,verè bonum non est,& talia quidem opera sunt, quæ Deum nesciunt.

Hic non est necesse de omnibus agere. Tota enim hæc disputatio est aduersus eos instituta,qui in legis confessione se religiosiores esse dicebant, cùm quæ iuberentur, non facerent, affirmantes enim se colere vniuersi Deum, iis quæ vult apertè faciebant contraria: qui cùm legem veterem certo tẽpore circunscripsisset, quam illi illo tempore non implebãt, pro hac post finem temporis decernebant atque decertabãt. Quæ igitur ad literam,sed extra rem hic monentur,cùm talia partim,vt eorum nullum non propria digressione egeret, obiter duntaxat impræsentiarum attingemus, si fortè alibi digrediendi locus fuerit,aut maius otium,imò negotij minus.Primum quod Paul⁹ assumpsit, omnia mundis esse munda,quanquam ad cibaria speciatim referendũ,generatim tamen sumptum,æquè verum.Augustinus contra Petilianum, lib.2. cap.52. quod & habetur. 1.q.1.ca. Dominus. more Donatistico bònos externa malorum sacerdotum cõcione pollui disputantem,inter alia multa sic respõdet,Nos dicimus tale cuique sacrificiũ fieri, qualis accedit vt vel

offerat,vel ſumat,& eos de ſacrificiis taliū mā-
ducare dici,Oſe.9.&inquinari,qui ad illa tales
accedunt,quales illi ſunt,nimirum facinoroſi.
Itaque ſi offerat Deo malus , & accipiat inde
bonus , tale cuique fore, qualis quiſque fuerit,
quia ſcriptum eſt,Omnia munda mundis. Per
hanc ſententiam veridicam &catholicā,etiam
vos Optati ſacrificio polluti non eſtis, ſi facta
eius diſplicebant vobis.11. Sed ſi vera hæc eſt
& vniuerſalis ſententia , inferat aliquis , ergò
mundis mundum eſt adulterium,Sic enim di-
ſputabat,Anno 1520.Schiſmatarches,Vt nihil
iuſtificat niſi fides , ita nihil peccat, niſi incre-
dulitas , Impoſſibile autem eſt fidem eſſe ſine
aſſiduis multis & magnis operibus, Ergò ſi in
fide fieri poſſet adulterium, peccatum non eſ-
Sophiſta Lutherus. ſet.Eamus ſcilicet, & negemus hunc fuiſſe ſo-
phiſtam,Ex impoſſibili ſcilicet,ſequitur quod-
libet.At ex id genus ſophiſmatibus ſecutū eſt,
vt quibus illicita ſint & inacceſſa noſtra ſacra,
plerūque licita ſint furta, & acceſſa luſtra, Sed
miſſa faciemus hæc.Negat hanc illationem A-
quinas , & reſpondet munda mundis illa eſſe,
quæ de ſe non impurant. Adulterium autem
cum ſimilibus à Chriſto enumeratis, Matt.15.
Marc.7. vel ex hoc ipſo quòd adſūt, hominem
contaminare.111.Sed nunquid è contrario im
mundis immūda etiam eleemoſyna? & vbi eſt
quod dicit Dominus,Luc.11. Date eleemoſy-
nam,& ecce omnia munda ſunt vobis? Et hos
enim locos ita committit Auguſtinus in En-

chiridio, cap. 75. 76. & citatur in Sententiis Theologicis, lib. 4. Dist. 15. quasi cùm sint immundi omnes, quos non mũdat Christi fides, Pharisæis tamen eam non habentibus, infidelibus, & sic immundis, munda essent propter eleemosynam omnia: Sed cùm Eleemosyna opus sit misericordiæ, qui vult eam ordinatè dare, à seipso debet incipere, eam sibi primùm dare, Miserere (ait) animæ tuæ placens Deo, Eccl. 30. Prima autem eleemosyna, quam nobis debemus, est vt nos ipsos per miserãtis Dei misericordiam requiramus. Iustum enim iudicium, quo miseri effecti sumus, confitentes, & nos veraciter de nostra miseria iudicãtes, Deique charitatem magnam, quam donauit, diligentes, eique gratias agentes, bene viuamus. Quod iudicium & Dei charitatem Pharisæos prætereuntes, foris lotos, intus rapina & iniquitate plenos, Christus admonet quãdã eleemosynam esse, quam homo sibi primitus debet dare, & interiora mundare, Dei inquam, iudicium & dilectionem, qua eleemosyna possetis (ait) ab omni inquinamento interiori mundari, & vobis munda essent corpora, quæ lauatis, hoc est enĩ *Omnia*, & interiora scilicet, & exteriora, sicut alibi legitur, mũda quæ intus sunt, quæ foris sunt, mũda erũt. Aliter verò soluit Aquinas, Apostolũ nõ esse affirmatiua vsũ, nec dixisse, omnia immũdis immũda, quasi peccator & infidelis eleemosynã faceret immũdã, sed negatiua, nihil eis mũdum, perfectè scilicet, nihil

Eleemosyna vt facienda.

enim in opere mũdũ, nisi in debitũ finẽ ordinatum: Sũt autem infideles extra finem. Talibus ergo, inquantum huiusmodi, & secundũ quod infideles sunt, aliquid facientibus, totũ est peccatum ex radice, quia omne quod non est ex fide, peccatum est, Rom. 14. quod vtique fit ex infidelitate, iuxta illud, Esa. 2. Qui incredulus est, infideliter agit. Sed quoniam bonum nunquam sic à malo totum corrumpitur, quin in peccatore, adeóque vel in dæmonibus, naturæ scilicet aliquantillum supersit, si quid facit peccator ex principio alicuius quod habet, vel naturæ inquam, vel fidei informis, non est necessarium immundum esse. Hoc posterius ad viuum nunc non excutio, dabitur fortè alibi locus, & quæ sequuntur, propiora sunt literæ.

Bonum à malo nunquam in totum corrumpitur.

Dæmonibus etiam aliquãtillum naturæ superest.

IIII. Cur ergò tam multa quasi immunda, Mosis lege prohibita? Græci respõdent, Legislatorem quædam interdicentem, non simpliciter egisse, quasi ea forent immunda, nihilóque magis temere egisse, Sed ita hominibus gulæ deditis luxum, vel certè bonam deliciarum partem amputasse, nec sic tamẽ obtemperaturis, aut à voluptate in totum temperaturis, multo minus persuasurum, siquidem causam hãc obiecisset, nunc autem immunditiæ eos nomine terruit: Alioqui eorũ quæ Iudæis permisit, quædam si expendantur diligentius, nihilo mũdiora reperias. Quid enim pisce immundius, præsertim vbi humana cadauera depastus fuerit? Nè aues quidem mundæ sunt, etiam cortales,

Cur tã multa immunda in lege prohibita.

Piscis immũdus.

Aues immundæ.

vt gallinæ tot sordibus & vermiculis vescẽtes. Ceruus quoque mundus scilicet, qui quod serpentes deuoret, apud Græcos nomen accepit ἔλαφος. Et vinum an non immundum, suum ex humo, fimo, stercore humorem attrahens? Multáque alia eis per legem relicta, si curiosius inspiciantur, immunda erunt. Ambrosius non longè abludit ab hac Mosaici ciborum delectus ratione, quam qui non intelligant, accusatores esse Scripturæ, Si bona (inquiunt) facta leguntur, cur interdicuntur quasi execrabilia? Si execrabilia nõ sunt, quia bona sunt, propter cordis duritiam noscuntur interdicta, quia indigni habiti sunt tota Dei creatura, & à quibusdam melioribus prohibiti. Qui hæc, & huiusmodi non intelligunt, immundi sunt, polluti sunt, quia creaturam Dei accusant, vt excusent semetipsos. Fuit & sua Augustino de hoc sententia, in Faustum, lib. 30. cap. 5. lib. 31. cap. 4. Paulũ cibos natura & creatione mundos, Mosem significatione immũdos appellasse. Quod hoc exemplo Aquinas fecit clarius, hoc nomẽ *stultus*, secundum se sumptũ, quatenus vox est, mundum est, bonum est, quà verò defectum sapientiæ significat, sic habet immunditiem. Ita porcus, vt res quædam est, mundus est, immũdus, quà significat hominẽ in voluptatibus sese volutantem, Prou, 26. 2. Petr. 2. Abstinebãt ergò primi illi patres à quibusdam, non ea tamẽ damnandi, sed significandi gratia, hæc autẽ adueniente veritate cessauerũt, & cœperunt ho-

ἔλαφος *vnde dictus ceruus.*

Porcus quare immundus

mines cibis vti ſecundum naturam ſuam. Proinde eos, qui iam tempore reuelationis noui teſtamenti, adhuc illas futurorum vmbras ita cuſtodiendas putarent, vt ſine his gentes ſalutem quæ in Chriſto eſt, percipere nõ poſſe cõtenderent, *immundos* dicit Apoſtolus, quòd carnaliter ſaperent, *& infideles*, quòd Gratiæ tempus à legis tempore non diſcernerent, quibus ideo *nihil mundum*, quia & his quæ reſpuebãt, & his quæ ſumebant, non ſanctè nec iuſtè vtebantur. *Omnia* ergò *munda mundis*, ſecundum naturam, in qua creata ſunt, non tamen omnia juxta ſignificationem munda, primo populo Iudæorum, nè nobis quidem omnia, vel propter ſalutem corporis, vel propter conſuetudinem humanæ ſocietatis, apta ſunt, ſed cum ſua cuique redduntur, & naturalem ordinem ſeruant, omnia munda ſunt mundis. V. Conſiderandum eſt nè hæc tractantes, occaſionem hæreſi demus, quæ iuxta Apoc. 2. & Paulum 1. Cor. 8. 10. Idolothytis veſcendum putat, quia omnia munda ſunt mundis. Hîc Hieronymus reſpondet Paulo nunc non fuiſſe propoſitum de immolatitiis diſputare, ſed aduerſus Iudęos qui ſecundum legis abolitæ diſciplinam quædam munda, quædam adhuc arbitrabantur immunda, nam & munda eſſe omnia alibi dixit, Rom. 14. ſecundum fidem, ei autem immũda, qui immunda putat, & tunc ab eis eſſe temperandum, cùm per offenſionem accipiuntur, id eſt, interprete contra Adimantum Auguſtino,

Idolothytis non veſcẽdũ.

cap.14. cũ quis infirmus putat sibi ab omnibus carnibus abstinendũ, nè incidat in immolatitiá, & ideo manducantem arbitratus in Idolorũ honorẽ id facere, ex eo grauiter offendatur, cũ immolatitia si à nesciente, nec interrogãte, ex fide accipiatur, neminẽ maculet. VI. Et postrema quęstio de sanguine atque suffocato, à quibus abstinendum decreuerunt in Concilio Apostoli, Act. 15. 21. non ergò mundis, seu fidelibus omnia munda, & esu licita, respõdet Aquinas quosdam sensisse mãdatum hoc ad literam intellectũ, hodiéque obligare, vt & apud Græcos, & diutulè apud veteres Latinos. Alios ad mysticum sensum referentes, per sanguinẽ, homicidium: per suffocatum, oppressionem intellexisse pauperũ. Et hoc quidem aliquid est, sed nõ totá pręcepti ratio, & hoc ergò ad literá pręceptũ intelligitur, nec tamẽ nũc obligatorium. Quædá enim prohibẽtur, quia mala, & hęc simpliciter vitãda sũt, quædá nõ simpliciter, nec ex se mala, sed pro tẽpore ac causa subsistũt vel cauẽda vel seruãda. Suffocati ergò & sãguinis esũ Apostoli prohibuerũt, nõ quia secũdũ se malũ, cõtrariũ enim dixerat Dominus, & vbiq; prędicabat Apostolus, sed hac ratione, quòd ad Christi fidẽ cõuersorũ cũ alij Iudęi, alij gẽtiles, oporteret autẽ vnũ ex vtrisq; fieri populũ, vt Iudęis, quibus hæc esu illicita erãt, & abominãda, gẽtiles cõdescenderẽt, ad seruãdã inter hos & illos pacẽ atq; vnitatẽ, Apostoli hæc esse pro illo tẽpore cauenda instituerũt. Vt hunc ergò cõclu-

Sanguinis & suffocati abstinentia.

Prohibitio duplex.

damus, nos cum Augustino, vbi paulò antè, teneamus Apostolicam disciplinam, dicentem quòd omnia sint munda mundis, seruata tamen Euangelica moderatione, vt non grauentur corda nostra cruditate & vinolentia, Luc.21. & cum eodem Confessionum, lib.10. cap. 31. Immunditiem non obsonii, sed cupiditatis timeamus, in tentationibus gulæ positi, certantes quotidie aduersus concupiscentiam manducandi & bibendi, frenos gutturis temperata relaxatione & constrictione teneamus, &c. Postremò quàm hic & similes loci aduersus infidelium in cibis errores à Catholicis bene torti, contra Ecclesiasticum ciborum delectum, nulla infidelitatis suspicione vitiatum malè retorti olim iam sint, ac etiamnum retorqueantur, & diximus, in 1. Tim.4. & in opere quòd de Abstinentia iandiu parturimus, vita comite dicemus.

Temperãtia manducandi & bibendi.

*

CAP. II.

Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam, in omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. Verbum ſanum & irreprehenſibile, vt his qui ex aduerſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.



TITVM Paulus ſuum in Chriſto filium hactenus de commini-ſtrorum ordinatione, & arcendis contrà hæreticis inſtitutum, inſtitui de informatione reliquæ plebis ſibi commiſſæ: primũ generatim, mox etiam ſpeciatim. Contextũ pauliſper immutaui, vt partes quæ proſequendo patebãt, nulla generalis ſermonis interiectione exponerem. Ait ergò, Dixi ſingulatim quales oportet Epiſcopos atque Presbyteros inſtituas, Nec tamen credas, ideo te à cura immunem aut alienum fore, imò eò maior tibi eſſe debet ad docendum ſolicitudo & aſſiduitas. Dixi cõtrà quales ſint aduerſarij, quódque quæ non oportet doceant: quanquam igitur tales ſunt, infideles, immundi, reprobi, & quid non? & quales ſunt, talia tum agunt, tum loquuntur. *Tu autem loquere*, ne horum cauſa taceas, neu

ſegnior fias,nè te turbent, qui contrà docent: ſed quod tui muneris eſt,proſequere,quod tuũ eſt,fac & doce,etiamſi illi non obediant, nec recipiant, vel ſi nemo obtemperet, tu tamen admone,cõſule, trade quam ſoles, diuinam diſciplinam,*quæ decẽt ſanam doctrinam*;q.d.loquere quę decet vt loquaris,quæ ad Chriſti fidem, & Chriſtianam vitam, & bonos mores pertinent,neque ſic vt illi,ſed ea propone, per quæ & ſuper quæ fides incorrupta ædificatur. De

Sanum. hoc *Sani* vocabulo multoties antè.Sanum hoc loco Anſelmus exponit, doctrinam quæ nullum erroris aut vitiorum languorem in ſe habeat,non qualis Philoſophorum aut hæreticorum,quæ dum ab aliis vitiis retrahit,ſæpe ad alia impellit:at Chriſtiana doctrina,& quidem ſola,ab omni tum vitiorum, tum errorum languore etiam ſanat,nedum ſana eſt. Ambroſius legit,quæ decet,& ſanam exponit, quæ Deum ſcit, & ſalutarem Dei doctrinam . Hieronymo quoque aliud eſt ſanam doctrinam loqui, aliud ea quæ ſanæ doctrinæ conueniunt,docere:in altero ſimplex tantum eſt inſtitutio, in

Doctrina operi poſtponenda. altero cum eo quod doceas, vitæ quoque correctio,Domino Diſcipulis præcipiente non in meditatione ſcripturarum ita laborandum, vt ſcripta tantum replices,& in memoriæ theſauro recondas,ſed prius quæ præcepta ſunt facere.Qui ſic(ait)docuerit, & ſoluerit vel mandatorum minimum,minimus vocabitur, qui verò & docuerit & fecerit, magnus, Matth. 7.

Et Phariſęorũ,qui dicunt,& nõ faciũt,qui aliorum ceruicibus onera imponunt,neque digito contingunt,Matth.23. Luc.11. talium inquam, & iuſtitiam & doctrinam, vt cælorum regnum intremus,ſupergrediamur oportet.Idem docet diſcipulum ſuum Apoſtolus,quia tunc doctrinæ ſit ſanitas,cùm doctoris doctrina pariter & vita cõſentiunt,Nec enim tam verba proſunt, quàm exempla.Vnde ſequitur, *In omnibus*, ſiue per omnia,non in quibuſdam tantum, *teipſum præbe*,Ambroſio,Hilario, & Hieronymo præbens, cum Græcis προεχόμενος, præſtans *exemplum*, τύπον, formam, exemplar *bonorum operum*, rectè factorum, quod vt ab omnibus & ſingulis Eccleſiæ ſtatibus, effici nè ſit arduum aut difficile, magiſtrum formam eſſe præcipit, nihil enim prodeſt aliquem exercitatum eſſe in dicendo,& ad loquendum triuiſſe linguam, niſi & viuendo docuerit,nè vita verbũ deſtruat ſed vt audẽter alios corripiat, & oẽs conueniẽter corrigat.Sic igitur viue,vt ſis omnib⁹ bene viuẽdi forma,vt qui te viderint,in operib⁹ tuis, velut in libro legãt,quod agere debeãt.Sit vita tua cõmune quoddam ſpeculũ, & archetypon publicum,ſeu imago quædam primitiua, omnibus ad imitandum propoſita,omnia in ſe habens bona & honeſta,imitari volentibus quæ in te cunque viderint. Primùm quidẽ *in doctrina*,quod eſt Epiſcopi propriũ & pręcipuũ mun⁹.Dabo vobis paſtores iuxta cor meũ,qui paſcãt vos ſciẽtia & doctrina,Hie.3.eóq; pl⁹ eius,

Sanitas doctrinæ.

Vita exemplũ plus mouet quàm doctrina.

Epiſcopi vita qualis eſſe debeat.

Doctrina, præcipuum Epiſcopi munus.

qui alios habeat sub se coëpiscopos, quibus ipse suos docendo, debet & suos cuique docendi exemplum præbere. Attende tibi & doctrinæ, 1. Tim. 4. vt & quod vtile sit auditoribus doceas, & ea quæ doces quomodo fiant, ostẽdas, alij exemplo tuo sciant quomodo doceãt. Sed & de vita cõmonet, *in integritate*, puritate mentis & corporis, per incorruptionem peccati, per huius enim corruptionem sic anima suam integritatem perdit, vt per membrorum corruptionem, suam corpus, vt integer (ait) spiritus vester, & anima, & corpus, in aduentum Domini seruetur, 1. Thess. 5. Est autem cùm Christianis omnibus, tum maximè prælatis necessaria triplex integritas, sensus per prudentiam, affectus per charitatem, corporis per castitatẽ. Hieronymus sic accipit, vt incorruptio virginitatẽ propriè sonet, Sic enim qui virgines sunt, incorrupti, qui virgines esse desierunt, corrupti vulgò nominantur, dici quoque solet, quæ fuit olim virgo, corrupta est. Vnde existimat Titũ, priusquam carnis opere occuparetur, credentẽ & baptizatum, virginem permansisse, vt in ea formam sui præbeat, moneri. Malunt alij ἀδιαφθορίαν, animi integritatem nullis cupiditatibus corrupti, non ira, non ambitione, non auaritia, non amore laudis humanæ, non muneribus, non acceptione personarum, vel pecuniarum, vt Anselmus, & Hieronymo inscripta Scholia, nec qualibet alia re. Bruno virtutum omnium perfectionem, vt integer sis in bonis,

Integritas prælatorum triplex.

Virgines & corrupti opponuntur.

ſimilitérque alij tuo exemplo ſeruent,incorruptam hanc & perfectam mentis integritatem. *in grauitate*,non geſtus tantum exterioris, aut inceſſus,ſed vt quędam in ſermone moribuſq́; maturitas ſemper appareat,& cęteris exemplo ſit. Doce,inquit Bruno, cum ſeueritate & imperio pontificali. Caſtitatē alij verterunt,quod Græcè eſt σεμνότητα. De quo vocabulo præter ea quę annotauimus, 1. Tim. 3. in Epiſcoporum filiis,diaconis,& diaconiſſis,hic addendū, prima primorum Chriſtianorum Oratoria,ſed monachorum præſertim, σεμνεῖα, vocata, quaſi grauitatis, honeſtatis, & ſanctimoniæ loca ſeu domicilia, in quibus τὰ τοῦ σεμνοῦ βίου μυστήρια μυοῦνται, καὶ τελοῦσι, honeſtè, ſanctè, caſtéque myſteriis imbuebantur,eáque operabantur,ſiue celebrabant,eò nihil inferentes rerum ad corporis vſum neceſſarium, ſed legis tantùm libros,prophetarum oracula,hymnos diuinos, & reliqua huiuſmodi,Citantibus huius voculę, totiúſque vitæ illius ſcriptorem Philonem de vita contemplatiua Euſebio,hiſtor. Eccl.lib. 2. cap. 17. & Nicephoro,cap. 16. quanquam Græcis σέμνος, medium eſt, & in vitio quoque ponitur,ſic enim etiam vocant immodicè graues, & oſtentabundos tum viros tum ſermones. Ariſtophanes Iſocratem irridet, vt σεμνολόγον. Quo magis ferendum hîc Aquinatis ſcholion, Graue duo habere, vnum quod deſcendit, ſic vituperatur Pſal. 4. vſquequò graui corde? alterum quod ſtabile & firmum eſt, ſic dicuntur

σέμνος vocabulum medium.

Graue duplex.

viri graues,& commendantur, qui non facilè mouentur, præſertim à bono, Pſal.34. In populo graui laudabo te, quanquam neutrobi vox Paulo hîc & alibi toties vſurpata. Vtrunque porrò legit Anſelmus,& exponit, in caſtitate, vt exemplo tuo,& qui virgines ſunt integritatem corporis intemerati perpetuò ſeruent: & qui virgines nõ ſunt, vel poſt virginitatis amiſſionem caſtitatis munditiam cuſtodiant. Alioqui qui impudicus eſt, quanlibet diſertus, ſi ad continentiam audiẽtes cohortetur, ſermo eius infirmus eſt, autoritatem non habet: Contrà quamuis ruſticanus ſit, & ad loquendum tardus, ſed caſtus, exemplo ſuo poteſt ad vitæ ſimilitudinem impellere. Et in caſtitate quidem legit Hieronymus, ſed quæ & in cælibatu abſque virginitate intelligi poteſt, vt cùm Timotheo Paulus diceret, forma, ſeu exemplum eſto fidelium, &c. 1. Tim. 4. cum multis virtutibus caſtitatem poſuit, de incorruptione tacuit, niſi fortè caſtitatem accipiamus in mente, incorruptionem in corpore, iuxta id quod alibi de virgine ſcribitur, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, 1. Cor. 7. Admonet idem incorruptionem & pudicitiam & in doctrina & doctrinæ integritate interpretari poſſe, & ſic ſanè Græci legunt, in doctrina integritatem, grauitatem ſiue honeſtatem, incorruptionem, & quæ ſequũtur, præbens ſcilicet. & exponunt, vt non corrupta vel falſa, ſed ſana, integra, incorrupta, vt nihil iuuenile, vel quod inſipientes offendat, ſapientia,

Caſtitatis vis.

Caſtitas in cælibatu abſque virginitate.

ſed à recta ratione profecta, ſed grauia, venerãda, Deo digna, & pro eius dignitate deprõpta. Quanquã enim quod ſpecialiter ſequitur, λόγον ὑγιῆ, proprium habet ſuper doctrinæ inſtitutione præceptum, & nemo docet, niſi qui loquitur, tamen multum refert, quomodo loquaris, Non tanquam (habent græca ſcholia) princeps aliquis cum tributariis aut ſubditis diſſerens, ſed blandè, leniter, familiariter, velut cum filiis. Hilarius lib. 8. de Trinitate, legit docentem cum veneratione *verbum ſanum*, hactenus formæ laudabilium operum, porrò autem etiam dicit quínam ſint fines rectæ doctrinæ, vt nullum habeat errorum, vt ſuprà aut vitiorum languorem, ſed omnium dogmatum ſanitatem nulla falſitate corruptam, nullius adulationis acceſſione languentem, nihil infidelitatis admixtum habentem, rectam breuiter & orthodoxam doctrinam. *Et irreprehenſibile*, quod & ſic ſonare poteſt, Quod contemni non poſſit, hoc eſt, cum autoritate doceat, ac multo minus damnari. Vt ſermo (inquit) tuæ prædicationis, vel etiam communis locutionis, non poſſit ab vllo reprehendi: ſic omnia ſuo tempore & cum decentia proferas, Alioqui ex ore fatui ſeu ſtulti parabola (ſententia pronũciata) reprobatur (repudiatur, gratiam amittit, diſplicet) non enim dicit eam tempore ſuo, Eccli. 20. non quòd vllus tantæ facundiæ ſit aut prudentiæ, vt à nemine reprehendatur, reprehenduntur quippe & Apoſtoli

Irreprehenſibile quid dicatur.

& Euangelistæ ab hæreticis & gentilibus, sed quòd nihil reprehensione dignum dicat aut faciat, nec vnde aliqua reprehensionis capi possit occasio. vel vt legit Hieronymus, *in verbo sano & irreprehensibili* præbe te exemplum fidelibus, & hoc ita fac, *vt is qui ex aduerso est*, Ambrosio, è diuerso est, profanus & inimicus fidei, qui repugnat, aduersarius, Hieronymo & Græcis, diabolus, accusator fratrum nostrorum, Apoc. 12. & quisquis ei subseruit ac ministrat, calumniator calumniari, criminator criminari, sit licet ad hæc omnia paratus, infidelis, hæreticus, aut alioqui liuidus & insidiator, qui tibi possit contradicere, si quid in te tale notauerit, dentem nobis erubescat iniicere, videns quæ verbis docemus, nos vera factis esse probare, *vereatur*, Hieronymo, Hilario, Ambrosio, reuereatur, pudefiat, moueatur, confundatur, *nihil habens dicere malum de nobis*, nihil potens dicere, vel nihil habens quod dicat, nam ἔχειν cum infinitiuo posse Græcis significat: nihil ergò mali & reprehensione dignum in nobis inueniens, vita ac doctrinæ nostræ sanitate perterritus, accusare non audeat, & nihil verisimile in accusatione confingere, oderit licet in portis arguentes, & sanctum alioqui sermonem abominetur. Cum enim & vita claruerit, & sermo vitæ fuerit conueniens, placidus, mansuetus, & modestus, magna & ineffabilis erit huius ministerij vis & vtilitas, cùm prędicationis inquã, ex ore verbum non qualecunque personat, sed probatum

probatum,quod nulla ex parte vel volentibus maledicendi anſam præbeat.Id verò fit,cum & quæ dicuntur, veritate nituntur,& quæ fiunt, eis quę dicuntur,conſentiunt,tunc maledicorũ ora obſtruuntur. Hic eſt finis doctrinæ Chriſtianæ.Talis eſt quiſquis ornatur ſpirituali gratia, & ſic eſt Dei voluntas, vt bene facientes, obmuteſcere faciatis imprudentium hominũ ignorantiam,hoc eſt,ſtultis hominibus os obturetis,1.Petr.2.& nullam demus aduerſario maledicendi occaſionem,1.Tim.5.Quæ autem hic veluti gratulatur temporibus ſuis Hieronymus,in noſtris partim dicere,partim deſiderare cogimur,hodiéque reuera videri nonnullos in Eccleſiis,quanquam raros, tantæ grauitatis & continentię,vt etiam ab aduerſariis teſtimonium habeãt,&dicatur,Vir magnus eſt,& ſanctæ conuerſationis, probiſque moribus, niſi eſſet hæreticus:quod præcauens Apoſtolus,ait, vt auferam,ſiue amputem occaſionem, his qui volunt occaſionem,2.Cor.11.Nemo enim tam immoderatæ impudentiæ,vt ſolis radios poſſit accuſare tenebroſos,& clarum lumen caligine noctis effundere.Quid autem ſi bonum malè, malum bene audire contingat, quantum item & quouſque profanorum teſtimonium ſacris hominibus aut ſacrandis vel obeſſe, vel prodeſſe poſſit acdebeat,diximus pro virili,1.Tim. 3.Huncporrò locum ſic legit & illuſtrat D. Hilarius vbi paulò antè, Titum Paulus, ad quem ei ſermo erat, iſtiuſmodi decreto con-

Doctrina Chriſtiana finis.

summandæ religionis instruxit, *In omnibus teipsum bonorum factorum præbens exemplum, docentem cum veneratione verbum sanum & irreprehensibile, vt aduersarius reuereatur, nihil habens turpe, aut malum de nobis dicere.* Non ignorauit doctor hic gentium, & ex conscientia loquentis atque habitantis in se Christi (2. Cor. 13.) Ecclesiæ magister electus, morbidi eloquij grassatura esse contagia, & aduersum sanitatem verborum fidelium desæuituram doctrinæ pestiferæ corruptionem, quæ impiæ intelligentiæ suæ virus vsque ad ipsam sedem animæ demergēs, profundo serperet malo. Ex his enim ait, quorum sermo vt cancer serpit, 2. Tim. 2. latenti semper subrepentíque contagio sanitatem persuasæ (aliàs persuasæ) mentis inficiens, ob quod sani sermonis in Episcopo voluit esse doctrinam, Fidei conscientiam, & exhortationum scientiam, aduersum impias & mendaces, & væsanas contradictiones obnitentem, quarum mendaciis renitendum & contradicendū, suprà, cap. 1. Porrò quod in huius periodi principio Titum, & in Tito Episcopos, suo vnūquenque gregi velut prælucere, formam ac exemplū esse, & suos dictis ac factis informare præcipit, Iure sanè quidē suo id præcipit, quod prior ipse fecerit, Phil. 3. Imitatores mei estote fratres, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam NOS. 2. Thess. 2. vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum NOS. Et coapostolus eius hortatur coëpiscopos, vt

fiant forma gregis, 1. Pet. 5. seu fidelibus bene ac rectè viuendi exemplaria. Greges autem & fideles noster hic vt pastorum cōuersationem & exitum intuentes ac considerantes, fidem, & Dei quod illi verbum locuti sunt, imitentur, Hebr. 13. 6. eorum denique imitatores sint, qui fide ac patientia promissiones hæreditabunt. Quantùm autem homines hominum exemplis accendantur, & si exemplorum plena sunt omnia, pauca nunc satis sint Augustini, li. 8. de Trinit. cap. 9. Quid est (ait) quæso, quòd exardescimus, cum audimus & legimus, nullam in quoquam dantes offensionem, vt non reprehendatur ministerium nostrum, sed in nobis commendantes nosmetipsos, vt Dei ministros, in multa patientia, in laboribus, &c. quæ sequuntur, 2. Cor. 6. 11. Quid est inquam, quòd accendimur in dilectionem Pauli, cùm hæc legimus, nisi quòd credimus eum ita vixisse? Viuendum autem sic Dei ministris, non de aliquibus auditum credimus, sed intus apud nos, vel potius supra nos, in ipsa veritate conspicimus. Quem ergò sic vixisse credimus, ex hoc quod videmus, diligimus, Et nisi hanc formam quam semper stabilem & incommutabilem cernimus, præcipuè diligeremus, non ideo diligeremus eum, quia eius vitam, cum in carne viueret, huic formæ coaptatam, & congruentem fuisse fide retinemus. Sed nescio quomodo amplius & in ipsius formę charitatē excitamur, per fidem, qua credimus vixisse

Exēpla quā moueant.

ſic aliquem,& ſpem,qua nos quoque ita poſſe viuere,qui homines ſumus, ex eo quòd aliqui homines ita vixerunt,minimè deſperamus, vt hoc & deſideremus ardentius,& fidentius precemur.Ita & hominum vitam facit à nobis diligi formæ illius dilectio, ſecundum quam vixiſſe creduntur,& illorum vita credita, in eandem formam flagrantiorem excitat charitatẽ. En quàm hominis exemplum non præſentis tantum,ſed abſentis,ac nè viui quidem, ſed & vita functi,hoc eſt,auditum modò,non etiam viſum,efficax tamen ſit etiam ad imitandum, nedum,ad diligendum. Sed adhuc propius literā hanc & rem, eſt quod ad Heliodorū Epiſcopum in epitaphio Nepotiani ſcribit Hieronymus,In te(inquiens)omnium oculi diriguntur,domus tua & conuerſatio quaſi in ſpecula cōſtituta,magiſtra eſt publicæ diſciplinæ,quicquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant, Caue nè committas,quod aut qui reprehendere volunt, dignè laceraſſe videantur, aut qui imitari,cogantur delinquere. Quo etiam hæc accommodantur, ſecundum iudicem, ſic & miniſtri eius,& qualis rector ciuitatis,tales habitantes in ea,Ecclī.10. Et erit ſicut ſacerdos, ſic populus,Oſe.4.Eſa.24. Quibus conueniūt, quæ de Regum,parentum,principúmque exēplis cecinerunt poëtę. Suo enim modo Epiſcopi,Reges,principes ſunt & parentes,

Hominis etiā defuncti exēplum quàm efficax.

In commune iubes ſi quid,cenſéſque tenendum,
Primus iuſſa ſubi,tunc obſeruantior æqui

Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Autorem parêre sibi: Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
Humanos Edicta valent, quàm vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum.
Vtque ducum lituos, sic mores castra sequuntur, ait Claudianus de quarto cõsulatu Honorij Augusti, & in Stiliconis laudes li.1. Dici quoque potest Episcopo quod ad Liuiam ab altero poëta scriptum est,

Ad te oculos auresque trahis, tua facta notamus,
Nec vox missa potest principis ore, tegi.
An melius per te virtutum exempla petemus,
Quàm si Romanæ principis edis opus? Et 6. Fast.
Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cùm iudex alios quod monet, ipse facit.

Et Iuuenalis 14. Satyra,

Sic natura iubet, velocius & citius nos
Corrumpunt vitiorum exempla domestica, magnis
Cùm subeunt animos autoribus,
Quoniam dociles imitandis
Turpibus, & prauis omnes sumus.
Nam si quid dignum censoris fecerit ira,
Quandoquidem similem tibi se, non corpore tantùm,
Nec vultu dederit, morum quoque filius, & cùm
Omnia deterius tua per vestigia peccet,
Corripies? clamore & castigabis acerbo?
Vnde tibi frontem, libertatémque parentis,
Cùm facias peiora senex?
Si damnosa senem iuuat alea, ludit & infans
Bullatus, paruóque eadem mouet arma fritillo, &c.

Origenis laus.

Sed omissis alienis nostra repetamus. Inter ea quæ nimius alioqui forsan in laudibus Origenis scribit Eusebius Cæsariensis, ad vim & in suadendo efficaciam exempli, siue vitæ cum doctrina iunctæ, spectat, quod & Eusebium secuti quidam renarrãt, non multitudinem modò per eum ad Christi fidẽ accessisse, sed & ad eius scholam gentiles, Philosophos, adeóque hæreticos ventitasse, atque ex eiusdem ludo profectos esse multos vtriusque sexus martyres, sectatores ipsius & discipulos. Obtinebat autem hæc, quia non verbi tantum doctrina, sed & operis exemplo docebat, & auditores ad eum vndique confluebant, & confluentes, ad Christum conuertebantur, per hoc quod geri ab eo videbant, quæ docebantur: prorsus enim orationi vita congruens respondebat, & de eo (sicut aiunt) dicebatur, HIC EST, qui quale verbum, talem habet & vitam, & qualem vitã, tale habet & verbum, cuiusque qualis est doctrina, tales etiam sunt mores: quales item mores, talis est quoque doctrina: quoniam & quæ docet, agit, & quæ agit, hæc eadem docet, noctu, diu, publicè, priuatim. In vigiliis & ieiuniis penè iugibus, abstinentia plurima, continentia fortè nimia, adeo nulla obtrectationis, aut sinistræ alioqui suspicionis occasione aduersariis relicta, vt & apud infideles atque philosophos magnum nomen eius, & ingens esset gloria: quando & Porphyrius Christi fidelium insectator, cum vti Christianum crimi-

natus, vt philosophicè, Christianè, & legitimè ex instituto professionis suæ viuentem, etiam contra eum scribens admiratur, Histor. Eccl. lib. 6. cap. 3. 4. 5. 15. Nicephor. lib. 5. cap. 4. 5. 6. 7. 12. 13. Haymo de Christianarum rerum memoria lib. 6. cap. 3.

Senes vt sobrij sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia.

PROPOSITAM in generali doctrinam distinguit per partes & species, & singulas hominum conditiones, ætates, omnes status & gradus instruit: liberos primùm, deinde seruos, senes & iuuenes, mares & fœminas, Sic quid omnes & singulos deceat, quæ quibus apta sint, & conueniunt, decenter præcepta constituit, vt sermo eius, vitæ morũque sit regula. Tu ergò, ætate licet iuuenis, loquere tamen senibus, *senes*, Ambrosio seniores, quos Scholia Hieronymo inscripta intelligi posse tum ætate, tum ordine adnotant, Ecclesiæ præcipuè seniores, siue consiliarios, siue ministros sacros, quibus primùm quam omnibus deinde formam præbeant, eam doctor Ecclesiæ constitutus, prior præbeat necesse est: quanquam hîc, vt 1. Timoth. 5. malo cum Græcis de senectute, non

dignitate agi,& πρεσβύτας natu grãdes exponere, quos enim ſeniores dicere ſolemus, Græcis πρέσβεις, & ſenes, γέροντας. nam ſenex apud eos γέρων, dicitur, non πρεσβύτης, grandioris etiam ætatis,& plenum dierum poſſe dici ſeniorem, hoc eſt,Preſbyterũ.Hinc intelligi poteſt, quia hoc Abraham appellatus eſt, quando mortuus eſt,Proindè omnis ſenex etiam Preſbyter, nõ omnis Preſbyter etiam ſenex, quia plerunque hoc eſt nomen ætatis, quæ infra ſenectutẽ ſenectuti vicina eſt,& ex hoc etiam à ſenectute nomen accepit,ſed & Græcis maximè in ſcriptura πρεσβύτερος & νεώτερος dicuntur,etiã ſi ætates iuuenũ cõparẽtur,quos dicim' maiorẽ & minorẽ.Hęc Auguſtinus variis in locis,De Geneſi contra Manichæos,lib.1.cap.23.locutionum ſuper geneſim,cap.70.In Pſal.104.*vt ſobrij ſint*, vel ſobrios eſſe,vel hortare ſupple,vel oportet, vt ſubaudiunt ſcholia Gręca.Sunt bona quędã, ad quæ ſenectus diſponit, vt voluptatum contemptus,& corporalium delectationum, quæ præcipuè cõſiſtũt in cibo,potu,venere,ad quas ſenilia corpora,nõ vt iuuenilia, deferueſcente nimirũ naturæ calore,excitantur.

Berzellai pulchrum exemplum.

Sic Berzellai octogenarius,iuſſus,vel magis rogat' à Dauide aulam ſequi,ſecurè ibi & quietè cum eo alendus, reſpondit, nunquid vigent ſenſus mei ad diſcernendum ſuaue & amarũ?aut me delectare poteſt cibus & potus?aut vltrà poſſum cantorũ cantatricũmque voces audire? Reuertar obſecro,domũ meã,&c.2.Re.19.Prętulit ergò

Berzellaus rem domesticam regio conuictui, negans senem se Regiæ voluptatibus frui posse,& per ætatem, vllam è cibo potuvè capere voluptatem, aures magis ad tibiarum, reliquorúmque, quibus aulici se solent oblectare, instrumentorum sonos habere obturatas, rogare proinde, sibi cum bona Regis gratia liceat suo more domi viuere, Ioseph.lib.7. Antiquit. cap.10. Pudeat huius exemplo retorridos & decrepitos aulicos,& quidem, si Deo placet, monachos & episcopos. Sobrios ergò Latini, non temulentos, vino nō deditos, sed in cibo atque potu temperatos, hic exponunt, ne iunioribus exemplum præbeant ebrietatis: aut etiam vigilantes, νηφαλίους, quòd hæc vox vtrunque Græcis significat, hic contrà obseruantibus, senectutem, præterquam quòd ipsa morbus est, quosdam habere morbos,& vitia sequi propria, quibus iuuenta careat, vel certè non ita sit obnoxia, tarditatem, segnitiem, obliuionem profundam, sensuum obtusionem, iracundiā. hoc igitur corrigit,& quòd tardi ferè sint & somniculosi, vigilare iubet, vt attenti, vigiles, prompti sint, admonet, quæ in ea ætate fieri vix patiantur, *pudicis*,& ad pudicitiam quoque senium disponit, postquam (ait Sara) consenui,& Dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Gene.18. σεμνούς, Ambrosius graues, Hieronymus honestos vertit, hoc est, seueros,& honestatem præ se ferentes, vt ætatis grauitatē morum grauitas decoret, quod è contrario ferè

Domestica vita.

Aulica vita.

Senectutis vitia.

Senum grauitas.

dum ineptiant,& repuerascant,*prudentes*,in respuendis cauendísque malis,& in eligendis atque faciendis bonis,vt cum solerti discretione faciāt omnia,vt nouerint docere iuniores.Sed & ad hanc virtutem disponit hæc ætas,ob longi temporis experientiā,in antiquis est sapientia,in multo tempore prudentia,Iob.12.Eccli. 25.Quàm speciosa veteranis sapientia,gloriosus intellectus,& consilium,corona senū multa peritia.Quin &in Plauti Trinummo,Sapiētiæ ætas condimentum est. At Græci σώφρονας, modestos & moderatos interpretātur,ob animi moderationē,quibus σωφροσύνη,quasi σαοφροσύνη , hoc est, φρενῶν σωτηρία, dicitur præcordiorum vel mentis sanitas, παρὰ τὸ σώας ἔχειν τὰς φρένας , vt sanos & incolumes animos habeant,cùm contrà quidā id ætatis sint,qui immoderatius excandescant,& tantum non insaniant,alij vino,alij mentis imbecillitate. Nam in senibus temperantiam à lasciuia aut libidine requirere,fortè superfluat, quod hanc eos in confesso sit habere.Suo contrà more Hieronymus pudicos hic vertit, & nè videatur absurdè senibus præcipi pudicitia,addit,nè in aliena ætate luxurient, & iam frigido ad libidinem sanguine, exemplo sint adolescētibus ad ruinam. Sic in Sedulij fragmentis,Sobrij,nō luxuriosi, pudici,nō libidinosi. Lyrano sobrij & honesti sunt in omnibus actib⁹ moderati, quod exigit ætatis maturitas.pudici,casti,quia contrarium in eis valde detestabile, vt in quibus frigescat

Pudicitia ab surdè senibus præcipiatur.

calor naturalis: prudentes in agibilibus, quod & in iis diuturno experimento acquisitum esse debet. Hæc ergò tria quatuorvè senectæ côueniunt. Sed si ad ea hæc ætas disponit, quare ad eadem monet Apostolus? Respódet Aquinas, interim ex magna peruersitate cõrigere, vt senex ad pucrilia peccata reducatur, & puer fiat, cẽtenarius licet sit, Esa. 65. Sensu nimirũ paruulus, nó malitia, 1. Cor. 14. idque duplici ex ratione côtingit, aliter enim ad hæc iuuenis, aliter senex mouetur, ille ex passionis impetu, hic electione. Idque rursum propter duo, nemo enim delectari non appetit, & tantò plus, quãtò grauiores sentit molestias, patiuntur autem multa senes incommoda, multos naturæ defectus,

Circunsilit agmine facto
Morborum omne genus,
Subeunt morbi, tristisque senectus. & huiusmodi poëtica, vt rectè dixerit philosophus morbũ esse aduentitiam senectutem: Senectutem morbum naturalẽ, de Generatione animaliũ, lib. 5. cap. 4. Qui ergò non habẽt spirituales delectationes, corporeas vt plurimum quęrunt. Sed & senes, quia huiusmodi & multa experti, plerũque inuerecundi, minus certè quàm iuuenes, verecundi, ideóque minus quàm hi pudore naturali refrenantur, & fit vt prorsus alij quàm quos hic requirit Apostolus, euadant, ebriosi, minus graues, impudici, imprudẽtes, de qualibus scripturæ locos indicauimus, 1. Tim. 4. & 5. Ex tribus hominum generibus, quæ se odisse

Senectus ipsa morbus.

dicit Sapiēs, tertio loco reponit, ſenem fatuum & inſenſatum, Ecclī.25. Infatuantur autem ſenes ex duobus, cùm enim prudētia, vt reliqua, exercendo acquiratur, & excolendo augeſcat, qui ſe in iuuentute honeſtis ſtudiis non occupant, nihil mirum ſi in ſenectute ſtulteſcant. Quæ (ait vbi ſuprà, Syrachus) iuuenis non cōgeſſiſti, ea quomodo ſenex inuenies? Eſt & alia ratio, quia luxu interim & voluptate diffluunt, & iis ſuperfluo cibo, potu, venere, cerebrū ſiccatur: Vino autem quiſquis oblectatur, & ſiceram ceu temetum amat, id eſt, ebrietatem, non erit ſapiens, ait alter, Prou.20. hinc vbi antè apud Eccleſiaſticum, pro fatuo & inſenſato verterunt alii adulterum μοιχὸν, & mentis impotem, ſiue mēte captum. Et verò ea ætate, quod & prædiximus, libidinis ardor naturalis minui deberet ac extingui, mentis contrà vigor augeri, vſúque rerum & prudentia confirmari, vt monſtrum quoddam eſſe videatur ſenex imperitus & impudicus, cúnque omni ætate fœda ſit libido, tum ſenectæ multò fœdiſſima, 1. Officiorum. Et libellus de XII. abuſionum gradibus, cuius tandem cunque ſit, ſecundum facit, ſenem ſine religione, talem ſcilicet in hominibus, qualem in lignis arborem, poſt flores cultori ſuo fructus non exhibentem, multíſque morbis quaſi corporis domum iamiam ruituram prænunciantibus, de futuræ vitę aditu propere comprehendendo minus cogitantē. Cauēdas igitur duas ei particulas, quæ in eius car-

Senum infatuatio ex duobus.

Senis imperiti & impudici probrum.

ne non veterascunt,& hominem totum secum ad peccandum trahunt,Cor videlicet,quod nouas semper cogitationes machinari non desinit,&linguam,quæ impigrè quicquid cor senserit machinari, loquitur. Neu hæc totam eius harmoniam decipiant, & per res ineptas reliquam corporis illudant grauitatem. Considerandum quid eminenti dignum ætate sit, nè quid agat,quod eam,vitámque totam vilẽ red dat.Sed redeamus ad Paulum, Denique senes iubet esse sanos, quòd & insaniat senum vulgus,

Et quod sit sapiens, desipit ipse magis, ait de sene Cornelius Gallus.Sed *sanos in fide*,vt hanc integram,& nullius erroris admixtione,nullo infidelitatis vel perfidiæ languore infirmam habeant,& primùm fidei habentes sanitatem,audiãt à Saluatore, Fides tua te saluam fecit,fide facti Abrahæ filij,fide iusti,fide quisque sua viui,& iuxta fidem mortui,Qualis alibi enumeratur fidelium vtriusque sexus, etiam in lege, Sanctorum catalogus, Heb.11. vt & in eadem fide valeamus,atque syncerè credamus.Et hoc quoque, vt superiora senibus plerunque difficilia,nè dicam contraria, quorum quòd aliqui non sint fide sani, maximè si quod eis nouum credendum proponitur, quod contingere ex duob⁹ hic philosophatur Aquinas.Senes enim in aliquo, præsertim nouo faciles non esse solent,multò minus firmi,propter sapiẽtiæ præsumptionem. Hinc B.Iobo dicenti, quòd Do-

Fidei cõmendatio.

minus ſenum doctrinam & conſilium auferat, reſpondet Eliphaz Themanites, Quid noſti, quod ignoremus? quid intelligis, quod neſciamus? Et ſenes & antiqui ſunt nobis, multò vetuſtiores quàm patres tui, Iob.12.15. Et ideo nō facilè credunt aliis, pudétque quod Flaccus ait, *Quæ iuuenes didicere, ſenes perdenda fateri.*

Senum incredulitas. Naturale item ſenum vitium eſt, incredulos eſſe, quia experti ſunt ſe ſæpius eſſe deceptos. Ideóque loquuntur vt plurimum, cum [fortè] vel [ferè] aduerbiis temperatiui & dubitatiui modi. Incredulitas autem, fidei repugnat, iuxta illud Eſa.21. Qui incredul⁹ eſt, infideliter agit, & Ioan.20. Noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Eſt autem ſanitas vt fidei, de qua toties dixim⁹, ſic

Sanitas charitatis. & charitatis, de qua ſequitur, *in dilectione*, Dei ſupra ſe, & ex toto ſe, & proximi, vt ſuiipſius, ſic enim eam diuidit, & cum Domino partitur, Matt.22. Marc.12. qui eius ſanitatem poſſidet, ſicut domeſticos, ſic & alios omnes diligit, Matt.5. Luc.6. etiam inimicos. In Deum ergò atque proximum charitate ſenes reſplendeant, vt quæ forma ſit fidei, Iac. 2. legis plenitudo, Rom.13. Gal. 5. & ad id monet propter duo, quòd in ſenibus contrà parum, vt plurimum ſit, amicitiæ, hæc enim cōuictu nutritur, nemo autem, vel certè ratus, conuiuere velit cum ſenibus, quia triſtibus,

Oderunt hilarem triſtes, triſtémque iocoſi, ait Horatius, lib.1. Epiſtolarum ad Lollium. At verò, *Lætitia iuuenem, frons decet triſtis ſenem*, Seneca in

Hippolyto. Ideo non diuturna cum eis amicitia,vt qui etiam propter vtilitatem diligant,indigent enim ſuſtẽtatione,& quod ait apud Ciceronem Cato, exacto itinere viaticũ quærũt. Iuuenes è contrario,propter oblectationẽ.Sic Aquinas.Eſt autem fidei &charitatisvt ſanitas, ſic & infirmitas,& vt ita dicam,modicitas,vnde toties Dominus,quid timidi eſtis? quid dubitaſti? quid cogitatis inter vos modicæ fidei? Matt. 6.8.14.16. & de extremis temporibus, Luc.18.Filius hominis veniens,putas inueniet fidem in terra?Sed & ſæpe Paulus admonet infirmos in fide atque conſcientia,à firmioribus ſuſcipiendos,ſupportandos,& lucrifaciendos, Rom.14.15.1, Cor.8.9.1.Theſſ.5. Sumit & de ſcripturis exemplum Hieronymus,eorum qui in charitatis infirmitate ſunt,Cùm multiplicata fuerit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum,Matt.14.ea quippe calida eſt in his qui feruent ſpiritu,friget in aliis atque languet,& glacialis eſt,& gelida. Timendum ergò ne quando hac charitatis infirmitate ſuperemini, &c. Reliquum Hieronymianæ monitionis in Adoleſcentulis mox videro. Poſtrema ſenibus commendatur ſanitas *in Patientia*, Rectè ſanè, ea quippe ſenibus congruit vel maximè,Siquidem ſenectutem minimè decet impatientia, vel iracundia.Commodiſſimum ergò eis præceptũ, vt nullo impatiẽtiæ vel murmurationis lãguore infirmẽtur,vt nõ frãgãtur aduerſis,glorientur magis & gaudeant in tribulationibus,

Infirmitas fidei & charitatis.

Patientia ſenibus cõgruit vel maximè.

Rom.5. Iac. 1. forti ferant excelsóque animo, quæ à veritatis hostibus inferuntur, molestias & tentationes. Mirum tamen quàm facilè excandescant, & leui de causa cōtristentur, ac deiiciātur, Si tamen id mirum, primùm quidem, quia *Multa senem circumueniũt incommoda*, quod ait in Arte Flaccus, difficilis, querulus, &c. Memores item sunt bonorum & commodorum, quibus iuuenes clarebant, senes carent,

Memoria senum, quæ.

Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus, ait in tristibus senex Naso. Et in triplici Lacedæmoniorum choro, quem τριχορίαν vocabant, iuxta triplex ætatum discrimen, senum in primo ordine siue serie, hæc erat cantio,

Lacedæmoniorum τριχορία.

Nos fuimus olim strennui Iuuenculi, Plutarchus in eorum institutis antiquis, & in libello, Quo pacto laudare se quispiam possit. Miserum istuc verbum, & pessimum, *Habuisse*, Plautus in Rudentibus. Terentius in Sene se excruciante. Sed & contingit eos à iunioribus & inferioribus despici, Nunc me (Iob aiebat cap.30.) derident iuniores, quorum patres non dignabar ponere cum canibus meis. Postremò, quò magis fini propinquant, hoc plus desiderant viuere, & nemo tam senex, qui nō putet, aut etiam speret annum superesse se posse, ait qui & vbi antè, Cato. Quin Herodes ille, decrepitus licet apud Iosephum, lib.1. de bello Iudaico, cap.17. neque senex (aiebat) adeo sum, vt de me citò desperetur, nec voluptatibus assuetus, quæ adolescentium vitam spatio breuiore concludunt.

Senum contemptus.

Senum spes.

Herodis senis dictum.

Diuini-

Diuinitatem verò ſic colimus, vt in longum nos æuum progreſſuros eſſe credamus. Et hæc dicit tyrannus crudeliſſimus, IX. vxorum vir. Quantò melius apud Clementem lib.10. Recognitionum, Petrus, Incertum eſt etiam iuuenibus vitæ tempus, ſenibus iam nec incertum, non enim dubium, quin quantuncunque eſt quod putatur ſupereſſe, breue ſit. Ideóque vtróſque oportet eſſe de conuerſione & pœnitẽtia valde ſolicitos, &c. Ex hoc fortè loco Marcella vidua iunior Cereali longęuo proco manus danti, poſſe & ſenes diu viuere, & iuuenes citò mori, eleganter luſit, Iuuenis quidem poteſt citò mori, ſenex diu viuere nõ poteſt, Scribit in eius Epitaphio Hieronymus, imò verò

Venturæ memores iam nunc eſtote ſenectæ,

Sic nullum vobis tempus abibit iners. ait in re multò alia poëta de Arte. Sentiẽtes ergò ſe ſenes deficere, triſtantur. Patientia igitur, cũ omnibus Chriſti fidelibus, tum ſenibus in primis neceſſaria, Hebr.10. Et in hac ſanus quoque ſit oportet, qui in fide & charitate ſanus eſt, nihil enim prodeſt ſuperiora habere, niſi omnes diuitiæ & mercimonia, quibus onuſta noſtra nauis eſt, in tempeſtate ſeruentur, & perflantibus hinc inde ventis, abſque naufragio, quæ benè parta ſunt, liberentur. Qui enim perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit, Matt.10.24. Et verò qui charitatis ſanitatem habet, non æmulatur, non inflatur, non irritatur, ſiue ad iracundiam concitatur, malum non cogitat, *Charitatis ſanitas.*

omnia credit, sperat, & sustinet, 1. Cor. 13. Qui sint ergò sanę doctrinæ, Paulus hactenus ostẽdit, vt minus sobrios, minus graues, infideles, sine charitate, impatientes, insanæ doctrinæ discipulos significaret, his enim operibus nescitur Deus, neque iustitia eius. Sic Ambrosius, apud quem in textu deest præpositio IN.

Digreßio quarta.

Senes, seniores & presbyteri vt accipiantur.

Hæc satis ad literam. Senum porrò, seniorum, & presbyterorum non vna est in sacris literis acceptio, Est vbi ad ætatem, vbi ad sapientiam, vbi ad autoritatem hæc vocabula referũtur. Quorum locorum, quia numerosi admodum sunt, obseruationem simul & distinctionem petat lector ex Benedictinis Concordantiis. Hic autem vocantur non grandæui tãtum, sed & iudices siue magistratus, & doctores, & primariæ alioqui autoritatis homines, nimirũ quòd hæc non nisi natu iam magnis, vt debentur, sic deferebantur, etiam apud infideles multò pòst Romanos, de quibus Fastorum 5.

Non nisi post annos potuit tunc curia seros.
Nomen & ætatis mite senatus habet.

Seniores.

Quales selegit Dominus de senibus Israël lxx. seniores, quibus partitus est Moses in ea regenda republica, onus & spiritum, Exod. 24. Numer. 11. Ante quorum etiam delectum regebantur illi à senioribus, Exod. 3. 4. 12. 17. 18. pro quo significatu Latinus interpres

reliquit vocem Græcam passim in libro Iudith 6. 8. 10. 13. 15. Esd. 6. Bar. 1. Dan. 13. fit crebra in vtroque testamento, cum sacerdotibus & principibus eius populi, senum & seniorum mentio, qui cum eis regerent & iudicarent, aut eis à consiliis essent, Qui sedebant in portis, vbi tum exercebatur Iurisdictio, Deut. 21. 22. vnde propheta quæritur senes defecisse de portis, Thren. 5. Et in ordinatione custodum domus Domini siue templi, 1. Paral. 26. Missæ sunt sortes per familias in vnanquanque portarum, ad portam autem australem erat seniorum concilium, quorum assidentium consilij & iudicij meminit, 1. Esdr. 10. & 3. Esdr. 9. Est etiam crebra in Euangeliis & Actis Apostolicis, seniorum cum sacerdotibus, sacerdotúmque principibus, & templi magistratibus conuenientium, & consilia ineuntium memoria. Cum Scribis item & Pharisæis Seniorum, hoc est, legis doctorum, & scripturæ interpretum aduersus Christum tentationes & traditiones, de quibus suprà, cap. 1. Fuisse autem suos vt synagogæ veteri, ita nouæ siue primitiuæ Ecclesiæ, Seniores, non tantũ episcopos & presbyteros, sine quorum cõsilio nihil ageretur in Ecclesia, diximus ex Ambrosio, 1. Tim. 5. & iam tum obsoleuisse, doctorum fortè negligentia, aut etiam superbia, dum sibi volunt aliquid videri. De quibus Lucas, Act. 11. 15. 21. Horum cum pastoribus & doctoribus erãt exhortationes, castigationes,

censuræ, reliquáque Ecclesiæ disciplina, vt testatur in Apologetico cap.39. Tertullianus ita, Præsident probati quique seniores, honorem istum testimonio adepti, non pretio, &c. Horum item erat officiũ, pauperibus prospicere, lites dirimere, &c. Orphanis, ait ad eos Petrus apud Clementem epistola 1. exhibete vos patres, Viduis virorum curam impendite, cum omni castitate quæ necessaria sunt, præbentes. Ignorantibus artificia, exquirite honestas, quibus victum quærant, occasiones, artificibus operam prouidete, debilibus misericordiam facite, & cætera quæ suprà, cap.1. in hospitali presbytero diximus, & quod citatur 11.q.1. cũ aliquot similis argumenti, ca. Si qui ex fratribus negotia habent inter se, apud cognitores seculi non iudicentur, sed apud presbyteros Ecclesiæ, quicquid illud est, dirimatur, & omnimodò eorum statutis obediant, pondera, mensuras, stateras pro locis quibusque æquissima custodite, deposita fideliter restituite. Hęc inquã, vel horum certè bonam partem procurare magis spectat ad seniores Ecclesiæ laicos, quàm ad clericos, verbi nimirum diuini, & sacramentorum ministros, etiamsi Petrus hanc ad presbyteros doctrinã, nullo medio post eam quæ ad episcopos, & ante eam quę ad diaconos pertinet, tradidit. Seniorum autem vt præcipua erat erga pauperes cura, tantùm, inquit Paulus, vti pauperum memores essemus, Gal.2. & facta tum fame magna, Christiani habitantibus

Seniorum officium.

in Iudæa fratribus ſubſidiũ ſinguli, prout quiſque habebat, ad Seniores miſerunt, Act. 11. pauperibus indubiè, prout opus habebant, per eos diſtribuendum. Ita præcipua tunc erga ſenes erat reuerẽtia, quod & attigimus, 1. Tim. 5. De his extat canon 83. Concilij Carthaginenſis 4. Pauperes & ſenes Eccleſiæ plus cæteris honorandi ſunt. Quidni, cum & apud profanos, vt canit Faſtorum 5. Ouidius, *Senum reuerentia.*

Magna fuit capitis quondam reuerentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Et Satyra 13. Iuuenalis,

Credebant hoc grande nefas, & morte piandum,
Si iuuenis vetulo non aſſurrexerat, & ſi
Barbato cuicunque puer.
Tam venerabile erat præcedere quattuor annis.

Senũ quoque apud Lacedæmonios honor locum fecit prouerbio, vbi tam honeſtum ſenectutis domicilium, vt in ſola Sparta ſeneſcere expediret, autores, in Laconicis Plutarchus, Ciceronis Cato, Valerius de verecundia, Iuſtinus lib. 3. Quò magis contra naturam in Iulide Co inſulæ vrbe lex ſexagenariis mortis indicens certamen, ex Stephano, Leonica hiſtoria, lib. 3. cap. 37. lib. 4. cap. 1. Strabo. lib. 10. 11. Herodot. lib. 3. &c. In Ceo lex vel conſuetudo, voluntario eis aconito vitam finiens, ne reliqui cibariis deficerentur, citat ex Menãdro Cœlius lib. 18. cap. 26. 28. & Euſeb. præparat. lib. 1. cap. 3. Maſſagetarum ritus adhuc horribilior eos fruſtillatim diſſectos cum aliis carnibus mixtim *Senectutis honor apud Lacedæmonios.* *Contra ſexagenarios dura lex.*

vorantium, & immolatis, quos plurimum dilexerant, propinquos & affines epulantium. Bactrianorum canibus ideo sepulcralibus appellatis obiectantium, Caspiorum item suos canibus, Hircanorum, auibus proiicere, Tibarenorum pręcipitare solitorum, lib. 19. cap. 26. Sardorum lethaliter fustibus cæsos contumulantium, lib. 28. cap. 22. Erulorum lignea strue ingenti surrecta necantium. Quibus addit Alexander in Genialib. lib. 3. cap. 2. senescētes Derbyces viros hostiarum more immolari, mulieres pręfocari, Hyperboreos ex rupe præcipitari, Caspios fame ac siti enecari, vel in deserta exponi, Thraces & Indos volētes, vri, alibi mergi, &c. Sic scilicet arbitrarentur eos qui senectute conficerentur nimia, esse miserrimos. Ea illis ante Christum Religio. Sed omissis alienis nostra repetamus. Senectutem non qualēcunque, sed bonā, eximium Dei esse donum hinc constat, quòd toties singulares Dei amici, in senectute bona defuncti leguntur & cōmendantur, Gene. 15. 25. 27. 48. patriarchæ, Iudic. 8. Gedeō, Dauid, 1. Paral. 29. 3. Reg. 1. Psal. 36. 3. Reg. 14. Ahias propheta, Ioiada sacerdos, 2. Par. 24. & Iob. 42. mortui dierum pleni, Iosue 13. & 24. longæuus, & Chalebo permāsit in senectutem vsque virtus, Ecclī. 46. Moses annorū cxx. moritur, Deut. 34. oculis non caligantibus, & dentibus immotis, Tob. 5. 6. 10. 14. cum vxore incolumes in senectute bona. Deut. 33. In benedictione Aser legimus, Sicut dies iuuentutis tuę,

Senectus eximium dei donum.

ita & senectus tua, Orat Psal.70. ne proiiciatur in tempore senectutis, neu cùm defecerit sua eum virtus, derelinquatur, & homini fideli longæuitas ita promittitur, Psal.90. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum, parentes præsertim, adeóque senes omnes reuerenti, Exod.20. Deut.5. Eph.6. Et iusti quoque multiplicabuntur, fructificabunt, pingues erunt & virides, & iuxta alium interpretem, fœtificabũt, in senecta vberi, Psal.91. qualis Iacobus Iosephi quàm aliorum liberorum amantior, quòd hũc genuisset in senectute sua, Gene.37.44. Et senectus quidem venerabilis, sed morum etiam, non annorum tantùm, cuius cani, sensus: & ætas, vita immaculata, Sap.4.3. Impiorum cõtrà longa licet vita, nihili & sine honore senectus nouissima. Melior enim puer pauper & sapiens, Rege sene & fatuo, qui prouidere nesciat in posterum, Eccl. 4. Quali fortè seni Heli minatur Dominus, neminem vnquam in ei⁹ domo senem fore, 1.Reg.2. Prou. 16. corona dignitatis, senectus, 20. & dignitas senũ canities, Eccli.25. & gloria eorũ Dei timor & reliqua suprà, in vocabulo prudentes. Et hoc quoque est apud eũdẽ sapientẽ ius senile, cap.3. Corã seniore humilia animã tuã, 6. In multitudine seniorũ prudentiũ sta, 8. ne spernas hominẽ in senectute sua, etenim ex nobis senescũt, Ne despicias narrationem seniorum sapiẽtiorũ, 7. Noli verbosus esse in multitudine seniorum, seu vbi sunt senes, ne multũ loquaris, 32.

Senectus in gloria.

Quo magis ſenibus cum Eleazaro cogitanda ſuæ cuique ætatis & ſenectutis non tantum canities, ſed etiam excellentia & dignitas, 2. Maccab. 6. & à pueris (ſiquidē Deus dederit) optima, & iuxta diuinam legem formata conuerſatio, vt nihil ætate ſua indignum fingant aut faciant, quò adoleſcentes quidem propter eorum imitationem, & modicum corruptibilis vitæ tempus decipiātur, ſenes autem maculam & infamiam ſenectæ ſuæ conquirant, in præſenti licet tēpore hominum erepti ſuppliciis, at Omnipotentis manum nec viui nec mortui effugituri, Sed fortiter morientes, & ſenio digni videbuntur, & iunioribus exemplum relinquēt ad mortem pro ſanctiſſimis Dei legibus generoſè obeundam. Et ſimilis quidem ſenilis patientiæ exempla in eccleſia multa ſunt, Simeon Hieroſolymorum poſt Iacobum & vrbis euerſionem epiſcopus, Chriſti Domini patruelis, deferentibus hęreticis accuſatus, & dies multos tortus, crucis martyrio conſummatus eſt, cunctis qui aderant, mirantibus, hominem annorū cxx. tormētorū tātū perferre potuiſſe, Euſeb. li. 3. ca. 32. Nięeph. li. 3. ca. 16. Freculphus Chronicorū tom. 2. li. ca. 11. Nec ita pòſt Polycarpus vir Apoſtolicus, Chriſtū cōuitiis inceſſere, aut emori iuſſus, reſpōdit, Octogīta ſex annis ei ſeruio, nec vlla in re ab eo læſus ſum aut offenſus, & quomodo in animum inducere poſſum, vt Regem meum blaſphemem, qui me ſaluum fecit? & ſic igni & gladio cunctis

Senum exempla iunioribus.

Simeon Hieroſolymorum epiſcopus martyr.

Polycarpus.

ſtupētibus martyrium ſubiit, ſcribentibus iiſdē qui ſuprà, Euſeb. lib. 4. cap. 15. Nicephor. lib. 3. cap. 35. Porrò teritur hodiéque puerorum manibus ſenior Tullij Cato, dignior qui legatur totus, quàm qui epitometur. Negat ſenes rebus gerendis ineptos, ſenex adoleſcentis vires non deſiderat, gratulatur ſenectam voluptatibus priuari, quartò & poſtremò, mortis, cuius motus maximè angit, contemptum, ſeni prius fuiſſe diſcendum. Illud ex tam multis veterum de Senectute dictis παραδοξότατον, Seniores magna ex parte minus ægrotare quàm iuuenes ab Hippocrate notatum, vt adagio inde profectò Senilem valetudinem nuncupemus proſperam ſatis, & minus infeſtam, ſed Senum modò continentium, moderatorum, parcéque victitādo cupiditates perdomantium, Alioqui luxu, gula, & voluptatibus delibuti, magis ęgrotant, vt debiliores, frigidiores, & morbi inſuper digeriem difficilius concoquentes.. Sed quod medicorū eſt, promittant medici, Illud verius eſt, & certius, quod vbi ſuprà Tullius, Defectionem virium adoleſcentiæ vitiis effici ſæpius quàm ſenectæ. Libidinoſa & intemperans iuuentus effętum corpus tradit ſenectuti. Ad cuius laudē commendationémque plus facit, quod Senilis antè valetudinis adnotator Cœlius lib. 30. cap. 2. & lib. 3. cap. 7. ſubiicit eximiè aduertendum, Senectutem nihilominus dici ac eſſe ætatem animæ propriam, & accommodam, moribus proinde bonis dulciorem, conſiliis paratiorem

Cato ſenior Tullij.

Senes minus ægrotare quā iuuenes.

promptiorémque, quando omnes quidem in ſene conflacceſcant vires,ſola lætius viridiúſq; progerminet ſapientia,libidinum incẽtiuis aut conſileſcentibus quietior,aut retundendis firmior.Bene Ciceroni vbi antea,rogatus Sophocles vtereturnè rebus venereis,Dij(inquit) meliora. Libenter iſtinc vt à Domino agreſti & furioſo profúgi.Cupidis quidẽ taliũ odioſum fortaſſe & moleſtum eſt non frui,Satiatis verò & expletis iucundius eſt carerẽ, non deſiderare iucundiſſimum. Themiſtocles clariſſimus Græciæ Imperator,tranſmiſſis vitę annis CVII. lineas fieri iam propiores ſentiens,indoluit: tũ ſibi demigrandum,ſapere cùm præcipuè eſſet exorſus, vt mirer Ariſtoteli in Politicis (fortè lib.7.cap.6.)corporis minui vigorem ab anno 36.animi, ab 48. cùm ſcriptores contrà celeberrimos,poëtas præſertim,legamus ætate iam grandi Cygneum quiddam,& conſueto molliꝰ blandiúſque vicina morte ceciniſſe, quorum grandem ſatis catalogum texuit poſt Ciceronis Catonem Hieronymus ad Nepotianum, hoc argumentum tractans, Omnes (ait) penè virtutes corporis mutantur in ſenibus, & creſcente ſola ſapientia, cæteræ decreſcunt, Ieiunia,vigiliæ,eleemoſinæ,chameuniæ,(id eſt,humi dormitiones eidem Agg.1.) Huc illúcque diſcurſus, peregrinorum ſuſceptio, defenſio pauperum,inſtantia orationum,perſeuerantia, viſitatio languentium, labor manuum,Breuiter cuncta quę per corpus exercentur, fracto

Sophoclis reſponſum.

Themiſtoclis dictum egregium.

Ariſtotelis taxatus.

Sapientia ſenum.

corpore, minora fiunt. Senectus verò eorum qui adolescentiam suā honestis artibus instruxerunt, ætate fit doctior, vsu tritior, processu temporis sapiētior, & veterum studiorum dulcissimos fructus metit. Hanc senum sapiētiam indicat 3.Reg.1.nominis & patriæ sacramento Abisac, siue pater meus superfluus interptetetur, virtutem hoc loco sonans in senibus ampliorem & largam, ac redundantem sapientiā: Siue patris mei rugitus, cùm maris fluctus resonat, & de pelago veniens fremitus auditur, abundantem, Et vltra humanā vocē diuini sermonis in senibus tonitruum commorari ostēdens. Omnino canorum illud (ait Cato maior) in voce splendescit nescio quo pacto in senectute. Porrò Sunamitis lingua nostra dicitur, significans feruorem sapientiæ diuinæ lectionis calore. Hæc ergò puella Dauidi bellicoso quōdam viro, septuagenario, senecta sic frigescenti vt calefieri non posset, nec à superstitibus tot vxoribus & concubinis, omnibus eis quasi frigidis, repudiatis, quæsita est de vniuersis finib' Israël, quæ cum Rege dormiret, senile corpus calefaceret, in cuius vnius adolescentulæ complexu senex frigidus vestimentis obuolutus tepesceret. Atqui patriarchæ Dauide multò seniores, & priores ante diluuium viri, artubus non dico senilibus, sed penè iam cariosis, non vel cum vxoribus vetulis friguerunt, vel iis viuentibus alias vxores, aut puellares quæsiere amplexus.

Abisac.

Sunamitis.

Quæ est igitur hæc vxor & virgo, tam feruens, vt frigidum calefaceret, tam sancta, vt calētem ad libidinem non prouocaret? Exponat Solomon patris sui delicias, pacificus bellatoris narret amplexus. Principium sapientiæ, posside sapientiam & intelligentiam in omni possessione tua, Ne obliuiscaris, ne declinaueris à verbis oris mei, ne dereliqueris, & apprehendet te, ama, seruabit te, circunda, exaltabit te, honora, amplexabitur te, vt det capiti tuo gratiarum & deliciarum coronam te protegentem, Prou. 4. Hæc Abisag illa Sunamitis quęsita, cuius feruore senescentis viri recalescerent membra, iam arata rugis, & deflaccata, In carnis vtique imbecillitate vis mentis sobrietas, nam & Apostolica intonuit tuba. 2. Cor. 12. Cum infirmor, tunc potens sum. & oraculo salutari respōsum illuxit diuinum, infirmitate perfici virtutem. Ex hoc enim loco improbat ad Pammachium Hieronymus, quod in quadam controuersia legerat, Imbecillitas corporis, animæ quoque vires secum trahit. Neque verò nego vt corporis, sic mentis esse senectutem. in Politicis vbi paulò antè, & lib. 2. cap. 7. διανοίας γῆρας, sed mentem simili ac corpus debilitatis necessitate laborare, id verò sapientes pernegant, mens enim vigor indeficiēs est, corporis licet debilitate fūctiones suas liberè nequeat absoluere, & quadam quasi opacitate interposita, solem semper lumine plenissimum, impotentibus oculis intueri. Corporis ergo regula ad animi dispo-

Infirmitate virtutē perfici.

ſitiones fallax, imò huius illiúſque vigor: oppoſita reſpondent analogia, hæc ibi Faber annotat. Ergò inter quæ,

Multa ferunt anni venientes commoda ſecum,

quod ait in Arte Horatius, & ſenectæ bona, Hieronymus ibi enumerat, quia nos ab impudentiſſimis Dominis liberat voluptatibus, gulę imponit modum, libidinis frangit impetus, auget ſapientiam, dat maturiora conſilia, & frigeſcente corpore, dormit cum perpetua virgine Sunamitide, luxuriámque contemnens, cũ Berzellai, delegat eam filio adoleſcenti Camaham (locis antè allegatis) quæ autem putantur ſenectutis mala, crebræ infirmitates, pituita moleſtiſſima, caligantes oculi, aceſcentes cibi, manus trementes, nudi gingiuis dentes, tormina, ſtomachi aculei, & chiragræ podagręque dolores, eáque vitæ plerunque magna parte truncata & præmortua membra. In tot licet malorum comparatione, tolerabilius morbos ſuſtinebo, dummodo vna & grauiſſima domina libidine caream. Patitur quidem & ſenectus nonnunquam incentiua vitiorum, nullúſque iuxta S. Martyrem Cyprianum, diu tutus eſt periculo proximus. Sed aliud eſt titillari, aliud voluptatibus obrui. Ibi loquitur, quæ nouit virentes corporis neceſſitates adoleſcẽtia, Quod nolo malum, facio, quod volo bonum, nõ ago, Rom. 7. hic vt inter cineres emortuos ſcintilla ſublucens reuiuiſcere nitatur, incendia tamẽ non, vel raro ſuſcitare poteſt. Nec hoc rurſum

Senectæ bona

Senectutis mala.

Libidinis dominium.

dico, quod in ſolidioris adhuc ætatis iuuenibus, his modò qui labore, ardente ſtudio, vitæ ſanctimonia, & orationis ad Dominum Ieſum frequentia, ſcientiam conſecuti ſunt, frigeat ſapientia, in pleriſque ætate ſenibus marcida, ſed quòd adoleſcentia multa corporis bella ſuſtineat, & inter incentiua vitiorum, & carnis titillationes, quaſi in lignis viridibus ſuffocetur, neque ſuum poſſit explicare fulgorem. Et quãquam, quod idem ad matrem ſcribit atque filiam, in nullis ætatibus libido tuta ſit, attamen vel cano capite ab aperta defendit ignominia, ac etiam periculo, ſi modò, quod & monet idem Paulinũ, ſenectam annorum numero non æſtimemus, nec ſapientiã canos, ſed canos ſapientiam reputemus, Sed & Preſbyteros cũ Moſe ſeligamus, quos ſciamus eſſe Preſbyteros, vtique non æuo, ſed prudentia iudicandos, & quia, quod ludit in Mæride Vergilius,

Libido in nullis ætatibus tuta.

Omnia fert ætas, animum quoque, vox quoque Mærim, Iam fugit ipſa.

& velimus nolim⁹, ſeneſcimus, paret ſibi quiſque diuitias, quas quotidie eroget, & nũquam deficiant, dum viget ætas,

Antequàm ſubeant morbi, triſtiſque ſenectus,
Et labor, & rapiat diræ inclementia mortis.

paret inquam, viaticum longo itineri neceſſarium, ſecum portet, imò in cælum præmittat, quod vel inuitus dimiſſurus eſt, quod ſi negauerit, terra ſumptura eſt. Ita cano iam capite, &

fronte rugis arata, vicina, & in foribus morte, impetraturus à Domino comitem sibi habere sapientiam, & Abisac amplexari, quæ nunquã senescẽs in senili sinu requiescat, impolluta, & virginitatis perpetuæ, quæque in Mariæ similitudinem, cum quotidie generet, sempérque parturiat, incorrupta est.

Anus similiter in habitu sancto, non criminatrices, non multo vino seruientes, bene docentes, vt prudentiam doceant.



ENIAMVS ad alterius sexus senes, fœminas natu maiores, quales eas esse cõueniat, qualis earum esse debeat vita & doctrina, cultus, vict', lingua, siue disciplina: earum in primis, quæ ad aliarum eligebantur exemplum, & si quæ tum in Ecclesia ministrabant, vt habent Scholia Græca, adeóque vetulas omnes, & quanquam Petrus præcipit, vt vxoribus suis, tanquam vasculo infirmiori honorem tribuãt, 1. cap. 3. non statim tamen arbitrandũ est, vt eæ sicut corpore, sic anima infirmiore sint, quin & in eis illud interim cõpleatur, Virtus in infirmitate perficitur, 2. Cor. 12. Domino prǽsertim dãte, in quo nõ est mascul', neque fœmina, Gal. 3. quíque inter cætera potentiæ suæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij non rarò contulit, vt est in Ecclesiæ collecta,

Matrona Christiana quales esse debeant.

Fœmina martyres.

de vna Martyre. & quidni omnes primę inſtar, quæ quia de viro ſumpta, vira ſeu viriſſa, aut virago vocata eſt, Gene. 2. viriles ſint, & viriliter ſalutem ſuam operantur? Vnde & nunc eis præcipitur, vt habeant, quæ ſenibus antè communiter præcepta ſunt, in eo ſcilicet quod ait *Anus ſimiliter*, Ambroſius, pari modo, Itidem hortare, ſiue admone, ita vt viri ſenes, in omnibus honeſtæ, pudicæ, ſobriæ, ſanæ in fide, &c. & pro ſexu ſuo hoc habeant proprium, vt ſint *in habitu ſancto*, ſiue quod melius in græco legi notat Hieronymus, ἐν καταστήματι ἱεροπρεπεῖς, quod Ambroſius, velut explicans compoſitam vocem, vertit, in ſtatu religione digno, referẽtes vterque ad omnem corporis geſtum, nedũ veſtitũ, quod perinde valet ac ſi dicas, eo amictu, qui doceat matronas Chriſtianas, vt & earum inceſſus, motus, vultus, ſermo, ſilentiũ, quandam decoris præferant dignitatem, & exteriore ornatu, interiorem oſtendant: amictus enim corporis, & greſſus homini enunciant de illo, Ecclī. 19. qualis, & quomodo ſit animatus, indicant & arguunt. quod ſimpliciter de omni corporis motu hîc intelligit Aquinas, Eſt enim & habitus non ſanctus, vt laſciuus, faſtuoſus, ſuperfluus, & quàm pro ſuo cuiúſque ſtatu pręciosior, reprehenſus Paulo, 1. Tim. 2. & 1. Pet. 3. Quibus vitiis qui caret, cultus honeſtus, modeſtus, religioſus, conuenit omni quidem mulieri, ſed hoc aniculis ſpecialiter ſeruandum.

Virago.

Habitus Chriſtianorum.

Cui colar infœlix, aut cui placuiſſe laborem?

Ille mei cultus unicus autor abest. Dicit apud poëtam ethnicum quædam.cum iuuenculis liceat se propter viros ornare. Scholiastes Græcus & Theophylactus ministras hic Ecclesiæ intelligunt,& vestes quæ operiunt; quas vel ab indumēto honestas videri velit & conspicuas, sacras & Deo dicatas, vt sacris congruit ministeriis,quales aliquandiu in Ecclesia dictæ sunt Episcopæ,Presbyteræ,diaconissæ, hypodiaconissæ:Quæ autem tum fuerint,& qualia earum ministeria,diligenter,lib.1.digress.cap.17.vestigauimus,sed vereor vt non inuestigauerimus, nobis certè non ita satisfecimus, vt non etiamnum cupiamus super huiusmodi mulierculis alios audire in antiquitate Ecclesiastica magis versatos.Interim,vt ad literam redeam.Theodoretus è contrario hîc πρεσβύτιδας appellat, eas quæ consenuerunt, non quæ aliquod munus susceperunt,qui sacra autem decet, habitū vocari eidem honestum ornatum.Sequitur, *nō criminatrices*, διαβόλους, calumniatrices, delatrices Hieronymo, nescit Erasmus an mendosè, incentrices,Sedulio blasphematrices,& exponunt accusatrices,quia hoc muliercularum genus esse solet garrulum, iuxta illud, 1. Tim.5. otiosæ,vagæ,verbosæ, curiosæ, loquentes quæ non oportet, non vult esse tales, quæ vt aliis detrahant, aut rectè quæ adolescentiam iam transgressæ, de adolescentularum ætatibus disputent & dicant,Illa vel illa sic ornatur,sic comitur,sic procedit,amat illū,amatur ab illo:cū

Ministra Ecclesiæ.

Episcopæ Presbyteræ Diaconissæ Hypodiaconissæ.

etiamsi hæc vera sint, non tam apud alios debeant accusare, quàm secretè Christi charitate corripere, & magis docere ne fiant, quàm in publico accusare quòd facta sint. Nō ergo quibuslibet, iuuenculis omnium minimè, crimen facilè imponant, qui morbus maximè vetularum est. Duo in Senibus hîc notat Aquinas, Vnum omnibus propemodum cōmune, quòd suspiciosi sunt, quia multa mala viderunt & experti sunt, similiter suspicantur, & de aliis præsumunt, & cum omnes, quod ait in Adelphis Mitio, Act. 4. Scen. 3. tum senes maximè,

Senes suspiciosi.

Quibus res sunt minus secūdæ, magis sunt nescio quomodo
Suspiciosi, ad contumeliam omnia accipiunt magis
Propter suam impotentiam, se semper credunt negligi.

Zelotypia senum.

Alterū mulierib⁹ speciale, Zelotypię vitiū. Vtrūque cōtingit in vetulis, vt quæ sint pro ætate suspicaces, pro sexu zelotypæ, & vtriusq; ratione loquaces. Dolor animi, & luct⁹ mulieris, mulier æmula seu zelotypa, quę linguę flagellū cū omnibus cōmunicat, Eccli. 26. adeò vt Cicero Tusculan. 4. zelotypiam verterit obtrectationem, malum scilicet in coniugio domesticum. Vetulos porrò, nedum vetulas, natura loquaciores esse agnoscit Tullij Cato, ne ab omnibus (ait) vitiis eam ętatem videar vindicare. Et apud principes poëtas, Senes, vt referendis fabulis amica & loquax ætas est, referant vetustas, vt obseruat Macrobius Saturnal. lib. 5. cap. 14. ex Iliad. 19. Æneid. 1. 8. 10. Esse inquit idem lib. 7.

Loquacitas senum.

cap.2.loquacitatem huic ætati familiarē ſciens Homerus, quādam congeriem ſimul interrogationū Neſtori fecit offerri, Odyſſ.3.vbi multa interrogandi ſemina interrogando congeſſit, vt pruritum ſenectutis expleret. Et Vergilianus Æneas gratū ſe ad omnia præbens Euādro, varias ei occaſiones narrādo miniſtrat, nec enim de vna re aut altera requirit,

Sed ſingula lætus
Exquiritque, auditque virûm monumenta priorum.

& Euander conſultationibus captus, ſcimus quā multa narrauerit, Æneid.8. Sed & ſenes, quòd inſita imbecillitate ſint impendio loquaciores, μακρολόγοι dicuntur Cælio lib. 18. cap.4. Sequitur in Apoſtolo, *non multo vino ſeruientes*, deditas, addictas, mancipatas, δεδουλωμένας, Signanter expreſſit, ſeruitus enim quędam eſt, & extrema conditio, vino ſenſus hominis occupari, nec ſuum eſſe, ſed vini. Græci notant mulierum idem eſſe & ſenectutis propriè vitiū: quæ quia ſexu ac ætate frigidæ ſunt & imbecillæ, vino non tantum indigent, ſed & plerunque ſeruiunt. Ebrietatis ergò vitium vndique illis amputàt, eáſque à vinolentia quàm remotiſſimas eſſe cupit, & ita irriſiones, aliáque quæ illinc naſcūtur, incommoda, effugere. Nam perfacilè vapores ex infimis ad ſuperiora ferūtur, cerebrū occupant, caput oblædūt, atq; ita vino, vt & ſenio, confectæ infirmæq;, colluctanti vino reſiſtere nequeūt, vel ſuſtinere: victæ igitur ſuccumbunt, & hinc cum ad alia vitia, tū ad cā-

μακρολόγοι

Vinolentia vitium in mulieribus & ſenibus.

de qua proximè suprà, maledicentiam propensiores fiunt. nam quòd Chrysostomus eádem adolescẽtulas de re infrà moneri, nõ eádẽ de causa notat, sed ideo quòd ex immodico vini potu vehemens in his, non illis incendatur libidinis flammà, aliter hîc sentit Hieronymus, & vt vinolentiæ vetulas, ita vinolentas, & loquacitati & libidini affines esse, Solent, inquit, eæ frigescente corporis luxuria, plures etiam, quæ nec canes suos erubescunt, & ante nepotum gregem trementes virgunculæ componuntur, vino se pro libidine dedere, tum inter pocula sibi prudentes, & facundæ, loquũtur hoc quod sibi videntur esse, non recordantes illud quod fuerunt. A vini ergò potu nimio eas prohibet, quia quod in adolescentulis est libido, hoc in senibus est ebrietas, vt & Lyra exponit, excessiuam vini potationem, inducere ad fractionem castitatis vidualis. Legere memini (licet locus non occurrat) senem, vt ferrum, calorem difficilius tum admittere, tũ semel admissum amittere. Extat in anus libidinosas vt dignum eis Horatij carmen 5. & 12. Epodi, sic minus honestum, quàm vt sacris inseratur,

Ebrietas hoc est in senib⁹, quod in adolescentibus libido.

Anus libidinosæ.

Venit amor grauius, quò serius vrimur. Et

Quæ venit exacto tempore, peius amat.

aic Ouidij Phædra.

Et quomodo potest anus adolescẽtulas castitatem docere, cum si iuuencula vetulæ fuerit ebrietatem imitata, pudica esse nequeat? En quàm multis modis imbecilliori ætati inimica

vinositas : & vino quidem propter frigiditatem & imbecillitatem vtatur, sed paruo, modico, moderato. Vult ergò Paulus, anus parum bibentes: nam vel poëtis testibus, merobibæ atque multibibæ, eædem sunt multiloquę, tentiginosæ, catulientes, &c. Sed ne mihi succenseat genus alioqui plus satis irritabile, sequantur, si Auicennam quàm Paulum malunt, scribentem cap.8. doctrinæ 2. Fen. 3. & primi, Vinũ senioribus quantum pati queant, dandum. & sic cum Rhodigino, lib. 28. cap. 29. ferè ratiocinentur, vino senum aduentitium frigus recalescere, spirituum exhalari tristitiam, bilis atræ vim redundantem reprimi, eius excrementa vel leniri, vel reiici, amarę acrimoniam frangi, somni conciliari appetentiam, præfractos recludi meatus, siccitatem vel laboribus inductã immodicis, vel ætatis prouenientem temperamento, insigniter mitigari, vniuersam denique senectæ lassitudinem renidere: Sed cum sit excessus omnis planè declinandus, ne adultis quidem, iis licet, Galeno teste, in sanitatis moderamine, maximè commodum, tamen non citra noxam tum corporis, tum animi, ac multò minus senibus ingeritur, ni adhibitus fuerit modus. Addo rursum, vt hîc vetulis scilicet gratificer, & ex Aristotelis libro de Ebrietate, disputatum à Disario medico apud Macrobium, Saturnal. lib. 7. cap. 6. mulieres in ebrietatem rarò cadere, crebrò senes : in illis quod humectissimo & frigidissimo sint corpore

Vini vtilitas senibus.

Senes quàm mulieres cur citius inebrientur. (quanquam hoc poſterius in vtranque partem ventilatur,cap.7.)epotum vinum, cum in tantum humorem frigúſque ceciderit,dilutius factum,frigeſcere,vim ſuam perdere, Sic debilitari & elangueſcere,vt calorem,è quo naſcitur ebrietas,minus excitare poſſit. Sed & crebris purgationibus, & pluribus meatibus vias humori in egeſtionis exitum confluenti præbentibus,vini vaporem celeriter euaneſcere. Contrà in ſenibus ſicco aridóque corpore, vinum contrarietatem repugnantis humoris non patiens,integra vi ſua adhærere, & mox loca tenere,quæ ſapere homini miniſtrant,in durioribus quoque membris, naturalibus meatibus obſeratis,hauſtum,nulla ei exhalatione cõtingente,totum ad cerebrum, mẽtis ſedem aſcendere,ac ferire.Hinc fit vt & ſani ſenes malis *Senes ſani maliuebriorũ laborant.* ebriorum laborent,tremore membrorum,linguæ titubantia,abundantia loquendi,iracundiæ concitatione, quibus tam ſubiacent iuuenes ebrij, quàm ſenes ſobrij.Si ergo lenem pertulerint impulſum vini,non accipiunt hæc mala, ſed incitánt, quibus ætatis ratione iam capti *Luciani locus correctus* ſint.Hæc ille. Eſt & apud Lucianum,1.Saturn. dialogo,Callipædas fieri ſenes, quod hi quidẽ puerum ſapiant, ſed in conuiuiis pluſculum ſe inuitantes, ac facti hilariores, etiam pueri ſibi pulchri eſſe videantur, referente Rhodigino lib. 11.cap. 17. ſed falsò, παλίμπαιδας, enim legendum eſt,ex huius dialogi interprete Eraſmo,& Adagio, Bis pueri ſenes. Et de vinolen-

tia ſenili,eíque adhærentibus vitiis,nimis quàm pro cómentarij ratione.Sequitur in litera, *bene docentes*,nedum bene inſtitutas,quod quidá recentiorum vertit:Nam quia docuit quales primò anus eſſe debeant,& poſt ea quæ cum viris ſenibus habeant communia,earum etiam propria expoſuit,nunc conſequenter doctrinæ eis fræna permittit,vt cùm tales , támq; bene fuerint inſtitutę,docendi quoque libertatẽ habeãt *vt prudẽtiam*,quę ſcilicet bona ſunt & honeſta, bóníque,quò fiat,& mali,quò caueatur,diſcretionem *doceant*,Et rectè,& neceſſario,Cũ enim plus cũ pueris & familia,quàm viri verſentur, ferè tamẽ fit, vt cõduplicato ſexus atque ſenij vitio,narrẽt quas ob id vocauit Plato in Theętęto γραῶν ὕθλος, anicularum nugas & deliria,aniles fabulas,Horat.& Quint.ineptias & ſuperſtitiones , Cicero in Tuſculanis , & de Natura Deor.2.& 3.Et alibi quidẽ mulierib' tacere iubet,docere nõ permittit,1.Cor.14.1.Tim.2.vix etiã loqui,ſed in eccleſia,hoceſt,in cõgregatione publica & promiſcua , ſermone publico & cõcionatorio,quaſi virorum præſides.Viris,inquit ibidẽ,ſubditas eſſe,non dominari . Pro ſublata ergò illic eis publica,&in viros doctrina, priuatã hic atq; domeſticã,&ad ſui pręſertim ſex' puellas,ancillas,&c.exhortatoriã ſubſtituit. Nihil etiã vetat,quin & mares liberos atq; famulos pudẽter ac verecũdè inſtituãt,quo Salomonẽ modo ſua mater erudiuiſſe dicitur,Prou. 4.&.31.De hoc nos amplius, 1.Timoth. & erit,

Docendi facultas quã permiſſa mulieribus.

Mulieribus quatenus docere permiſſum.

Deo dante, de hac tota re peculiaris mihi digressio. Hîc interim satis sit, vt sublata fœminis in viros doctrina, permittantur docere fœminas, adolescẽtulas quasi filias suas. Idq́ue priuatim, non in Ecclesia. Ex Anticeimenωm lib. 3. Quæst. 37. Et quantò magis conuenit patresfamilias suæ vnunquenque domus doctorẽ esse ac institutorem? In tanta (concionatur ad finem Psal. 50. Augustinus) morũ diuersitate, tam detestabili corruptela, regite, ô charissimi, domos, filios, & familias vestras, Quomodo ad nos pertinet in Ecclesia loqui vobis, sic ad vos in domibus vestris agere, vt bonam rationem de vestris subditis reddatis, Amat Deus disciplinã, &c. Maximè fratres mei ad filios vestros fideles attendite, quos fide genuistis vt baptizarentur, &c. Et tractat. 51. in Ioan. 12. capit. Cum auditis, fratres, Dominum dicentem, Vbi ego sum, illic & minister meus erit, Nolite tantummodo bonos Episcopos & clericos cogitare, etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo, bene viuendo, eleemosynas faciendo, nomen doctrinámque eius quibus potueritis, prædicando, vt vnusquisque etiã paterfamilias hoc nomine agnoscat paternũ affectũ suæ familiæ se debere pro Christo & pro vita æterna suos oẽs admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impẽdat beneuolentiã, exerceat disciplinã, ita in domo sua Ecclesiasticũ & quodammodo Episcopale implebit officiũ, ministrans Christo, vt in æternũ sit cũ ipso, & maximã illã

Patresfamilias quales esse doceat.

passionis ministrationem multi ex vestro numero ministrorum, multi non episcopi, neque clerici, iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, coniugati & coniugatæ, patres matrésque familias Christo ministrantes, etiam animas suas in eius martyrio posuerunt, & honorificāte patre coronas gloriosissimas receperunt. En hic episcopus Deo dignissimus non vtcunque permittit, sed omnino vult, religionis Christianæ vt testes, ita doctores, non clericos modò, sed etiam laicos fideles, pro suo quenque statu ac modulo, vt loquitur pastor omnium modestissimus, nec magis auditoribus hoc inuidet, quàm populo quōdam Israël Moses, vt omnes prophetarēt, & daret eis Deus spiritum suum, Num.11. Iuxta quod & alter ait, Patres nostri narrauerunt nobis, Psal.43. vbi Chrysostomus, Audite, quotquot filiorum curam non geritis, qui cantilenas diabolicas canētes, diuinas narrationes contemnitis. At non illi tales, sed in narrationibus illustrium Dei operum assidui erant, & qui ex eis descenderant, non paruum diuinæ inde cognitionis sumebant argumentum, liberis LIBRI erant ora parentum, omnis SCHOLA & diatriba Dei hæc facta narrabat. Idem de sui temporis adolescentia Christiana Cyrillus Alexandrinus, nam eius in scripturis exercitia improbanti Iuliano Apostatę, quasi plus expediret disciplina Græcanica, respondet lib.7. Quòd eloquētiæ numeros Græci probè seruēt, laudari, quòd optimas virtutes

Græci eloquentiæ studiosi, non itē virtutis.

negligant, rectè taxari. Pueros autem in sacris literis enutritos, statim fieri religiosissimos, etiamsi minus eloquentes. Itaque nos ex diuina scriptura omnigenam virtutem discimus, vtimur autem Græcorum sermone ad eruditionis veræ præexercitaméta, Sed nos ex domestica doctrina in scholasticá, vt alteri hæret altera, lapsi sum⁹. Redeamus ergò ad parétes & dominos, eosdé suorũ liberorũ famulorũq; doctores. Et quî docere ij possint, qui non didicerint?

Digreßio quinta.

Eadem ergò consequentia cùm Orthodoxi alij, tũ superiores episcopi auditores palá hortabátur ad domesticá sacrorũ Bibliorũ lectioné, Prior quidé ita, Neque vobis solũ sufficiat, quòd in Ecclesia diuinas lectiones auditis, sed in domibus etiá vestris aut ipsi legite, aut alios legentes requirite, & libéter audite. Lectiones igitur diuinas & in Ecclesia, sicut cósuestis, audite, & domi relegite. Si quis occupat⁹, vt ante refectioné scripturæ diuinę nó possit insistere, nó enim pigeat in cóuiuiolo suo aliquid de ea relegere, vt quomodo caro cibo pascitur, sic anima Dei verbo reficiatur, & tot⁹ homo, id est, exterior & interior, sácto & salubri cóuiuio satiat⁹ exurgat. Ná si sola caro reficitur, & anima Dei verbo nó pascitur, ancilla satiatur, domina fame torquetur, quod quá sit iniustũ, sanctitas vestra nó ignorat. Ideoq; quod iá dixi, diuina illo desiderio legere & audire debetis, vt de iis & domi, & vbicũq; alibi fueritis, etiá loqui, &

Bibliorum lectio.

alios docere possitis, vt verbũ Dei ceu animalia mũda, ruminãtes vtilẽ succũ, id est, spiritalẽ sensũ, & vobis sumere, & aliis Deo auxiliante propinare possitis, vt in vobis impleantur illa, Calix tuus inebrians, quã præclarus, Psal. 22. & siue mãducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriã Dei facite, 1. Cor. 10. Et Dei quidẽ verbũ omni tẽpore cum grãdi desiderio vos oportet fideliter sẽper audire, sed iis specialiter diebus (ieiuniorũ nimirũ & solẽniũ dierũ) lectioni debetis diuinæ attentius insistere, &c. cũ Dei adiutorio, vt legẽ Dei spiritaliter mereamur agnoscere, &c. Et, Adhuc bonũ habemus solatiũ, diuinarũ lectionem scripturarũ, quia ea est nõ parua beatitudinis præcognitio, &c. speculũ, quo homo seipsũ, & qualis sit, & quò tendat, cõsideretur. Et modò cũ Euãgelica lectio legeretur, audiuimus dicẽtẽ Dominũ, Venite benedicti, &c. Matt. 25. Vt hãc ergò vocẽ desiderabilẽ audire, & ab auditu malo possitis per Dei gratiã liberari, totis virib⁹ Deo auxiliãte cõtẽdite lectionẽ diuinã in domibus vestris frequenter legere, & in ecclesia libẽter & obediẽter audire. Sic Augustinus ad populũ in cõcionibus Quadragesimalib⁹. De tẽpore, Serm. 55. 56. 85. 91. 112. De sanctis, Ser. 38. qui est 1. de animabus fideliũ defunctorũ. Ad idẽ suos hortabatur alter, ad Biblia inquã, diligẽter nõ in tẽplo tantum auscultanda, sed etiam domi in manus sumenda. Merito malè audire, qui nec domi quidẽ hoc faciãt, quod Eunuchus in curru, Act. 8.

Verbũ Dei quando maximè audiẽdum.

Biblia domi in manus sumenda.

Nec excuſat reſpōdentes, non ſum monachus, neque ſeculo renũtiaui, mundanus ſum, vxoré habeo, liberos, & curam domus. Hoc illud, inquit, eſt quod omnia vna quadam quaſi peſte corrumpit, quòd ſcripturæ lectionem ad ſolos putatis monachos pertinere: quòd Euangelia nec attingitis quidem, tãtum abeſt vt penetrare iudicetis operæpretium. Hinc hodie ſurſum deorſum feruntur omnia, ea res hæreſes peperit, vitam corruptam inuexit, omnia miſcuit & confudit: cùm tantò vobis quàm illis magis ſit neceſſaria, & ſuſcipienda illinc remedia, quo plus mulieris, filiorum, ſeruorum curam agentes, & plura verſantes in medio, vel vxoribus cohabitantes, vel militiæ aſcripti, vel aliis implicati negotiis, quotidie vulnera capitis. Nec magis excuſat excuſantes, Non intelligo, nec intelligere valeo ſcripturæ profunditatem, nihil tale (ait) quod nunc plerique dicunt, dicebat Æthiops ille lingua Barbarus, mente philoſophus, tot licet negotiis diſtentus, ſed cogitabat potius diuinitus adiutum ſe iri, non contemptum, modò quod ſuum erat, afferret, ſtudium ſcilicet & diligentiam: quem & nos imitemur, cogitantes qualis fuerit domi verſans, & ſedẽs, qui vel in via, nec tempore profectionis ſuſtinuit ſine lectione manere, ſed & non intelligens legebat, nec à lectione deſtitit, multò minus poſtquam intellexit, ideóque citò cõſecutus eſt doctorem, & viæ ductorem miſſum à Deo Philippum. Lego, igitur inquies, ſed fru-

Aethiopis eunuchi ſtudiũ ſacra ſcriptura.

ſtra, non habẽs qui manu ducat, non adeſt Philippus. Sed ſpiritus qui eũ mouerat, adeſt. Quo modo poſſis intelligere, qui neque leuiter inſpicere velis? Sume librũ in manus, lege hiſtoriam omnẽ, quæ nota ſunt, memoria tene, quę obſcura, & minus manifeſta, frequenter percurre: Si nequiueris aſſiduitate lectionis inuenire, accede ad ſapientiorem, vade ad doctorẽ, communica cum iis quæ ſcripta ſunt, indica vehemens ſtudium: cum viderit Deus tantam animi te promptitudinem adhibere, non deſpiciet, ſed etſi null⁹ homo te docuerit quod quęris, ipſe ſine dubio reſerabit. Nam fieri nõ poteſt, nõ poteſt inquam, fieri, vt quis ſine fructu diſcedat, qui aſſidua attentáque ſcripturarũ lectione fruatur. Ne neglexerimus ſalutem noſtram dilecti, Quæcunque ſcripta ſunt, ad doctrinam & correctionem ſcripta ſunt omnia, Rom.15.1.Cor.10. Magna aduerſus peccatum munitio, ſcripturæ lectio, magnum barathrũ, profundum præcipitium, ignoratio: magna ſalutis perditio, diuinarum legum nihil ſcire, &c. Hæc & multò plura os illud aureum, in Geneſ. Homil.21.29.35.& 2.in Matth. & concione 3. de Lazaro, tum clarius, tum expreſſius. Fortè petis, annè omnes arctari velim, ad ſcripturæ, ac proin ad ſciẽtię theologicæ ſtudium, in quo diuina diſcuntur, & explanantur mandata? Reſpondeo cum ſummo & theologo & pontifice Adriano VI. ſi quibus fortè recentiores plus placent, Equidem vti neminem arctare intẽdo,

Lectionis ſacra aſſiduitas quàm vtilis.

Adrianus Traiectionũ

Laicis quatenus discenda sacra.

ita multò minus omnes excusare possum, cùm certissimum sit vnunquenque ad tantam diuinæ legis obligari notitiam, quanta possit actus suos, pro qualitate, conditione, statu personæ citra peccatum mortale dirigere. Et de pastoribus quidem, quos Dominus in ecclesiam suam vocauit ad statum oculi, quorum est aliorum conscientiis & saluti consulere, non video qui sine damnabili culpa, omissa diuinæ legis notitia, aliis intendant, relicto verbo, mensis ministrent, Act. 6. Sed sicut impietatis crimen est episcopo, neglecto diuini verbi studio solicitudines suscipere seculares, ita vnicuiq; laico peccatum, nisi inuicem sibi etiam in his quæ ad cõmunem vitæ vsum pertinent, operam fideliter dederint, can. Te quidem. & seq. 11. q. 1. Verba sunt Petri in ordinatione Clementis. Viderint ergò etiam laici, ne apud districtum iudicem censeantur oculos à proposito seu statuto declinare in terram, Psal. 16. dum pro temporaliũ facultatum aut honorũ quæstu, diuinis neglectis, humanis legibus ardentius inuigilant, studiáque diuina quàm humana remissius attendunt, tarius obseruant, minus liberè defendũt, siue in his quæ scire tenentur, quod indubitatũ est, siue in aliis, nisi vel victus necessitate, vel Reip. fauore, vel quia ibi plus valet ingenium, vel alia simili de causa, plus corporis quàm animæ pabulo, profanis quàm sacris scripturis pl⁹ intendant. Non inquam, video, quomodo Deũ salutaris eiusdem scripturæ inspiratorem, 2.

Tim.3.2.Petr.1. super omnia diligant. Restat ergò vt omnes apprehendamus disciplinam, ne quando irascatur Dominus, & pereamus de via iusta, Psal.2. Sic enim minatur alibi, Eò quòd appropinquat mihi populus hic ore, non corde, labiis, non præcordiis, ideo ecce addam, vt admirationem ei faciam, miraculo grandi & stupendo, peribit sapientia à sapientibus eius, intellectus prudentium eius, Esa.29. Quam cęcitatis pœnam vniuersa comitari mala idem antea testis est, propterea captiuus ductus est populus meus, quia non habuit (habere curauit) scientiam, nobiles eius interierunt fame, multitudo siti exaruit, dilatauit infernus animam suam, aperuit os suum absque termino, descendunt ad eum populus, fortes eius, sublimes, & gloriosi, incuruabitur homo, gloriabitur vir, oculi sublimiũ deprimẽtur. Esa.5. Et Ose.4. Conticuit populus meus, eò quod non habuerit scientiã (excidetur, peribit, perdetur præ iustitia) quia tu repulisti scientiam, ô sacerdos. Nam nihil cõsequẽtius, quã quòd oculorũ, qui pastores sũt, obscurationẽ comitetur, iuxta Ps. 68. Rom.11. dorsi, qui populus est, incuruatio, error videlicet, & culpabilis subditorum impactio. Hæc dñs Traiecteñ. in Quolibetis 3. & 5. Quæstionibus primis sine argumẽtis. Et addit hinc doctori cuidã innominato visum esse maiorem hominũ partẽ charitatis expertẽ viuere, ob non obseruãtiam primi & maximi mãdati, de diligendo nimirum ex totis nobis & super

Charitas cur tam inter homines refrixerit.

omnia Deo, Matth.22. Marc.12. in hoc quòd hominum ſtatuta multò quàm Dei verba fortius amant, &c. Huc ſpectabat Beda, citante Thomæ cathena, ſuper id, Luc.24. Et incipiens à Moſe, &c. hoc nobis in loco non vlla ſcripturam interpretandi, ſed gemina nos humiliandi neceſſitas incumbit, qui nec in ſcripturis, quantum oportet, edocti, nec ad implenda quæ diſcere fortè potuimus, quãtum decet, ſumus intenti. Nam ſi Moſes & omnes prophetæ Chriſtum locuti ſunt, & hunc per paſſionis anguſtias in gloriam ſuam intraturum, qua ratione ſe gloriantur eſſe Chriſtianos, qui iuxta virium ſuarum modulum, neque ſcripturas qualiter ad Chriſtum pertineãt, inueſtigare, neque ad gloriam, quam cum Chriſto habere cupiunt, per patientiam deſiderant attingere? Sed quid clarius, quàm quòd Paulus ſic hortatur ad Col. 3. Verbum Chriſti habitet in vobis (quibus autẽ vobis? iis qui ſunt Coloſſis, ſanctis & fidelibus fratribus in Chriſto, Col.1. quibus hanc inſcribit epiſtolam, non vt aliquot alias, epiſcopis, presbyteris, diaconis) Verbum ergo Chriſti abundanter habitet in vobis in omni ſapientia, docentes & commonentes vos inuicem. Vbi Scholia Hieronymo & Primaſio inſcripta, Et hîc oſtenditur laicos verbum Domini non ſolùm ſufficienter, ſed etiam abundanter habere debere, & ſe mutuò docere ac monere, &c. Sed quorſum tam multa? Equidem in patribus Orthodoxis non omnino nec indiligẽter, nec infœlici-

Laici verbũ Dei habeãt.

fœliciter per Dei gratiam verſatus ſum, quàm non potui nō eos ſemper mirari, quibus hodie tam peſtilens & capitale videtur, quod veteres contrà vt adeo ſalutare toties commendant, tam nunquam in ea fui ſententia, vt idiotæ aut mulierculæ, addo clerici etiam & monachi omnes omnia Biblia indifferenter legerent. Etenim quæ hodie eſt hominum atque tēporum malitia, quæ paulò ſuprà Chryſoſtomus in ſui temporis Eccleſiam ex ſcriptura non lecta, inuecta quæritur incommoda, eadem in hodiernam verè tempeſtatem inciderunt ex ſcriptura lectá quidem, ſed perperam, aut nō intellecta, hæreſes, ſchiſmata, rerum denique omnium & religionum confuſio & perturbatio, dū, quod & Hieronymus, tantus licet alioqui mulierum ad ſcripturæ ſtudium & lectionem hortator, ſcripturam tamen ad Paulinum ſtomachatur omnes ſibi paſſim vindicare. Hanc anus (inquit) garrula, delirus ſenex, ſophiſta verboſus, hanc vniuerſi præſumunt, lacerant, docent antequam diſcant, inter idiotas & mulierculas de ſacris literis philoſophantur. Et tutius quidem ac omnibus modis melius fuerat, populares ſalutem ſuam viua voce quàm lectione diſcere, nihil tamen etiam vetabat lectiuncula priuata, quod iidem qui antè patres admonent, ſacris ſe concionibus præparare, in Eccleſia quod domi prælegerant, audituros: Sed negare non poſſumus quin paſtoribus plurima ex parte ceſſantibus, greges ad mutos magiſtros aliter alij con-

fugerint,quidam quidē,vt cum Paulo ad Phil. 1.dicam,ex bona voluntate,ſeu intentione, adeóque charitate:quidam autem (quę plurima fortè pars eſt) ex contentione,inuidia,curioſitate.Lamentabamur,vel potius hodiéque cum prophetis lamentamur, Adhæſit lingua lacten tis ad palatum eius in ſiti, paruuli petierunt pa nem,& non erat qui frangeret eis,Thren.4.& alter, Dormitauerunt paſtores tui, conſopiti ſunt principes & fortes tui,diſperſus eſt populus tuus ſuper montes, non eſt qui congreget, non eſt obſcura contritio tua, peſſima eſt plaga tua,Nah.1.Vbi Hieronymus,Quoniam nō ceſſat diabolus, quoſcunque ad dormiendum illexerit, conſopire,excitat ita ſermo diuinus, Surge qui dormis, & illuminabit te Chriſtus, ad Eph.5.In aduentu ergo Chriſti,& ſermonis Dei,& doctrinæ Eccleſiaſticæ, & conſummationis Niniuæ ſpecioſiſſimæ quondam meretricis,eleuabitur populus,& ibit ad mōtes ſcripturarū,ibíque montes inueniet Moſem,prophetas, Apoſtolos, & Euangeliſtas, ad quales mōtes cum confugerit,& in huiuſcemodi mōtium fuerit lectione verſatus, ſi non inuenerit qui eum doceat,Meſſis enim multa,& operarij pauci,Matth.9.Luc.10. tūc & illius ſtudium comprobabitur, quia cōfugerit ad montes, & magiſtrorum coarguetur deſidia, Infert enim iuxta lxx.& non erat qui ſuſciperet, Sequitur, Non eſt contritioni tuæ ſanitas, ſana licet eſſe videatur,tumet (erecta eſt præ ſuperbia) plaga

tua. Nonnè videtur tum propheta, tum interpres, nostri temporis & pastorum silentium, ne dicam ignauiam, & populi antè cum eis consopiti, quasi è graui somno excitati studium, & ad scripturas tum audiendas, tũ legendas hodiernam alacritatem prædicere, & quasi digito indicare? Sed peræquè non tacuit insolẽtium inde hominum, & scripturis abutẽtiũ tumorem, nisi quæsito mox & adhibito remedio, insanabilem sitim certè alioqui, vel incendiũ potius, nisi permultarum animarum ruina non restinguendum. Cùm igitur Biblia laicis omnia omnibus prostent, & permittente magis principe quàm probante liceant, doceat autẽ & scriptura & experientia literam sine viuificãte spiritu occidere, & nudam & simplicem lectionẽ plus interim afferre scãdali quã salutis, remediũ, vt sic dicam, remediorũ fuerit, iuxta cõsiliũ facultatis Parisiensis ad Erasmicas propositiones titulo XII. de hac materia, cõueniẽs & morũ ædificationi accõmoda explicatio ex Orthodoxorũ cõmentariis excerpta, sacris literis apposita, Sic quoque vt pij, sobrij, humiles & precabũdi legerẽt, & dociles, nec inde à crebra diuini verbi auditione auocarẽtur, aut prædicationes cõtẽnerẽt, paratiores propriũ quisq; pastorẽ, aut doctores cõsulere, audire, & quæ min⁹ capiũt, discere, & de iis quæ in cõcionibus publicis audierint, modestè inter se ad morũ correctionẽ, deuotionẽ, cõpunctionẽ conferre, quã aliter sacra profani tractare, hoc est, vel catholica in du

Biblia omnia laicis quatenus licita & legenda.

bium reuocando disputare, vel in occultis conuenticulis immurmurare, vel coitionibus nocturnis, aut alioqui secretis interesse, aut etiam num præesse, prædicare, & id genus alia, super quibus ex occasione sacrorum in Gallicum sermonem conuersorum subnatis, eadem quę hodie subest, de causa, decretum Innocentij III. constitutum est: cuius fragmentum refertur, ca. Cum ex iniuncto. Extra. de hæreticis. Quæ interim dum magis optare licet quàm obtinere, & orare quàm sperare, vt ex non longa parecbasi minus quàm inopina regrediar, iuxta ea in II. ad Timotheũ digressione 17. de Christianæ pueritiæ disciplina notauimus, hic quoque velim & optauerim, vt omnes in Christo per baptisma renati sic à teneris annis Christianæ religionis elemẽta, ea in primis quæ fide (quam explicitam nostri Scholastici vocãt) creditu ad salutem necessaria sunt, perdiscant, vt iuxta Pauli doctrinam, eadem liberos, reliquámque familiam senes & anus, quantum opus & satis est, docere valeant, Inspiret Dominus CAROLO IX. Iam per eius gratiam iuueni, sed Regiæ planè indolis principi, Caroli Magni præcessoris hoc in regno sui, in religione tum conseruanda, tum propaganda, zelum, animum, successum, Quo apud nos regnante, Synodus Rhemensis Metropolitana canones aliquot ad totius Imperij Christiani correctionem statutos sic exorsa est, cap. I. Est de fidei ratione, vt vnusquisque iuxta intellectum suæ

Fides explicita.

Synodus Rhemensis.

capacitatis, Domino largiẽte, diſcat, intelligat, & operibus plenè obſeruet. II. vt orationem quam D. N. Ieſus Chriſtus diſcipulos ſuos orare docuit, diſcãt, & ſenſu bene intelligant, quia nulli eam Chriſtiano ignorare licet. Nec dubium quin idem de Symbolo & Decalogo ſanxerint, vel certè ſenſerint: Nam & inter huius Imp. conſtitutiones idem legimus, vt epiſcopi diligenter per paræcias preſbyteros diſcutiant vt Miſſarum preces bene intelligant, pſalmos dignè iuxta diuiſiones verſuum modulentur, Dominicam orationem intelligant, & omnibus intelligendam prædicẽt, quò vnuſquiſque ſciat quid à Domino petat. Pueros non ſinant libros catholicos legendo vel ſcribendo corrũpere, quia ſæpe dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros malè rogant. Per homines ergò (ſi opus fuerit) ætatis perfectæ cum omni ſcribi diligentia, & per ſingulas ciuitates diligenter inquiri, vt ſingula epiſcopia, & vtriuſque ſexus monaſteria emendatam ſimul cum cantu haberent lectionem. Sed ad diſciplinam domeſticam, eámque ſenilem, atque adeo anilem, & ſic ad literam Pauli redeamus.

Libri catholici non corrumpendi.

*

Adolescentulas, vt viros suos ament, filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, domus curam habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbum Dei.

Ostendit qualiter personas in ætate iuuenili existētes instituat, & prius quidem fœminas, mox qualiter & mares. Iuuenculas autem primùm, vt se habeant ad personas coniunctas, dein vt ad sei psas, postremò vt ad subiectos. Et quoniā hūc accusatiuum *Adolescentulas*, idem verbū quod superiores duos, *senes* & *anus*, regere potest, hortare scilicet aut admone, vt hæc & illa faciant, vel loquere quæ decet eas, vt tales atque tales sint, vel oportet eas hæc quæ sequuntur, curare, prætere a quæ in 1. ad Timot. 5. notauimus, quā discretè, quámque circūspectè clerici maiores aut minores possint ac interim debeāt ex officio fœminas præsertim iuniores inuisere, alloqui, docere, addam ad idem, quod studio huc distuli ex Hieronymo ad vocabulum *sanos in dilectione*, hoc eodem capite. Timendum ne fortè nos & contraria dilectionis infirmitate superemur, & quo charitatis frigore Ammon in sorore etiam sua obriguit, 2. Reg. 13. aliquando tabescamus. Nonnunquam enim euenit, vt primùm à nobis in virginē aut quamlibet fœminam sancta sit dilectio, & cùm mollita mēs fuerit in affectus, paulatim sanitas charitatis

languore pallescat, infirmari incipiat, diligentem ad extremam mortem ferat. Vnde Paulus cautè ac prudentert Timotheo præcipit, vt exhortetur adolescen ulas in omni castitate, 1. cap. 5. omnis autem castitas in carne, spiritu, & anima est, ne scandalizetur oculus, ne in pulchritudine vultus fœminei hętentes pendeamus, ne blanda nos verba audire delectet, ne ad simulatos sermones mens prius dura marcescat. Caueant ergò tam iuuenes quàm senes, tam iuuenculæ quàm vetulæ, & omni diligentia cor suum custodiant, ne per sanitatem dilectionis morbus introeat charitatis, per amorem sanctum fiat non sancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam. Sed & Augustinus in colloquio cum mulieribus priuatim miscendo adeo cautus & rarus fuit, vt vel sanctimoniales literas occultè ab vllo accipere noluerit, Epistola 109. grauiter alioqui & ex præpositi arbitrio emendandas, citat Gratianus 12. q. 1. ca. Non dicatis, nisi quòd ex fœminis mares facit, cum aliis ex regula scilicet eiusdem tertia idem & eodem modo citantibus. Literas autem opinor amoris vel notas, vel illices, vel arcanorum reuelatrices, aut alioqui suspectas, nam consolandi, docendi, & charitatis mutuò fouendæ, nihil vetat, vel ipsiusmet Augustini, & aliorum patrum, Hieronymi præcipuè exemplo, quorum non ad moniales modo, sed & ad viduas, & ad nuptas quoque tot extant omne genus scripta.

Mulierum charitas qualis esse debeat

Sed de huiusmodi literis nimium quàm pro litera præsenti. Et hunc ergò accusatiuum *Adolescentulas*, Græci omnes Latiníque quidam, & quidem melius, ad verbum σωφρονίζωσι referunt, vt intelligas mandari fœminis natu grandioribus, vt iuuenculas sobrias, pudicas, ac moderatas reddãt, Hieronymo, ad castitatem erudiãt, Ambrosio, simpliciter instituant, ad ea nimirũ quæ sequũtur, hoc est, quæ, quas, quid, siue quã prudentiam doceant. Quod & vertit Origenis Latinus interpres, fortè Hieronymus, Hom. 6. in Esaiam, suo quidem more scripturã torquẽtis, non tamen nihil ad hanc literam facientis, præsertim cùm anus quidam hic Ecclesiæ ministras acceperint, De iis (ait ergò) quæ constituuntur in Ecclesiis viduæ, Si sanctorum pedes lauit, inquit Paulus, 1. Tim. 5. quo autem modo vidua lauat sanctorum pedes, audi Paulum alibi constituentem viduis, & dicentem, Bene docentes, vt pudicas efficiant adolescentulas, lauantes sordes pedum, & hæ viduæ ecclesiastico honore dignæ sunt, quæcunque sanctorum pedes lauant sermone spiritalis doctrinæ, sanctorum verò non masculorum, sed mulierum, vt ad castitatem suadeant, non adolescentes, indecens quippe est vt mulier magistra viri fiat, nec id Paulus alibi permittit: sed *Adolescentulas*, hæc ille. Et has ergo Apostolus subiicit mulieribus ætate prouectis, de ætate enim simpliciter loquitur, non de filiabus, vt quælibet

Sanctorum pedes lauare

natu grandior, iuniorem quasi filiam suam regat, moderetur, castiget, erudiat ac doceat, primùm castitatem, hæc enim omnia cum significet σωφρονίζειν, postremum Hieronymus virginitati ad suspicionem vsque fauens, legit, & exponit. Et quòd solius doctrinæ quæ domi traditur, participes Apostolus vetulas fecerit, manifestant quæ sequuntur, *vt viros suos ament*, Ambrosio, quod idem est, viros suos diligere, non alienos, minimè omniũ mœchos, vel ideo dicit, ne si quæ tum continentes erant, maritos suos non diligerent, aut etiam religionis prætextu relinquerent, hoc in causa foret, vt verbum Dei tanquam dissidium prædicans, culparetur, & malè audiret prædicatio. Sic Hieronymi, Primasij, & Theodoreti Scholia.

Digreßio. 6.

Primùm igitur doceant domesticorum bonorum omnium caput ac præcipuum fundamentum, coniugum inter se amorem ac per omnia consensum, nihil hoc magis necessariũ, nihil hac re maius aut melius, aut etiã vtilius, præstat id nobilitati, opibus, & potentiæ, nam si hæc adfuerint, sequuntur & alia bona, pax domus & prosperitas, facultatum quod satis erit, imò & abundantia, & nihil triste continget, vt capite corpori cõnexo, & pacatis principibus mẽbris, sana omnia, infirmitas nulla, sic

Coniugum inter se consensus, domesticorum bonorum caput

amãtib⁹ se inuicẽ cõiugib⁹, reliqua in pace sũt, nulla ibi seditio aut dissensio. Ea quippe vis dilectionis, vbicunque fragrantiæ illius aspirat odor, nihil illuc ingratum irrumpit: vt è contrario eis ab inuicem dissentientibus, nihil pacificum aut salubre, nihil non triste, ingratum, iniucundum, vbi coniugalis abest amor, cætera nutat familia, & quæcunque affluebãt, diffluũt, ac pessum eunt. Sic optimè Græci. Eleganter Chrysostomus, seu quisquis editionis secundæ autor est in Matth. Hom. 42. & 26. ex variis in eundem locis. Ecce si vir vxorem habeat, quomodo cognoscitur plena eius dilectio? Si ea neminem viro suo sapientiorem, fortiorẽ, formosiorem reputarit, & si alter sit sapiẽtior, fortior, formosior, non ea tamen id intelligere debet, aut coram eius oculis talis alter apparere. Perfecto enim amore vt & odio, nõ agnoscitur rerum indicium, vt puta, Si quem perfectè oderis, qualiacũque apud eum fuerint, omnia tibi displicent, quæ dicit agitvè, verè licet bona, tibi tamen mala videbuntur. Sic & si quem perfectè ames, quæcunque apud eum sunt, tibi placent, quæque loquitur facitvè, mala licet, bona tamen tibi apparebunt. Ergo si quem alium videns vxor, aiat, quàm sapiens vir! vtinam meus talis esset, iam eius amor minus habet de perfecto amore, & pro quanta parte aliquid amplius in altero quàm in suo viro laudauerit, tantò eius dilectio minor erit

Vxoris erga virum dilectio vt cognoscatur.

Odij perfecti indicium.

ad virum suum. Tum hanc similitudinem accommodat ad animæ Christianæ erga sponsum Christum dilectionem, quem sic diligere debet, vt nihil in mundo vel in tantum, vel amplius, quo enim plus aliquid aliud vel tantum amauerit, hoc Deum minus amaret. Et verò amor coniugialis, radius quidam est diuini inter Christum & Ecclesiam amoris. Obiicit Hieronymus, Quæ doctrina est amare viros, cùm hoc in corde amantis, non in eloquio docentis constitutum sit? Vult eas (inquit) amare viros suos castè, pudicam inter coniugatos dilectionem esse, Reliqua huius hîc, mox non omittam in verbo [Castas] Quos igitur naturali diligunt affectu, pudica etiam dilectione ament, & sicut seipsas ament. Sunt enim vir & vxor vna caro, nedum vna anima, vt Pythagorea amicitia, sed quod plus est, vnum corpus. Mulier ergo diligens corona est viro suo, Prouerbiorum duodecimo, & Ecclesiastici vigesimoquinto, In tribus beneplacitum est spiritui meo, quæ coram Deo & hominibus probata sunt, horum tertium est, vir & mulier bene consentientes. Et sanè cum inter omnia vel naturæ, vel iudicij, vel vtriusque fœdera, nullum sit arctius vel sanctius coniugio, quod nimirum tantam omnium communionem, eámque perpetuam sic inducit, sic corpori corpus, animum animo connectit, vt è duobus hominibus videatur vnum reddere, præcipua eius pars est animorũ con-

Vir & vxor, vna caro, nedum vna anima.

iunctio, proinde qui corpora iungunt, animis diffidentes, si non in stupro, quod durius dixit Erasmus in Matrimonij institutione(è qua bonam eorum, quæ hîc præter literam dicturi sumus, partẽ excerpsimus, spinas vitãtes, botros carpentes) certè in contubernio verius viuunt, quàm in connubio, Quales qui libidinis aut honoris, aut opum gratia ineunt coniugium, aliter non inituri, hæc potius amant quàm cõiuges. Non enim qui ex voluptate conuenerũt, sed qui secundum legem ex charitate consenserunt, sanctis cohabitare nuptiis dicuntur, ait Cyrillus lib.2.cap.88.ad id Ioan. 4. Christi ad Samaritanam, eius responsum probantis, quòd dixerit virum se non habere, quæ iam multis adhæserat, *& nunc quem habes, non est vir tuus*. Quales (vt id obiter dicam) in Lituania matronæ nobiles publicè more patrio concubinos vnum pluresvè permittentibus viris, & pro eorum facultate domi habent atque alunt, qui negligente marito matrimonij onera subeant, quos etiam connubij vocant adiutores. autor est Pius 11.in Europa, cap.26.& Scholiorũ in Antoniũ Panormitam li.4.nota.8.Munsterus in Lituania, lib. 4. Cosmographiæ. Ad Apostolum redeo, qui alibi præcipit vxoribus, vt viros timeant, vel magis reuereantur, Eph.5. 1.Petr.3.in timore, vel potius reuerentia(timor enim malus custos, nisi castus) castam conuersationem hic vt amẽt, Exempla vel poëtica vel historica studiosi norunt ex Valerij Max. de

Coniuges quomodo cõuenire debeant.

Lituaniæ matronæ nobiles.

Connubij adiutores.

amore coniugali,li.4.cap.6. Baptista Fulgoso, eodē titul. Plutarchi & Bocatij claris mulierib. Francisci Barbari de re vxoria libellis duobus. Eurydice Orphei, Andremache Hectoris, Alcestis Admeti, Penelope Vlyssis, Euadne Capanei, Hi permestra Lini, Laodamia Protesilai, Artemisia Mausoli, Cassandane Cyri, Armenia Tigranis, Cania Sinati, Testa Polyxeni, Æmilia Scipionis, Hipisicratea Mithridatis, Pāthea Abradalij, Iulia & Cornelia Pompeij, Stratonica Deiotari, Portia Bruti, Phila Demetrij, Triaria L. Vitellij, Paulina Senecæ, Annia & Valeria, Romanæ, Lacænæ, Myniades, Indicæ, & si quæ aliæ vel virorum ingeniosæ seruatrices, vel iis superuiuere nolentes. Venio ad effectum peræquè vt naturalem, sic & Christianū, *filios suos diligant*, hic probarem quod Aquinas notat dictum hic maritos amare, liberos diligere, quasi sit amor ad viros, ad filios dilectio, quia affectus ille feruentior, hic naturalior, nisi Paulo idem verbū esset, φιλάνδρους καὶ φιλοτέκνους. Ambrosius quoque è cōtrario quàm vulgatus interpres, viros diligere, & idē cum Hieronymo, filios amare, verterunt. Et hoc igitur naturale est, & vnum oritur ex altero: qui enim radicem patrē diligit, qui non fructus quoque, siue ramos, liberos diligeret? Omni ergo solicitudine foueāt filios suos matresfamilias, & amēt non amore tantùm carnali corpora nutriendo, sed & quidem multò magis spirituali, animas bonis moribus informando, in disciplina vti-

Diligere *Amare.*

que ac correptione Domini, Eph. 6. hos enim ita diligunt, si in Dei disciplina erudiunt, Quos è contrario nolle contristare, docendo quæ bona sunt, & libertatem peccandi tribuere, nō est amare, sed odisse, Qua in re Christianis in oīe est infœlix cum tota domo pater Heli, 1. Reg. 2. 3. 4. profanis Seleucus, qui Stratonicē coniugem sibi charissimam Antiocho filio depereunti, nouercam nupturam, hoc est, incestandam cedere non dubitauit, Plutarchus in Demetrio, Sissēlius de Successoribus Alexandri, lib. & cap. 5. Valerius lib. 5. cap. 7. de Indulgentia parentum erga liberos. Cœlius lib. 11. cap. 17. Artaxerxes Aspasiam vxorem filio Dario cedere pollicitus, sed mox pœnitēs. Cap. 8. pater alius nobilis fœminæ in filio amorem perditum cōcubitu meretricio restinxit. Quartus quoque Patauinus filio hac licentia fastidium veneris attulit, & libidinem exhausit, Franc. Barb. lib. 1. cap. 5. Et apud Fulgosum eodem titul. matres referuntur liberorum quàm par sit amantiores, Antistia Pompeij vxor, & quædam innominata Arantij coniux, in fabulis Niobe, Hecuba, Auctolia, nimio propter liberos præmortuos luctu, sed & quę è contrario propter sospites gaudio exanimatæ eidem Valerio, lib. 9. cap. 12. Liuio lib. 22. Gellio lib. 3. cap. 15. & quotquot parentes dies totos precari & immolare soliti, vt sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi ideo appellati, Ciceroni lib. 2. de Natura Deorum, Lactantio

Amor inept⁹ & stultus.

Vxores suas aliis cedētes mariti.

Matres, filiorum quā par est amā tiores.

Superstitiosi

lib.4.cap.28.Et quantus ſit parentum erga liberos affectus, adhuc aliquot exemplis nobis conſtiterit.In bello Iudaico Matthias pontifex populo fidelis & charus à Simone Latronum principe cum tribus filiis interficiendus, non vitæ vſuram,ſed mortis celeritatem,naturæ ordinem,vt prius occideretur,precatus,ne filiorũ neces ſpectaret,nec eorum ſuperſtes eſſet funeribus, funus ipſe mox futurus,quod vel pietas exigebat,etiamſi non rogaret, non tamen impetrauit, nec ſuprema quidem liberis oſcula dare, nec in vltimo eos cõplexu ſuſcipere permiſſus,vt augeretur eius,hoc eſt, paternus dolor,nouiſſimus interfici iuſſus eſt,Ioſepho li.6. cap.15.Egeſippo lib.15.cap.22.Iuſſit ergo pater liberos ad mortem præire, exemplo conſtantiſſimæ Machabęorum matris, quæ apud eundem Ioſephum peculiari libello,& 2.Mach.7. morientes filios complectentes ſe inuicẽ fratres prius intuita,ſupra ſuorum ſe volutãs ſanguinem,

Matthiæ pontificis calamitas.

Machabæorum matris fortitudo.

Et renouans veteres per tot noua funera partus,
Natorum in mediis mox inuenienda ſepulcris.

imò tot triumphis,quot filiis lætabũda, nouiſſima nõ magis ad volũtatis Regię perſuaſionẽ, quã ad cruciat⁹ materni augmentũ ſeruata,pręmiſſa velut pignora nouiſſimo loco martyrij quoque morte ſubſecuta,tantò liberorũ amãtior,quãtò fuit Dei magis amans. Nõ abſimile omnino eſt,quod in clade Theſſalonicẽſi ſub Theodoſio maiore contigit. Mercator quidã

cum duobus filiis captus, & vt incolumes ser-
uarentur, precabundus, seipsum ad necem ob-
tulit, pretium prætereà quantum auri haberet,
militibus pollicitus, ab eis casum viri & cala-
mitatem miseratis, alterum quem vellet, redi-
mere iussus, cũ paterna pietas & natura in vtrũ-
que respectaret, flens & lamentãs, vtrũ optaret,
decernere non potuit: Sic animi ambiguus, &
vtriusq; ex ęquo amore victus, dum cunctatur,
vtrunque miser perdidit militari ferro cæsum,
Nicephor. lib. 12. cap. 40. post Sozomenũ li. 7.
cap. 24. Non omittendus hic matrum propter
Innocentes ab Herode cæsos ploratus & vlu-
latus mult⁹ & inconsolabilis, Mat. 2. Hier. 31. &
irremediabiles lacrymæ Annæ filiũ absentem
insolabiliter mœrentis. Aspectum (ait ad virum
Tobiã seniorẽ) filij nostri in diuitiis deputasse-
mus, vt quid amandauimus à nobis lumen ocu
lorũ nostrorũ, baculũ, seu scipionem, senectutis
nostræ, vitæ solatiũ, spem posteritatis? Tob. 10.
Et hæc prolis spes scilicet ac successionis vel so-
la, vel præcipua debeat ad castum matrimoniũ
inuitare. Et nunc (orabat Tobias iunior) Domi-
ne, tu scis quòd non libidinis causa vxorem du-
co, sed sola posteritatis dilectione, in qua be-
nedicatur nomen tuum, Tob. 8. vt vel ipso sta-
tim matrimonij vocabulo taxentur, qui alio fi-
ne connubunt, quàm vt vxor facta mater,
marito patris nomen conciliet, Et hinc enim
veteres maluerũt matrimonium vocare quàm
patrimonium, quoniam eandem quidem pro-
uinciam

Mercatoris cuiusdam mira pietas.

Tobiæ senioris pietas in filium.

Tobiæ iunioris castitas.

uinciam gerunt maritus & vxor, ſed habet ſuã vterque functionem, nam domeſtica res eſt gignere,nutrire,educare, teneram ætatem inſtituere,& hæc peculiaris eſt matrisfamilias intra parietes priuatos adminiſtratio,maritus foris vel in foro,vel in Republica,vel negotiatione verſans, auget patrimonium, vxor parta ſeruat ac diſpenſat,domi(vt mox infrà Paulus ait)familiam curat, & liberos præſertim teneros,qui materno magis indigent ſolatio,quàm paterno,& quidẽ ante partum matribus onerosos,in partu doloroſos,poſt partum laborioſos,vnde legitima maris & fœminę coniunctio matrimonium magis nuncupetur,quàm patrimonium,in Cap.Ex literis.de conuerſione infidelium,Extra. Sed de hoc nuptiatũ fine nos plura ad id.1.Tim.4. [prohibentes nubere] & 5.[filios procreare].Hîc addemus quæ tum vel non occurrerant, vel exciderant. Ecquo ergo modo matrimonium iuxta propriam &exactã eius rationem extat vel inter effœtos ſenio, vel inter deploratæ ſterilitatis homines? Etenim hodiéque non deſunt, qui ſcientes ducunt ſteriles,modò bene dotatas,non ducturi, ſi parituras ſcirent,nec vt rem habeant, ſed dotẽ auferant,& ſibi mutuò inſidiantur,puella tenera ducitur à ſeptuagenario,ita cùm parẽte magis, quã cũ viro dormitura,quódque etiam multò abſurdius eſt,ſexagenaria nubit iuuẽculo,quaſi ſic à filio potius quã marito ineunda. Fœda ſanè vtrinq; ſpecies,ſed poſterior multò fœdior,

Sterilium & effœtorũ matrimonia.

Nam ſenex quidem ex puella pater, non item anus ex iuuene mater eſſe poteſt: adeo vt talibus Lex Papia (citante pręter teſtes à nobis ibi citatos, Seneca in libris moralis Philoſophię, hodie non extantibus, Lactãtio, li.1.cap.16.) Fibulã impoſuerit, ad coërcenda ſcilicet eorum genitalia. Sed hanc à profanis principibus impoſitam Chriſtiani ſuſtulerunt, & quæ eſt humana tum infirmitas, tum incontinentia, hoc coniugiorum genus excuſat, non prorſus reiicit, adhibita diſtinctione finium, principalis & ſecundarij, Cuiuſmodi eſt obſequiorum mutuorum commoditas. Atqui vbi non ſubeſt finis primarius, qui locus ſecundario eſſe poteſt? Quis enim contractus, ſi vel vbi ſic dicitur, Capio te in meum meamvè, hoc animo vt nè mihi liberos generes? Sed matrimonium etiam ſanè ſit, quod conciliarint aliæ cauſæ, non honeſtæ modò, vt inimicorum reconciliatio, pacis redintegratio, ſolatium & ſubſtentatio: ſed etiã inhoneſtæ, libido, voluptas: vel certè minus honeſtæ, pulchritudo, quanquam & hæc Dei donum, ſed plerunque fallax gratia, vana pulchritudo, Prou. 31. Finiat hoc propoſitum S. Monica magni Aug. filij mater, & Patritij viri vxor amantiſſima, vtrunque Chriſto lucrata, Confeſſ. lib.3.cap.11.12. vt ille filius eius lacrymarũ diceretur, lib.5.cap.7.9.lib.6.cap.1. li.9. cap.5. Poſidius in eius vita ca.2. Quæſtus itẽ lucrum, diuitiæ, vt conſentiũt doctores in 4. Diſt. 30. tanta ſacramenti vis eſt, vt nec finis id non

Legis Papia fibula.

Monica diui Auguſtini mater.

bonus, nec mala vita, nec intentio peruersa cõtaminent. At distinctione sequenti Augustinus ex libro de bono coniugali cap. 5. Sicut cũ mas & fœmina soluti, propter incontinentiam solius concubitus causa copulantur, hac tamen fide media, vt neuter cum alio id faciat, prolis tamen generationem, non ea licet causa coniuncti, non sic vitauerint, vt filios vel sibi nasci nolint, vel etiam opere aliquo malo ne nascãtur, agant, vt talium (inquam) hominũ vsque, inter se placitum, posse quidem fortasse appellari connubium scribit, Ita si vel vtrunq;, vel vnum horum desit, ingenuè fatetur nõ inuenire se, quemadmodum has nuptias appellare possimus. Certè non aliunde vel sæpius, vel acrius idem Manichæos flagellauit, quàm quia hoc in coniugio maximè detestarentur, quòd filij procreantur, ita illi suos auditores, dum cauerent ne fœminæ, quibus miscebantur, cõciperent, etiam vxorum adulteros faciebant. Ducunt enim (ait) eas ex lege matrimonii TABVLIS proclamãtibus, LIBERORVM procreandorum causa, ad explendam autem tantũ libidinem, fœminis impudica coniunctione miscentur, filios inuiti suscipiunt, propter quod SOLVM coniugia copulanda sunt: hoc autem de nuptiis ablato, vnde sunt nuptiæ, mariti erunt turpiter amatores, meretrices vxores, thalami fornices, soceri lenones. Vxores enim ij non ad matrimonij fidem, sed ad concupiscentiæ crimen, habendas

Coniugia propter prolẽ solum copulanda.

censebant,cùm matrimonium cõtrà ex eo appellatum sit,quòd nõ ob aliud fœmina debeat nubere,quàm vt mater fiat. Lex enim æterna, id est,creatoris omnium voluntas, conseruando naturali ordini consulens, non vt satiandæ libidini seruiatur, sed vt saluti generis prospiciatur, ad prolem tantummodò propagandã, mortalis carnis delectationẽ dominatu rationis relaxari siuit:ij è cõtrario,prolem ante omnia deuitari à concumbentibus iubebant, & vnam(præcipuam) nuptialis conuentionis honestatem,vt mares & fœminæ liberorum procreãdorũ causa copularẽtur, hoc crimẽ maximum reputabant, cum præcipuè concubitum detestantes,qui solus honestus & coniugalis, quem matrimoniales quoque TABVLÆ præ se gerunt, liberorum inquam causa, ita non tã concumbere,quàm nubere prohibentes:Concumbitur enim etiam causa libidinum,nubitur autẽ,non nisi filiorum. Propagationis autem concubitum,qui solus propriè nuptialis est,vehementius ij accusabant, meretricum scilicet more,quæ dant operã ne concipiant, vt ab officio pariẽdi liberæ,libidini seruiant. Hæc passim contra Manich. & Faust.li.15.19.22.30.ca. 7.26.30.&.50.6.Secundinum,cap.21.& contra Pelagium & Cæleſt.lib.1.2.ca.38.4.toties vnũ matrimonij finem faciẽs, generationis officiũ, non tamen tam vnum,quàm primarium: est enim & finis secundarius,intemperãtiæ remedium.Tertium item adiicit bonum coniugale,

Nuptiæ quare institutæ.

Meretrices concipere nolunt.

Bonum coniugale.

lib. de hoc bono, cap. 3. naturalem in diuerso sexu societatem, alioqui non iam diceretur cōiugiū in senib⁹, prę sertim si vel amisissent filios, vel minimè genuissent. Nūc verò in bono licet annoso cōiugio & si emarcuit ardor ętatis inter masculum & fœminam, viget tamē ordo charitatis inter maritum & vxorem, si seruatur fides honoris & obsequiorum inuicem debitorum ab alterutro sexu, etiam languescentibus & propè cadauerinis vtrinque membris. At ego de talibus matrimoniis non loquor. Nihil enim æquius, quàm vt qui vnà sunt iuuenati, vnà quoque consenescant. Sed nunc mihi res est aduersum eos, qui primùm connubunt, vtnè congenerent, vetulas præsertim, quarum ætas geniturę tantum, non etiam luxuriæ modum fecerit, vt cum Messalina lassentur magis, quàm satientur. Quanquam & superiores illi quantò plus honestè cum Sara inuicem excusarent, postquàm consenuimus, voluptati operam dabimus? Gene. 18. Et hæc quidem magis fortè ad parentes τεκνογόνους, 1. Tim. 5. quàm ad φιλοτέκνους, sed præterquàm quòd si affectus consequentes sunt, illic nobis omissa, hîc, loco, credo, non alieno sarta sunt. Quæ igitur hodie matrimonia vetulę subantes, nec aliquid minus quàm fœtificare vel volentes vel sperantes, & auari viri tales bulgas ad ditescendum, aut quiduis potius quàm ad prolis propagationem, contrahunt, meritò, sanè populi salibus & dicteriis flagellantur.

Vetulæ genituræ modum faciunt, non luxuriæ.

Quos euehit optima summi

(ait Iuuenalis Satyra.3.)

Nunc via processus, vetulæ vesica beatæ,

Qui sectātur anus. ô quantum cogit egestas! Martial. lib.11. Epigrammate 88. Quid, ait Seneca (citāte ad finem lib.1. in Iouinianū Hieronymo) de viris pauperibus dicam, quorum in nomē mariti, ad eludendas leges contra cælibes latas, pars magna cōducitur? quomodo potest regere mores, præcipere castitatem, mariti autoritatem tenere, qui nupsit? His certè non nubit mulier, sed ipsi nubunt mulieri, serui matronarum magis quàm mariti.

Vxorem quare locupletem ducere nolim,

Quæritis? vxori nubere nolo meæ. ait idē qui paulò antè poëta li.8. Epigr.12. Talis inducitur Chremes in Phormione Terentiana, Facessat igitur calumnia, Hìc verū appello matrimoniū, quod non tantum legibus ratum est, aut moribus, sed veris quoque conglutinatur affectibus. Nō verò qualibus conuenientes maritos nomine tenus ex Seneca paulò antè Hieronymus vocat, maritos etiam negat Augustinus, qui sunt maritorum indigni nomine: Quales qui non tantùm non propagandæ prolis causa concūbunt, sed huius quoque libidinis causa, prolis propagationi malo vel opere vel voto obsistūt: Qui hoc (ait) faciunt, quamuis vocentur, coniuges non sunt, nec vllam nuptiarum retinent veritatem, sed honestum nomen velandæ turpitudini obtendunt, quæ occulta manifestæ

Matrimoniū verum.

Mariti nomine tenus

crudelitatis conuincitur, cùm aut sterilitatis ve nena procurant, aut fœtus conceptos intra viscera extinguunt, aut fundunt, volentes prius interire quàm viuere, aut in vtero iam viuentes occidunt antequam nascantur, in lucem etiam claram tenebrosa proditur iniquitas & libido, quando eousque progrediuntur, vt exponant filios qui nascuntur inuitis, oderunt enim nutrire vel habere, quos gignere metuebãt. Prorsus (inquit) si ambo tales sunt, coniuges non sunt. Et si ab initio tales fuerũt, non sibi per cõnubium sed per stuprum potius conuenerunt. Si autem non ambo tales sunt, audeo dicere, aut illa est quodammodo meretrix mariti, aut hic adulter vxoris. Hæc ad Valerium, de Nuptiis, lib. 1. cap. 15. Et cap. 17. In nuptiis ergo bona nuptialia diligantur, Proles, non vt nascatur tãtùm, sed & renascatur, nascitur enim ad pœnam, nisi renascatur ad vitam. Fides, non tantũ qualem habent inter se etiam infideles carnẽ zelantes, Quis enim vir quanlibet impius vult adulteram vxorem: aut quæ mulier quanlibet impia vult adulterũ virum? hoc in connubio bonum est naturale quidem, carnale tamen: Sed Christi membrum coniugis adulteriũ coniugi debet timere, non sibi, sed à Christo separare fidei præmium, quam exhibet coniugi. Sacramentũ verò etiam sterile coniugiũ tenet iure pietatis, iam fœcũditatis spe amissa, propter quam coniuncti fuerant. Habes quo sensu sit

Nuptiarum adulterinarũ velamen, & mala.

Bona nuptialia.

aut non ſit inter ſenes aut ſteriles connubium. Verè tamen per me contra hanc licet, quando ea non reſcindit Eccleſia, quæ tam alioqui mul ta tolerat, ſed & legibus quoq; rata ſunt, equidem non reiecero, non tamen nihil cum Manichæis (hoc eſt, vt hæreticorum, ſic maritorū impuriſſimis) ſimile faciunt, licet non ſimili de cauſa: Illi quidem ob multiplicem hęreſim, hi propter malum nec vnum, nec ſimplex, aua ritiam nimirum, Idololatriam Paulo nō ſemel vocatam, Eph. 5. Col. 3. verè ac rectè, non teme rè nec hyperbolicè ſic vocatam, interprete ſanctiſſimo viro Chryſoſtomo, Homil. 64. ſuper Ioannem. 7. ad Rom. 18. ad Epheſ. 20. & 25. ad Hebr. vt quibus, viro quidem aurum & argentum, vxori venter idolum, imò Deus ſit, Phil. 3. Redeamus ergò ad Pauli literam, hoc eſt, ad amicitiam tum coniugalem, tum maternam, & vt ita loquar, filialem, de qua ſic Eraſmus vbi ſuprà, vtinam tam innoxiè ibi reliqua, Iam & liberi (ait) communes ſi contingant, adamantinis vinculis aſtringunt coniugum inter ſe beneuolentiam, quo enim chariores illi his erūt, & maiorē in illos pietatis affectū hi gerēt, hoc min⁹ offēſarū inter hos coaleſcet: Qui ſolo du ctu naturę viuebāt, liberos appellarūt pignora, quaſi ad cōfirmationē cōtract⁹ aut fœderis. In quē vſum & obſides à principibus, quos habēt chariſſimos, dātur & ſumūtur, in quos ſæuitur interdum, ſi fides alterutrius eluſerit. At natura quantò ſanctiora pignora cōmenta eſt, cùm

Eraſmus.

Filij quare appellati pignora.

vxor gignit marito, vterque alteri dat obsidem in quo spiret vterque, veluti duobus in vnum conflatis, quod vtrique sit charius quã ipse sibi: hac arte maritum vxori, ac vicissim vxorẽ marito dedit obsidem, vt iam distrahi nec velint propter insitam erga liberos charitatem, nec possint, quòd liberorum possessio sit indiuisibilis. Verba diuertentium sunt, Tua tibi habe, at cùm ventum erit ad liberos, cui dices, Tua tibi habe? hîc neuter sua sibi habere poterit, nisi simul habeatis, quod ambobus ex æquo cõmune est. Et hîc contemplari licet miram naturæ solicitudinem, simul in eodem duos vel vultu pingentis, vel corpusculo repræsentantis. Illic agnoscit vxoris imaginem maritus, & mariti simulacrum vxor, interdum relucet aliquod auitæ figuræ vestigium, interdum aut propatruũ aut proamitam expressam dicas, quo pluribus argumentis tibi commendaretur pietatis erga liberos affectus. Proinde qui ad hunc naturæ affectum obsurduerunt, homines esse, nedum Christiani desierunt, infra brutorum naturam degenerantes, vltra feritatem efferati. Et hanc esse causam puto, quòd nullum extet speciale præceptum, quo parentes iubeantur filios diligere, vt nemo seipsum iubetur diligere. hanc legem sic insculpsit intimis omniũ affectibus natura, vt superuacanea videatur scripta lex, præsertim humana: Id interim mirũ, nusquam extare plura officiorũ exempla, quàm vbi nulla lex est officium exigens: historici cõmemo-

Diuertentiũ verba.

Similitudo filiorum cum patre aut matre, &c.

Filios diligere nusquam praeceptum parentibus.

rant amicorum paria non ita multa, cæterùm vita mortalium ſcatet exemplis Patrum, quos non puduit ſuæ vitæ iactura liberorum vitam redimere. De Ænea legis 1.Æneidos, *Omnis in Aſcanio chari ſtat cura parentis*. Clamat Eſa. 49. Dominus, Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filij vteri ſui? Sed væ malitiæ mortalium. Inueniuntur inter Chriſtianos,quæ recens æditos infantes exponunt aut iugulant,quæ cientes abortum,necãt etiam nondũ natos. Sed hinc faceſſant portẽta verius,quàm exẽpla.Ergo ſi liberi contingunt, habetis obſides mutuæ charitatis, Sin minus, non eſt orbitas vbi viuit charitas,Sic enim Helcana conſolabatur Annam vxorem, 1.Reg.1. Cur affligitur cor tuum?Nunquid non ego melior tibi ſum,quàm decem filij?Hęc ille.Porrò quod ſub initio huius dixit, non vt officioſus eſſe poteſt,qui vult,ita poteſt & liberos ſibi dare,Da mihi (aiebat maritò Rachel) liberos,alioqui moriar, Cui ſubiratus Iacob reſpondit, Num pro Deo ego ſum, qui priuauit te fructu vẽtris tui? Gene.30. Sunt igitur & τεκνογονία, & φιλοτεκνία Dei haud dubiè magna chariſmata.

Patrum pietas in filios.

Qualiter ergò ſe matresfamilias habeãt ad maritos & liberos,hactenus dictum, proſequitur Paulus qualiter ad ſeipſas habere debeant: & tria dicit,quo ad totidẽ animæ facultates: quãtùm ergò ad rationem,*prudentes*,σώφρονας, Hieronymo pudicas,Ambroſio vtrunq;,ſed omiſſo tertio vocabulo ,*ſobrias*, ſed quia ſequitur

ἁγνὰς, *castas*, siue puras, melius hîc quadrat, vt magis necessarium, quia earum tum sexus, tum ætas, hoc est, iuuentus, contraria est prudentię, *prudentes*, supple esse, mentis intelligentia, vt licet corpore sint adolescentes, per prudētiæ tamen acumen bene callētes sint in gubernatione domus ac familiæ. Tribuunt & philosophi muliebri sexui solertíam, hoc est, dexteritatem quandam in consiliis extemporariis, quòd multa cogitatione negentur proficere, quēadmodum viri, quibus vehemens affectus nonnunquam excutit iudiciū: Sed & in rebus seriis habent illæ consilia interim mascula, nedum in leuioribus, quæ sunt matronalis prouinciæ, verùm vt tales contingant non est procis in manu, sed à Deo, coniugij, vt autore, sic prosperatore, petendum est. Nam domus & diuitiæ dātur à parētibus, à Domino autem propriè vxor prudens, Prou. 19. Quem quidem locum Ambrosius, seruata Græca emphasi, sic vertit, Domum & facultates distribuunt parentes liberis, cæterùm à Deo ἁρμόζεται, adaptatur vxor viro, quo verbo vtitur Paulus 2. Cor. 11. Despōdi vos vni viro ἡρμοσάμην, nec enim potest fœlix esse cōiugiū, vbi nō est harmonia, quæ nascitur similitudine morū & ingeniorū, ac mutuis obsequiis, quibus potissimū rebus gignitur alitúrque concordia. Triste iugū, vbi animorum dissidium, inamabilis cantio, quæ non habet harmoniā. Rursus Salomon, Qui inuenit mulierē bonā, inuenit bonū, Prou. 18. bonū dixit pro in

Solertia muliebris.

Concordia coniugalis.

ſigni bono, ac veluti mũdo bonorum. Græcus interpres vertit χάριτας, id eſt gratias, bonorum copiam multitudinis numero exprimens. & hauriet iucunditatem à Domino. Confirmat Syrach, Pars bona, mulier bona, in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis, Eccli. 26. Cui ergo contigit vxor prudẽs atque bona, bonam partem ſortitus eſt, ea pars non temerè datur quibuſlibet, ſed Deum timẽtibus, quíque ſibi benefactis eũ reddidere propicium. Item, Sapiens mulier ædificat domum ſuam, inſipiẽs extructam quoque manibus deſtruit, Prou. 14. & luſtratis omnibus quæ ſub cælo ſunt, comperit amariorem morte mulierem, Eccl. 7. qui tenet aut ſibi adiungit talem, quaſi qui apprehẽderit ſcorpionem. Eccli. 26. Si res tam acerba eſt vxor mala, inſipiens, cogita quàm ingens Dei donum ſit mulier ſapiens & bona. Si per tuam ergò incuriam contigit infœlix matrimonium, agnoſce culpam, & memento patienter malum ferre, quod ipſe tuo iumento accerſiſti: ſi citra culpam, tolera, quia ſic Domino viſũ ob cauſas occultas, qui te melius, nouit quid expedit ſaluti tuæ: Sin fœlix obtigit, ne tribuas humanæ prudentiæ, ſed agnoſce iuxta ſuperiorem doctrinam, eam hilaritatem tibi profectam à Domino. huic igitur tuarum nuptiarum auſpici gratias agito, Sic ſalubriter Eraſmus. Sequitur in Paulo, quantum ad vim concupiſcibilem, *Caſtas* coniugali caſtitate, corporis continentia, vt contra quam magis

Vxor bona à deo datur.

Vxor mala.

Caſtitas cõiugalis.

in ætate florenti pugnet inimicus, cuius virtus omnis contra fœminas, in vmbilico vẽtris est, Iob. 40. Et corpore ergò & mente puras se pr͛ stent, & ab aliorum etiam appetitu, nedũ concubitu abstineant. Quin mutuus corporũ contactus, qui vitari nequit, debet esse castissimus, ad prolem quoque gignendam rarus congressus vtilior quàm assiduus, & remediũ paratum est inuincibili naturæ infirmitati, non peruersæ libidini. Naturæ vsus certis terminis circunscribitur, luxus & libido fertur in immensum. Sit igitur coniugii vsus verecundus, & quantũ licet, virginitati simillimus, vt cum pudore & verecundia, & quasi necessitate sexus, reddat vxor potius viro debitum, quàm exigat. Opera liberorum ante Dei oculos (quod hîc sanctissimè monet Hieronym⁹) perpetrare se credant, ita erubescent secretum etiam cubile, noctium tenebras, clausum cubiculum, cùm omnia patere Dei oculis cogitarint. Quãtò (quod ait Augustinus de bono coniugali, cap. 3.) meliores, tantò maturius à cõmixtione carnis suæ pari consensu, se continere cœpturi. (Sed de hoc nos amplissimè lib. 5. de Cõtinentia.) Animorum enim ritè coniugatorum tantò syncerior quantò probatior, & tantò securior, quantò placidior castitas perseuerat, vt merito ibidẽ cap. 5. indignetur matronis iure suo intemperantiùs vtentibus, & viros plerunque continere cupientes, ad reddendum carnale debitũ cogentibus, non desiderio prolis, sed ardore con-

Debitũ coniugale magis vxor reddat quàm exigat

cupiſcentiæ,in quarum tamen nuptiis bonum eſt hoc ipſum quòd nuptæ ſunt, & ad hoc nuptæ,vt concupiſcentia ad legitimum vinculum non deformis & diſſoluta fluitet,habens de ſeipſa irrefrenabilem carnis infirmitatem,& progreſſum immoderatè cōcūdi,de nuptiis indiſſolubilem fidei ſocietatem,& modū caſtè procreandi. Etſi enim turpe eſt libidinoſo vti velle marito,honeſtū tamen eſt nolle miſceri niſi marito. Adeóq; caſtitas eſt,quod Hieronymus non ſine ſuſpicione,nec ſine temporis ſui clericorum calumnia ſcripſit Gerontiæ,in eo laudabiles qui renubunt, viduas quidem, quòd vni viro ſint proſtitutæ,non pluribus,viros autem, quòd cum vna muliere magis volutentur, quā cum pluribus. Quem ſecutus Eraſm⁹, petæquè parum, iudicio quidem meo, reuerēter ſcripſit in virginis & martyris comparatione, mundi virgines,dū nubunt, ætatis florem marito proſtituere. Mirum ſi alibi vſquam apud bonū autorem hoc vocabulum in partem niſi malam accipiatur. Et caſtæ igitur matrisfamilias eſt, debitum reddere magis quàm exigere, & viro reddere,non officij tantum,ſed remedij gratia. Lacæna quodam interrogante num adhuc ad virum acceſſiſſet, Non ego (inquit) ſed ipſe ad me. Hoc Plutarchi præcepto connubiali 18. in matrona eſſe debet,vt neque rem vitet,nec ægre ferat incipiente marito,nec prior tētet,hoc impudentis,ne dicam meretricis,illud faſtuoſæ,nec virū amātis. Rara ſana mulier Zenobia

Hieronymus taxatus.

Eraſmus taxatus.

Virū mulier ne prouocet.

Zenobia Palmyræorum reginæ pudicitia.

Palmyræorum regina, quæ Trebellio Pollioni nec virum quidem suū nouit, nisi tentatis conceptionibus, nam cùm semel concubuisset, expectatis menstruis continebat se, si prægnans esset, sin minus, iterum potestatem quærendis liberis dabat, longè dissimilis Iuliæ Augusti filiæ, quæ nisi naue plena nunquam vectorē tollebat, Semproniæ Salustio in Catilina, libidine sic accensæ, vt sæpius viros peteret, quā peteretur, aut etiam Saüli vxori, virum vltrò rapienti, 1. Reg. 20. Negauit poëta vllam negare, si fortè minus daret, & castam esse, quam nemo rogarit. Dixit alter partes rogantis acturā, si conueniret maribus non antè rogare. Vtriusque carmen plus satis notum. Dixit & in Clio Herodotus, mulierem cum tunica simul & pudorem exuere. Dixit item quædam Macedoni Philippo mulier, Lucerna sublata vel extincta, omnem mulierem eandem esse, nihil inter eas interesse. Quid hi sibi volunt scriptores, quàm omnes homines, se verò in primis, scortorum esse natos, ac proinde nothos? Non igitur rectè illi, nisi fortè de vulgo mulierum, vel meretricum potius. Contrà enim modesta, cùm vestem exuit, pudorem induit, summúsque tum pudor, tum amor mutuo sese testimonio argumentóque indicant, nuptam enim decet remoto lumine non cuiusque mulieris similem esse, sed tum maximè modestiam, moderationem, & amorem erga virum præ se ferre, ac se illius esse propriam ostendere. Plu-

Iulia Augusti filia impudicitia.

Mulieres impudica.

Nocturnus pudor.

tarchus præcepto 9. & 48. Quid quòd noctu prorſus enudari vetat Heſiodus? quoniam & Deorum (ait) immortalium noctes etiã ſunt. Pudorem igitur omni loco ac tempore tueantur, vt vel per tenebras marito moratæ videantur. Sic enim res in matronis bene inſtitutis, vt cùm tuniculam vel intimam poſuerint, tũ maximè ſibi matronalem ſumant verecundiam, & luce remota vel reſtincta, reuerentius agant cum maritis, cogitantes ſe tum maximè in eorum eſſe poteſtate. Nec verò maritus putare debet, thalami locum nequitiæ conſecratum, ſed modeſtiæ potius ac pudicitiæ templũ. Stultiſſimè quidam vxori, amaſius tamen magis quàm maritus, *Lucretia toto*

Sis licet vſque die, Thaida nocte volo. Hoc eſt, amicam potius quàm coniugem. Grauiſſimè cõtrà Plutarchus præcepto vltimo, Maritus (ait) nihil minus vxorem vereri debet, quàm ſi thalamus officina modeſtiæ non intemperantiæ ſit futurus: Qui enim voluptatib⁹ fruitur, à quibus eam coërcet, nil ab eo differt, qui vxorem cum hoſtibus pugnare iubet, quibus ſeipſe dedidit. Commodus Imp. apud Spartianum, vxori de extrariis voluptatibus cõquerenti, reſpondet, vxorem dignitatis eſſe nomen, non voluptatis, imò & voluptatis, Cõmode, ſed tui diſsimilibus maritis, hoc eſt, pudicis, qui cupiditatem non vt tu, per alias exercent. Et huius igitur permiſſæ caſtæque voluptatis conſcius lectulus, ſit idem precum viro cum vxore communium

Noctes etiã deorum ſunt

Thalamus officina modeſtia.

Vxor, dignitatis nomen.

Lectulus coniugalis.

munium, serò, cùm cubitum itur, mane, cũ surgitur, etiam conscius. Immaculatus lectulus, Hebr. 13. Et habet ille quidem cõtactus corporum crassius quiddam, parúmque rebus spiritalibus congruens, propter quod Paulus optabat omnes suiipsius vt similes essent, hoc est, continentes, 1. Cor. 7. sed exigere non audebat, ne infirmis occasionem grauioris ruinæ daret, Ius enim coniugii perpetuũ est, relaxatio iuris conceditur, non imperatur, Secundum indulgentiam dico (ait) non impero: proinde quotidianæ quidem fidelium preces non interrumpũt, nec impediunt cõiugii vsum, Sic enim cũ quotidie orandum sit, & omni die de Deo meditãdum, nullo die coniugio seruiendum foret. At commodum esset & congruum, quoties vel tẽpus vel animus ad purius & magis seriò orandum hortatur, id temporis ex consensu & condicto continere, vt quibus diebus Ecclesia vel nuptias celebrare vetat, vel Eucharistiam iubet sumere, vel ieiunia, publicasuè litanias indicit, vel cùm festi dies ad similem inuitant puritatem. Quanquam id quoque volentibus magis permittitur, quàm præcipitur, propter carnis humanæ lubricum. Imbecilles ergò diuinam opem implorent, vt iis largiatur cõtinentiam, vel temporaneam. Quibus autem tantus Dei dono profectus obtigit, vt coniunctionem corporum, prolis modò gratia, expetant, his abundè multùm temporis supererit ad orationes, lectiones, ieiunia, cõciones audiẽdas, reliquáq;

Corporum contactus in coniugio.

Continentia quando maximè coniugibus obseruanda.

Continentiæ quàm multa tempora destinata.

ſacra, quod in proximam Pauli literam adnotauit inter veteres Ambroſius, Si enim filiorũ (ait) creandorum cauſa ducitur vxor, non multum tempus cõceſſum videtur ad ipſum vſum, quia & dies feſti, & purgationis, & conceptus partúſque ratio, iuxta legem (Leuit. 12.) ceſſari temporibus his debere demonſtrant, hîc verò proinde cùm erit vxor grauida, quieſcetur à cõgreſſu, rurſus à partu, diebus quibus purgatur, quod etiam continendi tempus extendit Gregorius 1. quæſtione 10. ad Auguſtinum Anglorum epiſcopum. & in ca. Ad eius. Diſt. 5. donec infans ablactetur. At in menſtrui liquoris profluuio neceſſitas magis quàm religio præſcripſit à congreſſu temperandum, vetuit id Deus, lege capitali lata, Leuit. 20. hodie ſublata pœnę ſeueritate, naturæ ratio tantũ habere momenti debet apud Chriſtianos, vt eo tempore moleſtus ne ſit vxori vir, & huic quod petere non decet, petenti ea modeſtè excuſet. Sed nos de iis rebus abundè in libris de continentia & abſtinentia, ſi quando Dominus edere dederit.

Menſtruata non commiſcendum.

Sunt autem, quod vbi ſuprà proſequitur Auguſtinus, cap. 6. viri quidam vſque adeo incontinentes, vt coniugibus nec grauidis, parcãt quicquid tamen inter ſe immodeſtum, inuerecundum, ſordidumvè gerũt, vitium eſt hominum, non nuptiarum, vt & in immoderatiore debiti carnalis exactione, quam eis ſecũdum veniam, non ſecundum imperium pręcepit Apoſtolus, vbi antè, etiamſi præter cauſam procreandi cõ-

miſceantur, prauíque mores ad talem eos impellant cõcubitum, nuptię tamen ab adulterio ſeu fornicatione defẽdũt, nec enim id propter nuptias admittitur, ſed propter has ignoſcitur. Debent ergò ſibi coniuges ſexus ſui cõmiſcẽdi fidem, quam idem contra Pelagium & Celeſtium de peccato Originali lib.1.cap.37. pudicitiam etiam vocat, hanc inquam, ſibi debent coniuges, non liberos tantùm procreandi cauſa, quæ prima eſt humani generis in iſta mortalitate ſocietas, ſed etiam infirmitatis inuicem excipiẽdæ, cõtra illicitos cõcubitus, mutuã quodammodo ſeruitutem, vt ſi continentiam pręſertim perpetuam, alteri vouere placeat, niſi ex alterius cõſenſu non poſſit. Et ad hoc enim alter alterius corporis poteſtatem habet, vt quod non procreationis, ſed infirmitatis cauſa mutuò expetunt, non ſibi alterutrũ negent, ne per hoc in damnabiles corruptelas incidant, tẽtante Satana propter incontinentiam, vel amborum, vel alterutrius: Coniugalis enim concubitus generandi gratia, non habet culpam, cõcupiſcentiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, propter fidem thori, venialem habet, Adulterium autem, ſiue fornicatio, lethalem. Et capite 10. Concubitũ ergò ſecũdum veniã Paulus concedit, qui fit per incontinentiam, non ſola cauſa procreandi, & aliquando nulla cauſa procreandi, quem nuptiæ ignoſci impetrant, non fieri cogunt, ſi tamen non ita ſit nimius, vt impediat quæ ſeponi debent, orãdi tẽpora,

Nuptiarum prætextus quã validus.

Liberos procreandi cauſa, prima humani generis ſocietas.

Concubitus quis & quãdo licitus.

concubitus enim necessarius generandi causa, inculpabilis,& solus nuptialis est. Vltra quam necessitatem qui progreditur, iam libidini, nõ rationi obsequitur. Et hunc tamen non exigere, sed reddere coniugi, ne fornicãdo damnabiliter peccet, ad personam pertinet coniugalem : Cui concupiscentiæ si ambo coniunguntur, rem faciunt non planè nuptiarũ: Si tamen in sua coniunctione magis diligunt quod honestum, quàm quod inhonestũ est, hoc eis, autore Paulo, secundum veniam conceditur, cuius delicti nuptias deprecatrices habent, non hortatrices, si Dei misericordiã non à se auertant, non continendo quibusdam diebus, vt orationi vacent,& per hanc continẽtiam, vt per ieiunia, preces suas commendent. Cap. 11. Naturalis ergò vsus vltra pacta nuptialia, id est, propagandi necessitatẽ, prolapsus, in vxore venialis, in meretrice damnabilis est. Tamẽ valet ordinatio creatoris & ordo creaturæ, vt in rebus ad vtendum cõcessis, etiam modi excessus longè sit tolerabilior, quàm in incõcessis vnus vel rarus excessus, vt etiam longè minus peccet quãlibet assiduus ad vxorem, quàm vel rarissimus ad fornicationẽ, Nam in re concessa coniugis immoderatio, ne in rẽ non cõcessam libido prorũpat, tolerãda est, si non immutetur in vsum cõtra naturã, de quo Apostolus tacere nõ potuit, cũ de corruptelis nimiis immũdorũ impiorũq; hominũ loqueretur, Rom. 1. Quod execrabiliter fit in meretrice, execrabilius & dã-

Rei concessæ excessus, aut etiam abusus

Vsus contra naturam.

nabilius in vxore, cũ enim vir mẽbro muliebri non ad hoc cõcesso vti voluerit, turpior est vxor, si in se, quã si in alia fieri permiserit. Decus ergo coniugale castitas est procreandi, & reddendi carnalis debiti fides. hoc nuptiarum op⁹ ab omni crimine defendit Apostolus toties dicens, Si vir, virgo, vidua nubat, non peccat. Exigendi autem debiti ab alterutro immoderatior progressio, propter supradicta coniugibus secũdũ veniã cõceditur: Quod ergò dicit innuptã cogitare quæ Dei sunt, vt sit sancta & corpore & spiritu, non sic accipiẽdũ, vt putemus nõ esse sanctam corpore christianã cõiugẽ castã, Omnibus quippe fidelibus dicit idem, eorũ corpora, Christi esse mẽbra, Dei viui & Spiritussãcti templa, 1. Cor. 3. 6. 2. Cor. 6. Sancta ergò etiam sunt coniugatorũ corpora, fidem sibi & Domino seruantium. Neque fœmina fidelis seruans pudicitiam cõiugalem, non cogitat quomodo placeat Deo, sed vtique minus quã innupta, cũ nuptæ omnes, vel ita multæ, vt penè omnes, (cap. 12.) ex necessitate coniugij etiam cogitẽt quæ sunt mundi, vt viris placeant. Hæc ille, vsque adeò qua sumus, donec viuimus, infirmitate circundati, Hebr. 5. sententiosa est sententia ex priscis patribus cuiusdam, Concubitus cum propria vxore, castitatem esse, in Concilio omniũ vt primo, sic sanctissimo professi, ca. Nicęna. Dist. 31. ex Tripartita lib. 2. cap. 14. Socrate lib. 1. cap. 11. Sozomeno lib. 1. cap. 23. Niceph. lib. 8. cap. 19. De quo tamen dicto hodiéq; cõ-

Debiti exigendi ratio.

Locus Pauli de nuptis & innuptis explicatus.

Concubitus cum propria vxore, castitas.

trouerso, nos abundè lib. de Cõtinentia 1. ca. 4.
Sunt enim etiam catholici, qui Paphnutianam γνώμην negent, sunt & qui improbent. Hactenus de castitate coniugali, déque vsu beneuolẽtiæ tum reddendæ, tum exigẽdæ. Illud addam, castitatis non in coniugio tantùm, sed & antè quoque, tantã semper habitam fuisse rationẽ, vt sponsa quam spõsus antea corruptam comperisset, quæ pro virgine nupsisset, iuxta legem Mosaicã eiecta extra domũ patris, in qua forni-

Castitatis ratio seuera.

cata fuerat, lapidibus obruta moreretur, Deut. 22. hîc fortè miranda magis quàm probanda Christianorum impunitas & clemẽtia. Et nusquam grauior esse causa videtur, cur virginitatem puellæ depacisci posset sponsus, quòd qui bona licet fide, pro virgine vitiatam duxit imprudens, pro digamo habetur, & arcet miserum à sacerdotio, digamiæ (vt sic dicã) imaginatio,

Vitiata pro virgine ducta, an adhiberi possit.

vt melius inculpatissima rea, quam nec præscire potuit maritus, nec præstare, ignoratio. Sed de hoc abũdè libell[9] noster de Digamia. Quo magis mirũ, matrimoniũ hac cõditione, Accipio te vxorẽ, si es virgo, vel si te cõperero virginẽ, etiã si non præstetur cõditio, nihilo indissolubiliter minus coire, quasi turpi, non honesta conditione contractã. Atqui puella sibi cõscia non debuit fallere excipiẽtẽ quod honestũ est, & tanti fortè momẽti, vt verisimile sit nõ coiturum fuisse matrimoniũ, nisi latuisset id vitiũ. Sed fortè quotidianæ fierent redhibitiones, si vel daretur stipulatio virginitatis, vel nõ præsti

ta solueret aut dirimeret, vt cuius probatio nõ minus difficilis sit, quã custodia, vel vnica Ambrosij ad Syagriũ epist. 64. id satis probãte. Et natura certè, & ratio, & æquitas suadere videbatur dissolutionẽ cõtractus per dolum initi, si qui falsus est, remittere fraudẽ nollet, præsertí si cõstiterit ab alterutro cõtrahẽtiũ data opera procuratũ, vt alter falleretur, nec enim videtur cõsensisse, qui cõditionẽ addidit, si ea nõ extiterit, & verè dictũ est à Iurecõsultis, errorẽ nõ cohærere cum assensu, sed personæ (aiũt) quidẽ error circumuentum liberat, non itẽ qualitatis aut fortunæ. Quid si grauius incommodũ hic quã ille ferat? Leuius enim ducere Liam, quàm putabas esse Rachelem, Gene. 29. quàm stupro cognitam, quam credebas esse integrã. Est quidem nubere destinantium, quanta fieri potest, cura prouidere ne capiantur, sed in erroribus tãti momẽti, nec aliter prouidere queũt personæ circũuentæ, si non eis succurrit Põtificũ autoritas, pronũciando non coisse matrimoniũ, at eos certè puniret ciuilium legum seueritas, qui & matrimonij fuco imponerent, & sacramento fraudem admiscerẽt: non enim ad hoc institutũ est matrimoniũ, vt in fraudẽ illiciatur simplicitas, sed vt coniugum vterque suo bono iũgatur alteri, & captionis potius, vel si mauis, raptus, quàm veri, & Christiano affectu initi coniugij, nomen meretur, cùm pars altera prædam habet quam captabat, altera decepta plorat, & grauior pœna debetur iis qui sacra

Error cõsensum non habet.

Matrimonio fraudem facientes a quo puniendi.

re abutuntur, siquidem hic dolus cum impietate coniunctus est, nec solùm afficit iniuria proximum, qui coniugium pactus est, quem etiam si non esset hæc expressa cōditio, falsum tamen esse constat, sed & Ecclesiæ Dei contumeliam irrogat, quæ matrimonium pro sacramento & quidem magno, habet ac honorat. Sed per me sanè non liberentur miselli, quos nec legum in matrimonium fauor aut indulgentia, ne corruptelam dicam, liberet. Connupturi ergo, quod est in mimis Publij, diu deliberent, quod semel facturi sunt, & quidē nullo in posterum remedio. Hæc certè conditionum vna est, nec ea minima, propter quam non iniuria dicas, si ita est causa hominis cum vxore, non expedit vxorem ducere, Matth. 19. Hæc de futurorum coniugum castitate, ad quam, quod & ideo addam, pertinet quod tanto serio probauimus, 1. Tim. 1. in verbo [Fornicariis] fornicationem semper illicitam, quanlibet simplicē, non Christianis tantùm, quod plusquam indubitatum esse debuit, sed & profanis fuisse improbatā. Nam & Plato, meritò licet malè audiat communionis vxorum nomine, abstinendum tamen scribit ab agro etiam fœminino, vbi semen germina nolit producere (quē concubitum propriè nuptialem toties anteà diximus) qualem etiam omnium arationum sationúmque sacratissimā Plutarchus vocat, præcepto 43. connubiali, & 44. ex Sophocle Venerē boni fœtus fœcundam vocante, Cauendum ne

Matrimonij magna esse debet cautio

Fornicatio semper illicita.

Plato de agro fœminino

ſeras vnde naſci quicquā nolis, quin ſi fructus gignatur, pudeat & celes. Et iuuenibus multo ſemine plenis hanc legem velut impoſſibilem ſtultámque, & quaſi ſupra vires humanas latā occlamantibus, opponit perpetuam quorundā athletarum continentiam, auium quoque ac beſtiarum greges permultos, integrè caſtéque, antequam procreandi tempus aduenerit, viuētes, cùm eam ætatem attigerint, marem fœminæ, fœminam mari coniunctam, iuſtè ſanctéque in priſtina perſeuerantes amicitia vitæ reliquum peragere. Oportet igitur homines brutis eſſe meliores, certè nō deteriores, quod tamen vir penè diuinus optare ſe magis quàm ſperare non diſſimulat, niſi à bono hominum genere, quod tria genera continet, deorum ſcilicet cultores, honoris amatores, & animi morum quàm corporum pulchritudinem magis diligentes, quod aliud hominum genus, naturæ vtique deprauatæ, quíque ſui Domini minus ſunt, cogat legem hanc non contemnere. Sic ſi Deus (ait) voluerit, in amatoriis aſſequemur, vt nemo generoſas liberáſque mulieres, præter vxorem attrectet, nec vllus nothos ex concubina ſuſcipiat. Si quis cum aliis mulieribus, quā quæ cum Diis ſacríſque nuptiis domum venerunt, emptis videlicet, vel alitercunque acquiſitis miſceatur, niſi viros mulieréſque omnes lateat, infamis lege, omnibus ciuitatis honorib', ceu peregrinus, priuetur. Hæc ille lib. 8. de Legibus. Citat ex 9. Cœlius, lib. 29. cap. 18. eum

Hominū bonorum tria genera.

qui cum muliere etiam innupta, se miscuerit, morti, condemnari supplicio. Ecquàm ægrè hic concubinatum permittit, nec tamen impunè, penè dicens, quod vulgò dicitur, nec vnde sit sumptum scio, nam quouis Christi fideli, nedum Augustino indignum, Si non castè, saltem cautè. Aues ergo & bestiæ, nedum Platonici, infidelium optimi, vel certè minimè mali, castitatem & ante & post matrimonium, suo modo tuentur, & fideles nō eam vel ad ineundum matrimonium afferunt, vel post id initum conseruant? Ferunt quēdam, cùm patrem euerberaret, excusasse, nam & ipse (inquit) suum cōuerberauit, & ille, rursus suum, quin & filium ostendens, & hic (ait) vbi virum euaserit, me quoque flagris cædet, hoc enim gentile nobis est. Idem Cœlius lib. 11. cap. 20. Sic plerunque filiæ, matrum: filij, patrum exemplo labuntur, & virginitatem futuris sponsis minus seruant, iuxta versiculū verum magis quàm Latinum,

Si non castè, tamen cautè, expensum.

Matrū exēpla filiæ sequuntur patrum filij.

Insequitur leuiter filia matris iter.

In suos scilicet semina redeunt. Optima quæque baccarum, nucum, fruticum genera, non nisi nobilibus locis innascuntur, vel ad ignobilem migrantia, ingenium exuunt,

Pomáque degenerant succos oblita priores.

Et generosi surculi vilioribus truncis insiti, deteriores fœtus pariunt. Quod & in hominibus accidere consentaneū, & tanto maius in generandis liberis momentum à muliere affertur,

ſi nonnullis medicis verè placuit, non niſi ex fœmina fieri fœmellarum procreationem, cuius fides ſit penes Franc. Barbarum lib.1.cap.4. Illud ampliſſimum Romanorum & Lyciorum legibus, ingenuos appellari ingenuis matribus, ſeruis licet & ignobilibus patrib⁹ ortos. Neque non hoc poëtæ nobis teſtãtur, Dea matre, homine licet patre, prognatos diuinitate donantes, Orpheum, Achillem, Æneam, Tantùm hîc etiam valet illud, *Partus ſequitur ventrem*, vt in plerìſque filiis maternas imagines non corporis tantùm, ſed & animi recognoſcamus, Nec mirum, vt qui à matribus nõ ſolùm educimur, ſed etiam educamur. Igitur plerũque fit vt parũ caſtæ ſint filiæfamilias, quòd parentes ne ipſi quidem vaſa ſua, quod ait Paulus, in ſanctificatione atque honore poſſident, nec à fornicatione abſtinent, 1. Theſſal. 4. quales enim ſumus, tales plerunque gignimus. Ideò ait & per prophetam Dominus, Fornicabuntur filiæ veſtræ, & ſponſæ veſtræ adulteræ erunt, non viſitabo nec ſuper illas, cùm fornicatæ fuerint, nec ſuper has, cum adulterarint, quoniam ipſi cum meretricibus conuerſabantur, & cum effœminatis ſacrificabant, Oſe.4. & Mich. 1. de mercedibus meretricis congregata ſunt, & ad meretricis vſque mercedem reuertentur, nihil enim vetat de fornicatione ſpiritali ſeu idololatria dictum ad corpoream aptari, cum & in huius pœnam patris in eam lapſi vxores Deus filio dederit abutendas, Dauidis dico,

Ingenui qui dicantur.

Partus ſequitur ventrem.

Impudicarũ matrum impudica filiæ.

Fornicationu merces.

mœchati,concubinas Abſaloni, & filiam fra-
tri inceſtandas permiſerit,2. Reg.12.13.16. Se-
quitur ergo tandem in litera, *Sobrias* in cibo &
potu, quod non video quî, quod ait hîc Aqui-
nas,ſpectet ad iraſcibilem, ſed permultum fa-
cit ad caſtitatem ſeruandam ſobrietas, de qua
hîc breuiores erimus tum quòd nulla ei græca
vox propriè reſpondet,ne apud Latinos quidẽ,
vetuſtiores,tum quia 1.Tim.2. de muliebri ſo-
brietate quæ ſatis eſſe videbantur, obſeruaui-
mus, vti olim gentium fœminis vini vſus fuit
ignotus,quem nunc quoque Syris & Perſicis
minimè concedi teſtis eſt Fr. Barbarus, lib.1.
cap.5.addens ſapienter nonnullos gentiles, ſic
eodem in templo Liberi Patris & Veneris ſi-
mulacra congeſſiſſe,vt qui huius imaginem vi-
ſendi ſtudio venirent,prius illius ſtatuam ſalu-
tarent.& cap.6.Sic profectò res habet, qualis
cibi potúſque ratio,talis & cõgreſſus venereus,
ſequitur hic viuendi normam, vt tener pullus
matrem. Specta (inquit Hieronymus paulò
anteà cap.1.in verbo [non vinolentum]) ven-
trẽ & genitalia,pro qualitate membrorũ,ordo
vitiorũ.Nunquã ergo ebriũ ebriãvè caſtũ caſtã
vè putabo,vt qui etiam ſi vino conſopiti dor-
mierint,peccare tamen per vinum potuerunt,
hoc nũc dixiſſe ſufficiat,quòd,ſecundum Apo-
ſtolum,in vino eſt luxuria,Eph.5.hoc eſt, inſi-
pientia,furor,procacitas, libido. Quo loco,&
Gal.5.ſe purgat calumnianti Ruffino, quòd in
Euſtochio adoleſcentulis conſuluerat vinum,

Sobrietas caſtitati cum primis neceſſaria.

Luxuria in vino,quæ intelligatur.

vt venenum fugiendum, vini opus, non naturã, Dei vtique creaturam damnans, & ætati proprio calore feruenti licentiam auferens, ne sub occasione parum bibendi plus bibat, & pereat. Sed de vini vsu & abusu peculiaris nobis est liber in opere de Abstinentia, siquando Deus dederit in lucem exire. Igitur matresfamilias præsertim iuniores, & succulento adhuc corpore, siue maritis patribus efficiẽdis, siue liberis gignendis, gestandis, & lactandis consultũ volunt, velint autem oportet, quibus omnia post Deum debent, sint, si non prorsus abstemiæ, aut nimis ieiuniosæ, at perpetuò sobriæ, lædit enim vt inedia diutina, sic & immodica cibi viníque copia, neu per immoderatum potum plus æquo ad libidinem incalescant, Non enim minus ad matrem pertinet, quàm ad patrem Diogenis in temulentum puerum scomma, Ebrij te parentes seminarunt: Ex quo Plutarchus de liberis educandis præfatur à maioribus traditum, vt coniuges genituræ operam daturi, aut omnino sobrij, aut vino saltem modestissimè delibato, congressũm faciãt. Et quod idem & ibidem verbo quidem grauiter, re autem verè commonefaciens ait, Meretriciã ingredere domum, vt perdiscas quàm vilissimarum rerum pretia nullam præ se ferant excellentiam, sic temulentas ancillas matronæ accuratius inspiciant, ita quid sibi maximè cauendũ animaduersuræ: hoc enim animo Lacones & vxoribus & liberis seruos potos in conuiuiis

Vini copia immodica quàm noxia.

Ebrietas parentibus futuris quã cauenda.

adhibebant,non vt horum ineptiis oculos pascerent,aut se alioqui oblectarent, sed quò ex ebriorum miseriis discerent,quęcunque in seruis turpia sunt, in liberis hominibus fore turpissima.Dicat,inquit vbi paulò antè Hieronymus,quisque quod volet,ego loquor conscientiam meam,scio mihi abstinentiam,& nocuisse interruptam, & profuisse repetitam. Ego quoque scio matronā honestam, hydropolia, cui puella cæterarum Parisiensium more assueuerat, medicorum consilio, & viri hortatu, quò marem pareret,intermissa,semper exinde afflictissimo fuisse corpore, & florenti adhuc ætate viduam, obiisse. Atqui (quod attinet ad huiusmodi,quisquis fuit,consultorem) Plato de Legib.lib. 2.mulieri gignendis liberis operam daturæ vinum negauit, & Lacænas, quæ solæ viros pariebant, vel vini prorsus expertes, vel aquatissimo vtentes voluit Lycurgus apud Xenophontem.Sed de vxoria sobrietate plus satis,plus certè quā initio exponendæ voculæ putabamus.Quantū ad tertiā animæ vim,seu irascibilē spectat,vult Paulus esse *benignas*, bonas erga omnes,vt cum māsuetudine tum viris pareant,tum domū regant,Sunt enim vt plurimū iracundæ.Non est caput nequius colubri capite,non est ira super iram mulieris,Mulieris ira, irreuerentia,cōfusio magna,Ecclī.25.Prou.21. Melius est habitare in terra deserta,quàm cum muliere rixosa & iracunda. Quia ergo potest euenire, vt domus diligentia cum austeritate

Hydroposia intermissa pernicies.

Lacænarū potus.

Iracundia mulierum.

regatur,& per hoc Apostoli præceptum matrona seuerior fiat in seruulos,ideo benignitatem copulauit,vt tunc se credat mariti domũ bene regere,si cum benignitate imperet seruulis & filiolis,non cum terrore, foris quoque in eleemosynarum erogatione benignę sint,multo magis intus,siue domi,Omnium erga viros maximè,vt quibus eas principes Apostoli velint non subesse duntaxat, de quo mox litera, sed & placere,1.Cor.7.1.Petr.3.& vt placeant, tum quæ mundi sunt,curare,tum etiam se ornare, & maritalibus se moribus aptare, lætas coram illis esse,vel potius lætis collætari, mœstis commærere.Speculũ, ait Plutarchus præcepto connubiali 14.si lætantis imaginem tristem reddit,dolentis hilarem, & mærentis ridibundum,vitiosum est.Amens est,inepta, insulsa mulier,quæ iocante blandientéque marito, frontem contrahit, Seriò aliquid agente, iocatur ac ridet, Animi tum minimè benigni, tum etiam contemnentis indicia, 28. Quę nuptiali Iunoni rem faciunt Diuinã,cum victima fel non consecrant,exemptum post aram abiiciunt,innuente lege nunquam bilẽ irâvè in cõnubio esse oportere:Debet enim vt vini,sic matronæ austeritas,suauis ac vtilis esse,non amara,vt aloë ac medicina,29.Pudicę continentíq; mulieri maximè gratiis erga virũ opus,vt,quod Metrodor9 docebat,ne propter cõtinentiã iratè cũ viro conuersetur,nõ vel frugi mulierẽ contẽnere munditiẽ,vel viri amantẽ blanditias ne-

Vxor se marito conformet.

gligere,nam & morositas honestatem facit iniucundam, sordes frugalitatem reddunt inuisam,30.Et omne quidem superuacuum, meretricium,ac populare fugere eam cõuenit, morum verò consuetudinísque viuendi gratiis eã erga virum artificio vti decet, vnà cum voluptate honestè cum eo conuersantem: Suapte alioqui natura seueriorem,insuauem, placidè admonendam: & pudicæ quidem, sed rigidæ atque austeræ, dicendum, Non te ego eadem vti & coniuge & amica possum, 39. Quæ sana mente sunt, maritum ira clamantem silentio leniunt,silentem alloquio consolantur & mitigant:quo Cyrus modo hostes vociferantes silentio excipere,silentes clamore Græcis iubebat inuadere,40.Errant,qui solùm cum gaudio voluptatéque gestiunt,rem habent: cum subirascuntur & diffident,secubãt, tum enim maximè Venerem, optimum huiusmodi mulierũ medicum,accersendam, quod poëta docet, dicente Iunone,

Secubandum non esse inter se iratis coniugibus.

Vestra ego iurgia soluam.

Vos & amore pares iungam,thalamóque locabo.

Cum semper autem & vbique fugiendum, ne vir vxorem, neu virum offendat vxor, tum in primis ne id accidat dum vnà concubant, quî enim lectus iurgiis tum moderetur,cùm simultates,offensas,& iras alibi susceptas non alio loco vel tempore procliuius sit dissoluere? Tales vel in concubitu corrixantes, Socratis Xantippen, Ciceronis Terentiam veteres:

μιμψίγαμον

μεμψίγαμον uxorem describit Erasmus, Iuuenalis Satyra, Vxor μεμψίγαμος
Semper habet lites alternáque iurgia lectus,
In quo nupta iacet, minimùm dormitur in illo.
&, *Dos est vxoria lites.* 2. de Arte. Vnde pulchrè Varius Geminius sublimis orator, Qui non litigat, inquit, cælebs est, citat lib. 1. In Iouinianū Hieronymus, & ex Aureolo Theophrasti libro de Nuptiis, Per noctes (ait) totas garrulæ conquestiones: Illa ornatior procedit in publicum hæc honoratior ab omnibus: Ego in conuentu fœminarum misella despicior. Cur aspiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attulisti? non amicum habere possumus, non sodalem, alteriùs amorem sui odium suspicatur: Si alteram aspexeris, se existimat displicere: quoscunque (illa) dilexerit, ingratis (tibi) amandi. Et quo nemo melius scire potest, quàm qui tot passus est, Salomon tam multinubus, Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa in domo cōmuni, Prou. 21. 25. Si domus communis erigit vxorem in superbiam, & contumeliam viro facit, quantò magis si diues fuerit, & in domo eius vir manserit? Incipit tum non vxor esse, sed domina, & viro, si offenderit, migrandū est. Et tecta iugiter perstillantia in die frigoris, & litigiosa mulier comparantur, 19. 27. Stillicidia eiiciūt hominem in die hyemali de domo sua, similiter & maledica mulier assiduis iurgiis, & quotidiana garrulitate facit domum perfluere, Rixosæ mulieres.

Xantippe Socratis.

& virũ eiicit ex ædibus. Verè fuit Socrati Xantippe ſtillicidium perfluens, multis prius conuiriis affectum lotio perfundens, poſt tonitru ſcilicet, pluuia. Diogen. lib. 2. Hieron. 1. in Iouinianum. Gellius lib. 1. cap. 17. Et rurſum in alio loco, ſed non occurrit, citatur tamen ibidem Hieronymo, Sicut lignum vermis, ita edit virũ ſuum vxor malefica. Et cap. 30. Inter tria quæ terram mouent & turbant, mala, ponitur mulier odioſa, cum in matrimonium fuerit aſſumpta. Ecce & hîc inter malorum magnitudinem ponitur vxor, ſed odioſa. Sed de mulierum benignitate, & oppoſita moroſitate nimia. Addam ex Plutarcho ad finẽ libri de liberis educandis anteà citati, de eadem erga familiam ſuauitate, quatenus eis cum viris communis eſſe debet, Haud (inquit) volo aſperos & natura duriſſimos, ſed qui ſe iuuenes aliquando fuiſſe memores, puerorum delictis veniam interdum concedant, deſideriis habenas modò remittant, modò laxent, modò intendant, Leuia preſertim peccata molli ferant animo, aliqua etiam nouiſſe diſſimulent, vt pleraque videntes non videant, audientes non audiant. Amicorum errata perferimus, quidni & filiorum? Seruorum aliquoties crapulam minimè redarguimus, interdum peperciſti, inſuper largitor, moleſtè aliquando pertuliſti, vltrò veniã adhibe, per ſeruuli quandoque fraudes demulſiſti, exhibe iracundiam, Ex agro iuuencos abſtulit, rediit heſternum temetum nonnunquã

Puerorum delicta qualiter excipienda parẽtibus.

Conniuẽtia patrisfamilias in delictis ſuorum.

exhalans, inſcius eſto: vnguenta redolet, taceto. Hunc in modum petulca iuuentus, equini pulli inſtar domita mitíſque redditur. Sint hęc nobis ad textum ſequentem paraſceue, *Domus curam habentes*, οἰκουργούς, quod ſonat, domus cuſtodes, vel domi manentes, nec per alienas domos vagãtes, quales taxat, primæ Timothei 5. Cui conſentaneum eſt quòd Gorgias domi clauſas eſſe voluit, vt earum nihil præter famam noſceretur. Quod nec eis reliquit aut dignum putauit Thucydides, optimã matronam deficiens, de cuius laude aut vituperio minimus rumor diſſipatur. Barbarus lib. 1. cap. 2. ex Plutarcho de virtutibus mulierũ vt aſſiduè domi ſint, & rẽ domeſticã curent, quæ præcipua mulierũ laus, Mulier enim domũ vel ædificat ſapiens, vel eradicat inſipiẽs, Prou. 14. Et erudiãtur ergo à vetulis iuuẽculæ, vt domus diligentiã habeãt, ne viros cõtriſtent per negligentiã, ſed cũ viris quæcunque in domo ſunt, bene ac diligenter procurare ac diſpẽſare laborẽt. Quod verbũ hîc tantũ in nouo teſtamento occurrit; eodẽ ſenſu, οἰκοδεσποτεῖν, domũ ſiue familiã regere ac gubernare, dixit, 1. Tim. 5. vnde peti poteſt huius loci, ſi cui placet, amplior expoſitio. Cæterùm puella quæ hanc domus curam & ſolicitudinem à parentibus didicit, artẽ didicit non aſpernandã, huic enim nunquam defuturum eſt quod agat domi, quin ad confirmãdam corporis valetudinẽ ſatis erit exercitationis, ſi domus partes frequenter obeat, & vel

Domi aſſiduè ſint mulieres.

οἰκοδεσποτεῖν.

componat quæ oportet, vel aliis quid opus facto prçſcribat. Lunam, ait Plutarchus prçcepto cõnubiali 8. cum abeſt à ſole, lucidam claramque videmus, ſoli admotam & propinquã, obſcurari condíque: Modeſtam contrà vxorem oportet cum viro præſentem ſe tum maximè videndam exhibere, cum abeſt maritus, ædes cuſtodire, domi latitare, nec aliter quàm ſi vidua ſit, agere. Sed & hîc quoque mariti non leuiter quidam peccant, domi triſtes & auſteri, foris hilares & feſtiui. Tales, ait idem præcepto 15. cum nolunt vxoribus ſuas domi voluptates, cibum, potum, iocos, riſúſque communes eſſe, docent eas ſine ipſis hæc eadem alibi quærere. Nuſquam autem tutior eſt, ſiue formæ, ſi contigerit inſignis, ſiue pudicitiæ, ſiue, cuius non minorem oportet eſſe curam, famç theſaurus, quàm domi: ad quæ conſeruanda vt parum idoneæ ſunt ad choreas, feſta, conuiuia, curſitationes, & longinquæ abſque viris peregrinationes, ſic ad excludendam zelotypiam. Periclitatç ſunt Sara, Rebecca, Dina, ſed peregrè & apud exteros, Gen. 12. 20. 26. 34. Illarum pudicitiæ curam Deus habuit, maritos diuino iuſſu peregrinantes comitantium, hanc violari permiſit, quòd præter autoritatem patris obambularet in aliena ciuitate, vt videret (ait) mulieres regionis illius, ſpectatrix ſcilicet, ac viciſſim ſpectanda, iuxta illud Ouidij,

Peregrinationes mulieribus periculoſa.

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur vt ipſæ.

Matrona ergo, ſi formæ dona & ætatis lubri-

cum periculo & obtrectationi obnoxia sint, vt nusquam securius vel honestius quàm domi, aut apud maritum, ita nusquam debet esse libentius, De cuius latere sumpta est, Gene.2.non eam oportet discedere. Plutarchi præcepto 31. Ægyptias mulieres vti calceaměto mos vetat patrius, vt se domi contineāt. 33.Phidias Venerem finxit testudini insistentem, hoc ænigmate indicans matrisfamilias laudem esse solitudinem & silentium, De hoc posteriore in 1.Tim.2.cap. prius illud bestiola adeò nunquam è testa prorepens, vt & inde Græcis φερέοικος dicta sit:& si quid metuit, ilicò se totam intrà contrahat, significabat vxori domi manendum,& per domum totam obambulandum,sed ita vt domum secum circunferat,& si quid prospicit, ne sit vltra cortem, aream,hortulum ædibus iunctum prospectus. Intra hæc pomæria matronæ regnũ circunscribitur,Si quid mali metuit,nusquam minus intuta quã domi.Quod igitur à multis dictũ citat Valla li.4.ca.30.In domo seu familia bene instituta omnes sunt in officio, id fit, si sua cuiq; tribuatur functio.Sũma autẽ officiorũm diuisione,alia dicũtur domestica,alia externa:Quę foris geruntur,ad virũ pertinẽt,Quę domi,fœmineæ sunt functionis,quæ ad rem penuariã, quę ad pensa familię distribuenda,& ad operã debitã exigenda.Si sedula totã domũ subinde lustret,circunspiciẽs quid in thalamis desit aut in cœnaculis,in conclaui, vbi versantur liberi,

Testudini insistens Venus,quid symboli habeat.

qui in locis vbi operantur famuli famulæve, quid in coquina, corte, hortulo, nunc in gynæcitide, nunc in andronitide, magnum opus præstiterit, etiãsi nihil operis ipsa præstiterit. Quin & liberorum educatio, vxoria prouincia est, dũ adhuc tenera est: Vbi ad hoc ætatis peruentum est, vt ad aliquod vitæ genus instituendi sint, ad maritũ redit officium. In puellis similiter elocandis, cura quidem parentum communis, sed est penes patrem autoritas. Quod disertè dicit in Oeconomicis Philosophus, Cùm tempus posceret aut filias nuptui tradere, aut nurus accipere, obediat penitus viro in iis vxor, & sic vnà deliberet, vt sententiam viri sequatur, intelligens non tam viro turpe, eorum quæ domi sunt, quicquã facere, vt mulieri quæ foris sunt, tractare. Et Diodoro quidem lib. 1. Isidis lege, in Ægypto viri stipulabantur se omnia domi ad vxorum arbitrium facturos, vxores contrà viris omnia extra penetralia ex eorum autoritate facturas: Sed Philosophus vult virum semper & vbique superiorem agnosci. Sunt igitur ceu par columborum, vir præuolat & circumagitur, vt importet domum, quod victus exigit necessitas, vxor nidum seruat. Mihi videtur (ait in Oeconomico Xenophon) Deus naturã mulieris ad curam intus suscipiendam in lucẽ protulisse, molliorémque corpore, vt intra parietes officium obiret. Viro autem corpus animúmque, ad frigora, æstꝰ, itinera, expeditiones facilè tolerandas constituisse, idcóque res illi foris

Vir externa, vxor domestica curet.

agẽdas delegasse. Rursus illas ob infantiũ curã maiore erga liberos charitate, tũ ad custodiẽda quæ à viris parta essent, metu vehementiore, qui rebus asseruandis vtilis esset, præditas esse voluit. Viro, cui tueri extranea incumbit, & ea prædanti resistere, maiorem addit audaciã, memoriam, ac diligentiam parem. Cum igitur neuter vtrique sufficeret officio, hac potissimũ de causa inter se matrimonio deuincti sunt, sibi inuicẽ hoc pacto vtiles, vt quod alteri deesset alter suppeditaret. Fœminã item pulchriorem condidit, vt formã cum pudicitia se domi continendo tueatur. Virum torosiorem, vt extrà magis ageret, edidit. Huic autem ordini si quis aduersus ierit, & aut viri partes vxor, aut vir vxoris egerit, vltorem se sentiet habiturũ Deũ, &c. Necesse prorsus vxorem domi manentem seruis officia distribuere, eos qui opus extrà facturi sunt, emittere, aliis intus ipsam præsidere, illata recipere, ex his esu absumenda promere, seruãda cõdere, partiri, & prouidere, neque quę annũ durare debent, vno mense absumere, &c. Eadem penè per eadem disserit vbi suprà Aristoteles, & li. 1. cap. 3. & quidem quod in Ethnico mireris, sic (inquiẽs) diuina prouidẽtia vtrãque naturã ad mutuam societatem ordinante. Adeò sanè fœminarũ est domus cura, vt mariti curis nimirũ externis intẽti, nõ temerè in domesticis autoritatẽ interponãt, nisi quid videãt momẽti maioris, quã vt dissimulẽt, vt alioqui vbiq; dñi, domi tamẽ eas pro modulo suo dñas

Fœmina nè viro pulchrior condita.

habeant. Quam apud viros vxorum dignitatẽ ideo Romanos seruauisse autor est Plutarchus in Romulo.apud quem Sabinæ raptæ,parentibus & fratribus cõmonstrant Romę sibi comministrationem domi permissam, séque viris obsequentibus vti,& ab eis omni tum amore ac beneuolentia,tum etiam honore coli & obseruari.Lacedæmones quoque ob frequentem militiam, omnem vxoribus domi potestatem relinquebant,quas & heras ideo vocabant,domesticis quippe negotiis prorsus dominantes, eodem Plutarcho in Lycurgo & Numa, & Apophthegmatis Laconicis autore.Redeamus ad Apostolum,apud quem postremò sequitur, *Subditas viris suis*, sanè docẽs vt se gerãt fœminæ erga alios sibi subiectos,cauit in curãda familia,ne sint,quod sæpe feruntur esse, impatientes,vindices,& ferocula,sed bonæ,suaues, benignæ:sic quia,quod ait apud Liuium Cato lib.34.plerunque simul vt pares in regimine domus esse cœperint,superiores esse volunt,& si qua primatum habeat,viro præeat aut imperet,contraria est viro suo,Eccli.29.

Sabinarum honos Romæ

Lacedæmoniorum mulieres heræ cur dictæ.

Sæpius & mulier quod coniux diligit,odit.

Vult maritis eas subesse,nõ in viros dominari, aut imperiũ vsurpare,neu vel nobilitate tumẽtes,vel diuitiis inflatæ imperare velint,obedire nolint.Iuxta quod Syrachi vbi paulò antè,alia litera habet,Iracunda,impudens,probrosa mulier,quæ virum suum alit,&

Intolerabilius nihil est quàm fœmina diues.

Neu non meminerint Dei sentētiæ, per quam viris subiectæ sunt, in qua Scripturæ sanctæ cō sideranda est prudētia, quia non sic viro loquatur Dominus, Dominaberis vxori tuæ, sed mulieri, Ad virum tuum conuersio tua, hic tui dominabitur, Gene.3. vt ei præmium relinqueret obsequelæ, dum in potestate eius est, si Dei velit obedire pręcepto, seruire viro, ac subiecta esse, vt quodammodo sit libera seruitus & dilectione plena, fœminæ ideo marito seruiētis, dū eum metuit offendere. Iuxta quam Dei ab initio legem, Paulus & hîc & vbique álibi iubet vxores maritis esse subditas, Sicut (inquit) & lex dicit, 1.Cor.14. Si quid volunt discere, domi viros interrogent, discant autem cum omni subiectione, 1.Tim.2. Nam & Adā primus formatus est, dein Eua, Gene.2. Et Adam seductus non est, mulier autem seducta transgressa est, Gene.3. Et, Volo vos scire, quòd omnis viri caput Christus est, mulieris caput, vir, viri caput, Christus, Christi caput, Deus: Vir imago Dei & gloria, mulier viri gloria: nō enim vir ex muliere, sed mulier ex viro, non est creatus vir propter mulierem, sed propter virum mulier. Nec tamen vir sine muliere, nec sine viro mulier in Domino, Nā sicut mulier de viro, ita & vir per mulierem: omnia ex Deo, 1.Cor.11. Quoniam ergò vir est caput mulieris, sicut Christ⁹ Ecclesiæ: sicut Ecclesia Christo subiecta est, sic & mulieres viris suis subditæ sint in omnib⁹, sicut Domino, & vir quidem vxorem sicut seipsum,

Mulier viro seruiat.

imò vt Ecclesiam Christus dilexit, diligat: vxor autē virū reuereatur ac timeat, Eph.5.& Col.3. Mulieres subditæ estote viris propriis, sicut oportet in domino. Petrus quoque cōiugij non imperit⁹, institutionē à muliere auspicatur, Similiter, inquit, 1.cap.3.& mulieres subditæ sint viris suis. Et paulò pòst proponit exemplū nobilissimæ fœminæ, Sic enim & sanctę mulieres sperantes in Deo, subiectæ viris propriis, sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum suum vocans, Gene.18.& talem indubiè habens, qualē appellabat, nō grauata eius per varias ac barbaras nationes esse comes, coniugē se dissimulare, sororem fateri, malens suam pudicitiam, quàm mariti vitam periclitari, obtēperauit, nō obmurmurauit, & Deo suorū actiones moderante, suū vtrique tutum, cui metuebant, & incolume remansit, Gene.12.20. Nec dubitādum est, quin & in reliquis ei omnibus obsecuta sit cū omni reuerentia: cuius (inquit Petrus) estis filiæ benefaciētes, omnium piarum matronarum matrem faciens Saram, sicut Paulus Abraham omnium virorū fidelium patrē, Rom.4.

Sara obediētia.

Sara, piarum omnium matronarū patrem.

In Paulinis autem primò notādum, quòd vxores maritis subesse vult & parêre, non simpliciter, sed *sicut Domino*, non sicut ancillā aut seruā hero, sic licet quidā (inter quos D.Hieron.) interpretētur, quod si sensisset Apostol⁹, dixisset, Subditæ sint viris, vt dominis, quāquā & ij quoque domini suo modo sunt, vt agnoscit Saræ exēplo D.Petrus, nō tamē illę his quasi ancillæ

in seruitutẽ, aut possessorib⁹ pecudes, aut amatoribus cõcubinæ datę: Sua certè sit, prout atq; debet, & maneat semper & vbiq; viris in vxores potestas & autoritas, sed quę sexũ inferiorẽ sic foueat & amplectatur, vt æqua sit vitæ societas, bonorũ omniũ cõmunio, nõ etiã dominatus aut tyrãnis: quod vel primæ mulieris indicauit creatio, quia enim viro nec domina parabatur, nec ancilla, sed socia, nec de viri capite, ne ad dominationẽ pręferẽda videretur, nec de pedib⁹, ne ad seruitutẽ subiiciẽda, sed de latere producta est, vt iuxta se ponendã cognosceret, quã de costa sua sũptã, & in cõsortiũ dilectionis creatã didicisset, sed & propter ipsius cõiũctionis vim cõmẽdãdã, & hinc enim significatũ est quã chara mariti & vxoris esse debeat cõiũctio, quòd nõ de aliena parte, sed de viro sumpta, nõ tãtũ vt socia, sed & vt filia, in eũ filię pietate sit, in hanc ille affectu paterno. Vt August. de Genesi, lib. 9. cap. 13. De Ciuit. 12. cap. 26. & ibidẽ Viues. Thomas part. 1. quæst. 92. artic. 3. Sẽtẽtiarii, li. 2. Dist. 18. Et ex eodẽ Gene. 2. loco Tertull. obseruat fęminã masculo in adiutoriũ, nõ in seruitiũ datã. Et autoritas quidẽ in virũ vxori nulla, vt præscripsit Apostolus, mulieri dominari, hoc est, autoritatẽ sibi in virũ vẽdicare vel vsurpare poti⁹ nõ permitto, 1. Tim. 2. vt vbiq;, mulieri in virũ tã dominiũ seu potestatẽ negat, quã reuerẽtiã iubet. Neq; tamẽ nullã vxori vicissim reuerẽtiam debet vir, sed quẽadmodũ parẽtes & seniores, si volũt habere liberos &

Eua vnde formata.

Vxori, filiæ pietas a viro exhibenda.

iuuenes reuerentes, debent ipsi primùm illos reuereri, neque quiduis apud eos vel dicere vel facere, vt ex Platone Plutarchus cõnubialium præceptorum vltimo, sic non minus vbi mariti quàm vbi senes, pudorem abiiciant, non maior in illos vxoribus, quàm in hos iunioribus verecũdia residet. Petrus ergò, quasi infirmiori (ait) vasculo muliebri honorem impertientes, tanquam etiam cohæredibus gratiæ vitæ, q.d. Non ideò despicias vxorem, quòd in iugo matrimonij personam gerat inferiorem, & corpore & animo imbecillior, imò tantò plus honoris ei deferatur, vt quod deest naturæ, penset mariti charitas. Nam & quæ infirmiora membra sunt, his abundantiorem copiosiorémque honoré circundamus, vt magis necessariis, honestiora autem paucioribus indigẽt, 1. Cor. 12. Quòd si Deus tantùm honoris habuit fœminis, vt in hæreditate cælesti credẽtibus oblata, eas viris æquet, non est masculus neque fœmina, omnes vos vnum estis in Christo, Gal. 3. quî conuenit vt ab homine marito fastidiãtur? In re tanta cohæredem & cõsortem, quî negligere potes? Si Deus impertit eundem spiritum quem maritis, cur hi sic grauantur prouidere illarum necessitatibus, quasi cùm spiritaliũ sit, non tamen sit & corporalium facultatum communio? Aut verò mulier in adiutoriũ viro data sit, Gene. 2. In his modo quæ spectant ad munia rei familiaris, non etiam ad ea quæ religionis sunt ac pietatis. Qui adhęret mulieri, vnum

corpus efficitur, Et adhærebit (inquit) vxori, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sunt duo, sed vna caro, Gene.2.Matth.19.Marc.10. 1.Cor.6.Sed & qui Deo adhæret, vnus spiritus est. Quidni ergò Christi fideles coniuges, vnus vt cum Deo, ita secum spiritus sint, sint itẽ duo in vna vt carne, ita & mente? Vnũm ergò modis omnibus sint, & sicut scriptum est, miserebitur duobus vnicis, Tob.8.etiamsi locum hũc non nescio aliter tum verti, tum exponi. Cum igitur idem corpus & idem pectus sint, vir & vxor, quicquid huic honoris ille impenderit, non compari tantùm charissimæ, sed & sibiipsi impendit, omnium scilicet quę coniugis exigit vsus subministrationẽ, salutationis officia, aut ornatum, aut accubitus honorem, &c. Sed videndum ne hîc nimis vxorij simus, qualem refert Seneca, citante in Iouinianũ Hieronymo, quendam, vti ait, ornatum, vt opinor, stolidum hominem, qui exiturus in publicum, fascia vxoris pectus colligabat, & ne puncto quidem horæ præsentia eius carere poterat: potionẽ nullam nisi alterius tactã labris hauriebant, quod & amatorium esse sic ad Paridem Helene innuit, *Vxorius quidam maritus notatus.*

Modò pocula proxima nobis
Sumis, quáque bibi, tu quoque parte bibis.

aliena deinceps non minus inepta facientes, in quæ improuida vis ardentis affectus erumpebat. Origo quidem amoris honesta, sed magnitudo deformis, nihil autem interest quàm ex ho-

Pericles à comicis taxat'

nesta causa quis insaniat, Sic Pericles Aspasiam adeò deperiit, vt nunquam non eam antè dissuauiatus, domo egrederetur, ob id à Comicis Iuno & Deianira vocatus, Plutarcho teste. Qui meritò Numã laudat præ Lycurgo, quòd is nuptarũ quem apud viros à Romulo propter ruptas honorem habuisset, multò pudore addito coërcuerit, curiositate remota, sobrietate perpetuò iniuncta, & solitudine silẽtióq; tãto, vt nec de rebus necessariis absente viro quicquã loqui eas assuefecerit. Per huius verò leges Lacænæ fuisse ferũtur insolẽtiores, & nimis, vt ita dicã, viriles, viris vtique eis plus quã par esset, obsequẽtibus, nec priuata tantũ, sed & publica cum eis cõsilia cõmunicãtibus, vt idẽ in Agide Plutarch', & 1. Politicorũ, cap. 7. Philosophus. Sint igitur, vt ad Pauli præcepta redeã, vxores viris subditæ, sicut Domino, cui autẽ Domino, si nõ vti seruæ & ancillæ hero aut tyranno, vt possessori pecudes? indubiè Christo. Sic enim præcessit, Subiecti inuicem in timore Christi: & aliquãtò pòst vult seruos obedire dominis carnalibus sicut Christo, vt Christi seruos, & seruientes sicut Domino, & nõ hominibus, Eph. 6. & addit causam, quia quale caput Christus est, tale pro modulo suo vir vxori, vt hæc illi obsecũdans, nõ tã homini se submittat, quã Domino, cuius vicẽ ille gerat, & cui eã subditam esse velit Dominus, & olim iã voluerit Deus, Sub viri, inquiens, potestate eris, Gene. 3. quoniam ea malè præire viro cœperat, dux & illectrix ad

Numæ erga mulieres seueritas.

Lacænarum insolentia.

peccatum,& mortem peccati pœnam, iubetur ducem sequi ad vitę reparationē. Æquo animo ferenda lex, quam Dominus Deus, natura, scriptura præscribunt omnibus vxoribus. Fortasse marit' indignus est, cui se submittat vxor, at nō indignus Dominus, qui præcepit vt subdita sit marito, nō ob aliud nisi quia marit' est fortassis ingratus, at obsequij præmiū recipiet ab eo, cuius amore pariter ac timore paruit ingrato.

Secundum in his Pauli præceptionibus obseruādum, quòd iubet esse subditas *in omnibus*. Rursum hîc cogitabit aliquis, Si penes virū est omnis & in omnibus potestas, qui & ferocior est, & viribus superior, quid erit consequenter vxor, nisi ancilla in seruitutē data? Protinus igitur Apostolus adiunxit autoritati charitatis regulam, nec tyrannidi locum reliquit. Cùm audis viri, autoritatis vocabulū audis, sed audiens *Diligite*, seruitutem exclusam intelligis. In hoc valet autoritas viri diligētis, vt ei prosit vberius quam habet in sua potestate, ídque innuit capitis ratio, quod in edito corporis situm, seruans omnes sensus & animi vires, quem habet in membra principatum, hunc bono totius gerit corporis, non enim sibi tantùm sentit, meminit, ītelligit, sed vniuerso corpori, eóque additur de Christo in hac similitudine, Saluator corporis. Nō debet molest' esse prīcipatus qui salutē cōfert, nec sibi displicere suo bono subiecta coniugi. Si ergò dixeris, Ecclesia meritò subiecta est Christo, at mariti mores ali-

Viri autoritas.

quando vix ancillæ ferre poſſunt, habet quidẽ maritus exemplũ, quo abſolutius proponi non potuit, ne fortè putaret vulgarẽ à ſe erga conſortem amorem exigi. Quod exemplum? Non vt vel in fabulis, Idæ, Orphei, Cephali, vel in hiſtoriis, Darij, Periandri, Antimachi, Cyanippi, Æmilij, Gracchi, Lepidi, Plantij, Rubrij, Antonij Pij, aut ſi qui viri alij vxoribus præmori aut conſepeliri, quã ſupereſſe maluerunt: non Dominici Cataluſij Leſbi principis, qui vxorem vel leproſam menſa & lecto commu ni nunquam prohibuit, carnem ſuã, iuxta Pauli verbum, fœtidam licet & graueolẽtem, imò & contagioſam, non odio habens, ſed tenens atque nutriens: Non agricolæ cuiuſdam Lentiſcolenſis in Regno Neapolitano, qui cum cõiuge à Piratis Mauris capta ſeruire maluit, quã ſine illa liber viuere, Quæ ſunt apud Valerium & Fulgoſum de amore coniugali. Plutarch. de vitis, paralellis. cap. 42. 43. Laërt. Capitolinũ. Denique non ſi qui alij vxores impotentius amauerunt, aut eis etiam ſeruierunt, aut etiam ſi quos eximia erga vxores charitas, aut diutina cum eis ſine querela aut iurgio vita celebres fecit maritos, ſed *ſicut Chriſtus*, (inquit) *dilexit Eccleſiam*, quo autem modo dilexit? *ſemetipſum tradidit pro illa*, Tradidit autem in huius naturæ calamitates, in probra, in flagella, in crucem denique. Habes amoris magnitudinem, eandem debes vxori tuæ charitatem, vt pro eius vita, fama, pudicitia corpus tuum exponas diſcrimini. habet

Mariti nimium vxorii

Leproſæ vxoris amantior maritus.

Charitas erga vxorem qualis eſſe debeat.

habet inquam, vir propositũ in Christo archetypum, à quo tamen si degenerat, nõ protinus perit autoritas, non confunditur ordo: Et maritis enim, vt quod & ait alter, 1. Petr. 2. dominis, non humanis tãtùm & commodis, sed morosis quoque ac difficilibus, Et nolite (inquit) amari siue amarulenti esse ad illas, sed si tantùm molestum est quod imperant, obtẽperet vxor, Domini præceptum, non mariti meritum cogitans: Sin imperãt quod aduersatur pietati seu bonis moribus, blãdè recusetur obsequium: & si vrgẽt, scito magis Deo quàm hominibus obediendum, Act. 4. 5. Etenim qui obsequitur impia iubenti, non obsequitur Deo in marito, sed Satanæ in membro ipsius. Non enim serui tuti subiectus est frater aut soror in huiusmodi 1. Cor. 7. Sed pro quo alter ab altero diligẽdus & sequendus, præ eo est odio habẽdus, & propter eiusdem regnum & Euangeliũ relinquendus atque dimittendus, Matt. 19. Marc. 10. Luc. 14. 18. Sic Petrus fœminas allocutus, oratione ad viros cõuersa, *Viri* (ait) *similiter*, id est, cum simili quã vxoribus præscripserat, integritate, mansuetudine, modestia tranquilli spiritus, interioris hominis ornatu, voluptatum contemptu, charitate ac reuerentia *cohabitantes*, siue cohabitent, vnà cum vxoribus versentur, eásque gubernent, *secundum scientiam*, sciẽter, & vt sciẽtes decet, nõ ex imperio aut libidine, nihil præscribentes nisi quod expedit, nihil indulgẽtes, quod perniciem aut corruptelam adferat bo-

nis moribus. Etenim penes quem est autoritas iubendi, penes eundem debet esse sciētia fugiē dorum & expetendorū. Tyrānus imperat quod libet, & ei commodum est, maritus consulit id quod optimū est etiam ei cui præscribit. Quod

In omnibus, quid sit.

igitur dicit Paulus *in omnibus*, seipse ibidē interpretatur, *sicut oportet* (inquiens) *in Domino*, Non ergò complectitur impia & contra Dominum

Per omnia, quid.

iussa, sed per eādē hyperbolen, qua liberis præscribit eodē loco parētib⁹ *per omnia* obediēdū, summā sic indicans obedientiam, quos tamen ab inuicē Christus propter nomē suū odio habēdos atque relinquēdos, traditūq; & alterum ab altero interfectū iri prædixit in superiorib⁹ Euāgeliorum locis, & adhuc Matt. 10. Marc. 13. Luc. 12. 21. Cuius & illud prognosticō est, de cō iugib⁹ propter se ab inuicē separādis. In illa (inquit) nocte erūt duo in lecto (adeóq; in carne siue corpore) vno, vnus assumetur, vnus relinquetur, Matt. 24. Luc. 17. quod de coniugatorū ordine nō video quin æquè cōmodè accipi valeat, atque quod ibidē de molētibus in vna mola legitur, eodē sensu quo parentibus liberi *per omnia*, maritis vxores *in omnibus* obediāt (quod aiunt) vsque ad aras. Nec temerè tamen, nec in articulis, nisi catholicis atque clarissimis, vt si vnquā aliàs, nūc certè, hoc est, in schismate tam diuturno, animoso, & contentioso optandū, vt quos Apostolus vxoribus vult in omnibus autores esse, atq; etiam domi doctores, nēpe maritos, eosdē habeāt cū in omnibus, tū vel in re-

ligione maximè doctiores, & locũ habeat sanctissimũ Plutarchi pręceptũ cõnubiale 19. Vxorẽ (ait) amicos proprios habere non oportet, sed vti cõibus cũ viro. Cũ verò prim⁹ sit & maximus DEVS, quẽ vir cẽset esse colẽdũ, solũ eum cognoscere vxorẽ decet, curiosæq; religiones, & peregrinæ superstitiones à vestibulo domus arcẽdæ sunt, nulli enim DEO sacra occulta & abscondita grata sunt, à muliere si fiant. hoc rectè intellecto dici à scriptore, nõ dicã profano, sed quouis & quãuis sacro, sancti⁹ nihil potuit.

Tertium, quod nobis toties & tã prolixè digrediẽtibus hîc sit vltimum, Cũ multa vxor viro, multa vir vxori debeat, tã multis ne dicam modis omnibus, hic superior sit, inferior illa: Vna modò re pares sunt, mutua debiti cõiugalis fide: *Vxori*, inquit noster, *vir debitũ reddat, similiter autẽ vxor viro, mulier sui corporis potestatem nõ habet, sed vir*, Tolerabilis est sermo, cũ eidem Paulo dicatur vxoris caput vir, & hic etiam in illã apud nõnullas nationes habere soleat vitæ ius & necis, vt quod sequitur, *similiter &c. vir sui corporis potestatẽ non habet, sed mulier*, durè dictũ videatur, mollius fiet, cõmodè acceptũ, nõ enim simpliciter potestas corporis virilis est penes vxorem, aut vxorij penes maritum, sed tantùm quod attinet ad vsum coniugij: hoc enim loco corporis nomine, mẽbra quibus discernitur sexus, peragitúrque concubitus, appellari scribit cõtra Iulianum August. lib. 5. cap. 4. Quis enim dicat virum sui potestatem corporis non ha-

Potestas corporis muliebris penes virum qua intelligatur.

bere, si in his Apostoli verbis totum corpus intelligas, quod cõstat omnibus membris? In genitalibus ergò ius est mutuum alteri in alterũ, quia nihilo magis vir gignere potest absq; vxore, quàm vxor absq; marito. Est, inquit in Oeconomicis lib. 1. cap. 3. Philosophus, impossibile fœminam sine mare, aut marem sine fœmina, quod desiderat natura, in multis talia efficere, hoc adimplere: quare maximè secundũ naturam eorum est societas, & ex necessitate constituta. per hunc (ait) circuitum adimplet natura sempiternitatem, secundum speciem, ex quo secundum numerum non potest. In Mosis autem lege nõnihil videtur non idem fuisse vxori in virũ, quod viro in vxorem ius, alioqui Lia non redemisset noctem mariti à sorore, pretio Mandragorę, Gene. 30. si potuisset suo iure poscere. Sed prӕterquã quòd mysterium est, sanctis matronis polygamo viro alternis fruendũ erat. Dilucidum autẽ est, quod Apostolus prӕscribit, & ratio naturalis Apostolicã legẽ confirmat. Aliter ergò maritus ius habet in corpus vxoris, aliter in ancillӕ: ancillã potest extrudere, olim etiam vendere, vxorem non itẽ, quod ab hac suo iure exigit, ab illa non potest, corporis vtique seu sexus obsequium, ad officium aut remediũ, nec vxor à seruo, Neuter indubiè quod in alterum ius habet, alij cedere potest, ne de mutuo quidem consensu, sub lege prȩsertim Euangelica, in qua matrimonium ad statũ suum primӕuum reductum est, sic vt quod ab

Lia noctem mariti redemit.

initio fuit, duo ſint, nec plures, in carne vna, locis paulò antè allegatis, & ſint alter alteri vnicũ adiutorium, non adiutoria plura, acutè nanque Tertullianus de Monogamia, Adiutores (ait) dixiſſet, ſi pluribus eum deſtinaſſet. De patrũ autem tunc polygamia, non autem concubinatu, ſemper indubiè illicito, & eorũ qui illos in cõmunicandis cõiugibus perperam imitati ſunt, cacozelia, nos in opere de Continentia, lib. 2. cap. 9. lib. 4. cap. 15. Vt ad rem redeam, Quoniã non minus periclitatur imbecillis ſexus fœminæ quàm viri, non minus præſto eſſe debet obſequium viri quàm fœminæ. Sed hîc exiſtũt variæ quæſtiones de modo, tempore, reliquíſque circunſtantiis. In quibus emergunt caſus quidã vix ſermone verecundo tractabiles: Sed vrgentib⁹, vt olim hæreticis, ſic hodie curioſis, Theologos coëgit, quod eleganter vbi ſuprà Auguſtinus, diutius de rebus pudendis loqui neceſſitas, & circunloqui honeſtas, quam in quibuſdã Eccleſiæ non tantũ ſcriptoribus, ſed etiã principibus, aures caſtæ non immeritò deſiderent: Si modò meritò malè Cynici vel apud Gẽtiles ſemper audierũt, qui quod facere turpe nõ eſt, id dicere obſcœnum negabant, corporis humani partes, quas occultauit natura, earũq; neceſſarios vſus ſuis nominibus appellãtes. Liberis; inquit Offic. 1. Tullius, operã dare, re honeſtũ, nomine obſcœnum. Nos autẽ ſequamur naturam, & ab omni quod abhorret, ab oculorum auriúmque comprobatione fugiamus. Quem

Cynicorum impudentia.

imitatus noster Ambrosius, eodem & titulo & lib. cap. 18. vt non solùm (ait) abscondamus ab oculis, quæ infirmiora, ignobiliora, & min⁹ honesta, sed necessariora corporis membra Paulo vocantur, 1. Cor. 12. sed & quæ abscōdenda accepimus, eorū indicia vsúsq; mēbrorum suis appellationibus nūcupare indecorum putemus. Puderet ergò cælibes, quasi (si Deo, si Festo, si Gabino placet) cælites, eadem de causa Grecis ἠίθεοι dictos Fabio, lib. 1. cap. 10. puderet hos inquam, minus interim verecūdè hac de re loqui, quā mariti vlli, qui, quod ait vbi paulò antè, Cicero, sana modò mente sunt, Mētior, nisi vel in vno titulo de frigidis & maleficiatis, adeóque in vna eius tituli Innocentiana, Fraternitatis, non plus sit obscœnitatis, quàm in omnibus omnium Impp. paganorum aut Christianorum legibus per omnes pandectas, De nuptiis, aut vniuersum codicem, De ritu nuptiarū, & id genus titulis dispersis. Proinde vt simul pudori & breuitati studeam, cum primis oportet Christianos meminisse dicti Apostolici, Sit honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus, Heb. 13. Quicquid igitur pertinet ad abominandas libidinum species, nec vir habet ius ab vxore petendi, nec vxor tenetur lege reddendi. Adferant magis à parentum ædibus corpora casta & illibata, animos pudicos & verecundos, Deum deíque filium Christum cōiugij sui testem & auspicem faciāt, & priusquam se cōtingant, cōprecentur, vt ex eius præceptis

O bscœnitas in iure canonico.

& legibus omnia, nihil impurè vnà gerant, vt qui primus iūxit vxorē viro, & in Paradiso con iugij fœdus inter generis nostri principes dedicauit, cuius vnigenit⁹ filius nobis hoc sacramētū tot modis cōmēdauit, natura primū nostra sibi velut in matrimoniū ineffabili adiūcta, & in sponsam adoptata sancta Ecclesia, in coniugio, licet non è coniugio nascēs, miraculorum suorū primitias in nuptiali epulo auspicās, & sacrosanctum fœdus hoc indissolubili vinculo ligans, fauore suo nuptias prosequatur, coniugiū velit esse firmum, castum, fœlix, vt volentes ac lubentes faciant, quod didicerūt, Domino placere, vt bene fortunet quod amāter inter se gesserint. Succedat cōgressus pudicus, reuerēs, nihílque cum stupro, raptu, concubinarum cōuictu, nihil cum bruto furore, cū equina libidine vel simile habens, vel cōmune. A talibus initiis colloquiis, & preculis auspicari deberet matrimoniū Christianū, nec nos sub Christo facere puderet, quod sub Mose factitatum ex historia Tobię colligim⁹, ex qua quę in pręsentē rē sint & literā, pluscula colligere nō grauabimur, præsertī quod in ea sācti parētes Raguel & Anna filiā Sarā, vel poti⁹ scriptura in ea vna omnes matresfamil. esse iubet, qualē hîc describit adolescētulā. Sic ergò legim⁹ Tob. 3. Cū viros septē, quib⁹ ea tradita fuerat, Cacodæmō Asmodeus priusquā ad eā ingressi rem habuissēt, suffocasset, ex hoc nomine quasi malefica & viricida audiret, triduano macerata ieiunio, sic orauit in

Cōiugiorum auspicia quæ debeant esse.

ſuperiore domus cubiculo. Scis Domine, quia virum nũquam concupiui, & mundam ſeruaui animam meã ab omni concupiſcentia (aut flagitio virili) nunquam me cum ludentibus & leuitati deditis miſcui, neque ſociã adiunxi, Virũ autem cũ timore tui, nõ libidine ducta capere cõſenſi, & aut ego indigna, illis fui, aut illi me, quòd me alij fortaſſe viro reſerues, Non enim eſt in hominis poteſtate cõſiliũ tuũ. Sit nomẽ Domini benedictũ, &c. 6. Cũ hæc cognationis iure Tobiæ iuniori deberetur, hunc tã triſti tot ſponſorum euentu, quominus eam duceret, deterritum, Raphaël angelus futuri inter eos matrimonij pronubus idem & auſpex ſic alloquitur, Oſtẽdam tibi quibus dæmoniũ præualeat, his nimirum qui coniugiũ ita ineunt, vt Deũ à ſe & corde ſuo excludant, & libidini ſic vacent vt equus & mulus, quibus non eſt intellectus, ex Pſal. 31. Tu autem cùm eam duxeris, cubiculum ingreſſus, triduò continebis, & nihil aliud quã vna precabimini. Prima nocte dæmon fugabitur, ſecunda in ſanctorũ patriarcharũ conſortiũ admittêris. Tertia fœlicitatẽ & benedictionẽ cõſequêris, vt liberi ex vobis procreentur incolumes. Tum demùm rem habituri, ſurgẽtes Dominũ inuocate, eius timore, & filiorũ magis deſiderio, quã libidine cõuẽturi, vt in ſemine Abrahæ, benedictionẽ in liberis cõſequamini, cap. 7. parẽtes filiã hoſpiti collocant, præeunte ita patre, Deus patrum vobiſcùm ſit, vos cõiũgat, & ſuã in vobis benedictionẽ impleat.

Coniugij charta conſcribitur,epulantur benedicentes Deum:inducitur in cubiculum ſponſa,lacrymat,precatur. Cap.8. Poſt cœnam introducitur ad eam ſponſus,angelus bonus malum apprehendit,religat,& in Ægypti deſertū relegat. Iuuenis virginem hortatur ſurgere, & Deum(inquit)hodiè,cras,& perendiè comprecabimur,quia hoc trinoctio,Deo iungimur,ſic demum noſtro fruituri coniugio. Filij quippè ſanctorum ſumus,nec poſſumus ſic coniungi, vti gentes Deū ignorantes. Conſurgentes vnà obnixè orant:ſic quidē Tobias,Domine Deus patrum noſtrorum, benedicāt te omnes creaturæ,Tu feciſti Adam de limo terræ,eíque dediſti adiutorium Euam.Et nunc ſcis quòd non luxuriæ cauſa,ſed ſola poſteritatis,in qua benedicatur in æternum nomen tuum, dilectione hanc accipio coniugem.Sara autem ſic, Miſerere noſtri,Domine,& fac vt ambo pariter ſani conſeneſcamus.Quam clauſulam & alij interpretes viro aſcribunt:ſponſam tantùm ſubieciſſe,Amen. Cùm ea nocte congreſſi eſſent iuuenes,parentes ſponſæ reſcito de bona eorū valetudine,præter ſpem,nūtio,quòd eos Deus eſſet commiſeratus,excluſo inimico & perſecutore, qui ſponſos priores alium poſt alium occiderat,Deum benedicunt,laudant,& idem, vt à filiis plenius fiat, precantur, pro ſepulcro epulum inſtruunt: cum omnibus amicis & vicinis epulati,& duas hebdomadas vnà morati, viaticum abituris neceſſarium præparant, pa-

Tobiæ iunioris ſponſi oratio.

Saræ ſponſæ oratio.

Nuptiale epulum.

trimonium genero diuidunt. Cap. 9. Gabelus ad nuptias inuitatus, discumbit, & exiliens cũ osculo ac fletu, ita benedicit, Benedicat te Deus Israël, quia filius es optimi viri, iusti, Deum timẽtis, eleemosynarij, & dicatur, benedictio super vxorem tuam, & parentes vestros, sic vti filios vestros, & filiorum filios videatis, & sit semen vestrum benedictum à Deo Israël in secula, Omnibus Amen respondentibus, cũ Domini timore nuptiale conuiuium concelebrant. Cap. 10. Parentes valedicturi, deosculatã prius filiam cõmonent, soceros honorare, qui nunc (aiunt) parentes tui sunt, diligere maritum, regere familiam, gubernare domum (agnoscis vxoriæ per Apostolum institutionis verba) & seipsam irreprehensibilem exhibere. Sic editio vulgata. Moderni addunt, Annam generum, ne filiam, quam ei quoddam quasi depositum cõmittebãt, vlla vnquam molestia afficeret, aut malè tractaret, vtrosque optasse, vt ex eis liberos Deo probatos, priusquam morerentur, videre liceret. Quàm multis precibus initum est, profecit, ac perfectum est vnum hoc matrimonium! quod tantò plus christianos imitari conueniret, quò plura videmus inter Christianos coniugia minus Christiana, hoc est, plus satis obscœnitatis, & minus quàm par est, honestatis habentia: quorum vt irreligiosi plerunque ingressus, ita progressus irrequieti, & infœlices exitus, præsertim cum vulg⁹ Christianũ propemodũ hîc grauius peccet quàm ethnici quidã:

Nouæ nuptæ institutio.

Vulgi christiani immodestia in nuptiis.

Quotus enim quiſque Chriſtianus vel ſentit, vel ſibi proponit, quod in Oeconomicis ille profanus? Cùm liberorũ (ait) procreatione nec maius nec ſanctius quicquam eſſe poſſit, nihil item magis vxori ſuum ſit, aut ei à viro præſtandum, quàm ſancta & intemerata ſocietas, non tantùm non decet hominem, ſanæ modò mentis, vbicunque contigerit, ſemen exponere, ex quo vxor honore ſuo priuetur, & legitimis liberis fiat iniuria, ſed & vxori appropinquandum cum magna verecundia & modeſtia, vt ſit & in verbis pudor, & in operibus fas & honeſtas, & in conuerſatione fides & moderatio, lib.2.cap.1.2. Vt ergo redeam ad ius beneuolentię coniugalis, quando ſemel cœpi cęlebs rem vxoriam tractare, pergam alienis, vt ferè ſuperiora, verbis. Hac igitur in re monẽdæ virgines, vt neque ad eam vltro ſponſos prouocent. hoc enim neſcio quo pacto viliores, minúſque charas redderet, neque petentibus nimium tetricas ac præfractas ſe præbeãt, & hoc enim rurſus amorẽ verteret in odiũ, Nõ exigere, matronę eſt: comiter negare, pudoris: obſtinatę recuſare, perfidię. Spõſi vero quem inituri ſunt, cõgreſſum, ſacrũ, imò & ſacramentalẽ, & rei omniũ ſacerrimæ ſanctiſſimæque myſteriũ, quod in tẽplo, Dei domo, à Dei ſacerdote quodã quaſi paranympho, imò & angelo audierũt, ęſſe recordentur, ſicut & de Tobia legimus, Recordatus (inquit) ſermonũ angeli, exhortatus eſt virginẽ, &c. Tob.8. ita indubiè rem ve-

Debitũ coniugale vt petendũ & præſtandum.

recundius adorsuri, Quosdam enim cõtrà, parum vtique quid sit matrimonium Christianũ, vel edoctos, vel memores, quasi vi raptã ineãt, & prosedam, quando sic auspicantur primos congressus, non vxorem, furere dicas potius quàm amare. Et verò coitus quidam furor est, & minor, iuxta Hippocratem, epilepsia, morbíque teterrimi, quem nostri comitialem dixerunt, pars quædam, Gellius lib. 19. cap. 2. Macrob. Saturnal. lib. 2. cap. vlt. nisi triplici nuptiarum bono & honestate exceptus, Fide, prole, sacramento. Meminerint ergo tum coniuges vel in geniali lectulo homines esse se, nõ pecudes, & sanctos homines, non profanos. Filij (ait Tobias) sanctorum sumus, non gentiles Deum nescientes, non, quod Paulus ait, sine Christo, sine Deo in hoc mundo, Eph. 2. De quibus & apud prophetã queritur Dominus, Equi amatores in fœminas, & emissarij facti sunt, vnusquisque ad vxorem proximi sui (aut etiam ad suam) hinniebat, Hier. 5. & Ezech. 23. quasi asinorum carnes, eorum carnes: quod & alibi scriptũ, assimilati iumentis insipiẽtibus, Psal. 48. 31. Facti sicut equus & mulus, quibus nihil intellectus. Pulchrè in Xysti Pythagorici sententiolis dícitur, Adulter est vxoris propriæ amator ardentior, citat in Ezechielem lib. 6. Commentariorum, & ad finem 1. aduersus Iouinianum Hieronymus, In aliena quippè vxore omnis amor turpis est, in sua nimius: Vir sapiens, iudicio debet amare coniugem, non affectu,

Coitus, minor epilepsia

Vxoris propriæ nimius amor, velut adulterium.

reget impetus voluptatis,nec præceps feretur in venerem.Nihil fœdius,quam vxorem amare,quasi meretricem.Certè qui se dicunt Reipublicę & generis humani causa vxoribus iungi,& liberos tollere,imitentur saltem pecudes, ne postquam vxorum venter intumuerit, perdant filios,nec amatores se vxoribus exhibeãt, sed maritos.In eadem sententia fuisse antè diximus Augustinum & Gregorium, maritis à cõceptu abstinendum ab vxoribus, quòd mulieres aliquoties,si tum rem habeant, abortiũt. Addam quod & attigimus,eodem in Quæstionibus super Leuiticum lib.3. cap.64. accessum ad menstruatam non semel in Lege prohibitum, Leuit.12.15.18.20.ne figuratè accipiendũ putaretur,sed inter talia prohibita positũ, quæ etiam tempore noui testamenti, remota vmbrarum veterum obseruatione,sine dubio custodienda sunt.Quod etiam videtur per Ezechielem significasse, qui cap.18. inter peccata quæ non figuratæ, sed manifestæ iniquitatis sunt,etiam hoc commemorat loco 6.ad talem si quis accedat:& inter iustitiæ merita, si non accedat,qua in re non natura damnatur,sed accipiendæ prolis noxium prohibetur: Per singulos enim menses grauia & torpentia mulierum corpora,immundi sanguinis effusione releuantur,quo tempore si vir cum muliere coierit,dicuntur concepti fœtus vitium seminis trahere,ita vt leprosi & Elephantiaci ex hac conceptione nascantur, & fœda in vtroque sexu

Mariti à grauidis vxoribus abstineant.

Menstruatæ consuetudo prohibita.

corpora, paruitate vel enormitate membrorũ ſanies corrupta degeneret. Viris ergò præcipitur, vt non ſolùm in alienis mulieribus, ſed in ſuis quoque, quibus videntur lege coniungi, ſcriptura dicente, Creſcite, multiplicamini, replete terram, certa concubitus norint tempora, quando coëundum, quãdo ab vxoribus abſtinendum ſit. Quod quidem & Apoſtolus, 1. Cor. 7. & Eccl. 3. ſonant, Tempus amplexandi, tempus longè fieri ab amplexibus. Caueat ergo & vxor, ne fortè victa deſiderio coëundi, virum illiciat, & vir ne vim faciat vxori, putans omni tempore ſubiectam ſibi eſſe debere coniugij voluptatem: vt nouerit (ait Paulus) vnuſquiſque vas ſuum poſſidere in ſanctitate & pudicitia, primæ Theſſalonicenſiũ. 4. & muliebri vaſculo honorem tribuat, 1. Petr. 3. quem Hieronymus, 1. in Iouinianum, abſtinentiam à cõcubitu exponit. Sic enim colligit, Si nos abſtinemus, honorem vxori tribuimus: ſi non abſtinemus, perſpicuum eſt honori contrariam eſſe contumeliam. Quæ expoſitio nõnihil violenta eſt. Cohabitent ergò iuxta ſcientiam, vt nouerint quid velit, quid deſideret Dominus. Idẽ certè, quod 1. cap. 1. in genere dixerat caſtificandas animas in obedientia charitatis, velut explicãs, ſi Clementi credimus eius auditori atque ſucceſſori, lib. 6. recognitionum. Eſt (aiebat) propria quędã religionis noſtrę obſeruãtia, quę nõ tam imponitur ab hominibus, quã propriè ab vnoquoq; Deũ colẽte puritatis cauſa experitur,

Concubitus ſua eſſe tempora.

Vas ſuum in honore poſſidere, quid.

Castimoniæ dico causa, cuius species multæ sunt, sed prima, vt obseruet vnusquisque ne mẽstruatæ mulieri misceatur, hoc enim execrabile ducit Dei lex, quæ licet de his non admonuisset, nos vt Cantari (vel fortè Canterij) libenter volueremur in stercore. Debemus amplius aliquid animalibus habere reliquis, vt potè rationabiles, & cælestium sensuum capaces, quibus summi studij esse debet ab omni cordis inquinamento conscientiam custodire, Sed & ea castimoniæ species obseruanda, vt ne passim & libidinis causa, fœminis coëatur, sed posteritatis reparandæ gratia. Quæ obseruantia cùm in nonnullis etiam pecudibus inueniatur, pudoris est, si non ab hominibus & rationabilib⁹, & Deum verè colentibus obseruetur, cum etiã & apud eos qui à diabolo adhuc in erroribus detinentur, attentius obseruetur, est enim & apud eos nonnulla castimoniæ obseruantia. Et eodẽ collectore in constitutionibus Apostolicis, lib. sexti capite vigesimo octauo, Naturalis quidẽ purgatio odiosa Deo non est, vt quam mulieribus menstruam instituerit, valetudinis firmitatisque causa, cùm otiosæ sint, quia magna ex parte domi sedent, nam & sanguinifluam, cùm sanitatis gratia fimbriam attigisset, non molestè tulit Dominus, nec accusauit, imò potius curauit, Matth. 9. Marc. 5. Lucæ octauo. Mẽstruis autem apparentibus viri ne coëant, vt filij sine morbo nascantur.

Menstruatæ commixtio, execrabilis.

Menstruosæ cur sint mulieres.

Pragnantiũ consuetudo non habẽda.

Nec magis cum prægnantibus consuetudinem habeant, non enim suscipiendorum filiorum, sed voluptatis causa, hoc faciunt. Oportet autem Dei amicum voluptatem non appetere. Vt igitur è tam longinqua digressione, quadã quasi peregrinatione, vel tandem redeam, & connectam superiora sequentibus, subiiciam quod sequenti capite, Mulieres (inquiunt Apostoli) subiectæ estote viris vestris, eósque in honore habete, ac timore & charitate illis inseruite, vt S. Sara Abraham honorabat, quem nec nomine audebat appellare, Dominum vocans. Itẽ, Viri, diligite vxores vestras, vt propria mẽbra, & corpora vestra, vt vitæ socias, vt consortes, & in filiis generandis adiutrices. Collætemini, ait Prou. 5. Iuxta aliam literam, vt gratiarum pullus, & amicitiæ cerua, propria verò præeat, & adsit tibi omni tempore, in huius enim amicitia implicatus, multiplicabilis eris. Et Mal. 2. Dominus testificatus est inter te & mulierem adolescentiæ tuæ, & hæc consors & particeps & socia tua, & vxor fœderis tui. Nõnè vnus, nec alius fecit? (masculum enim & fœminam fecit eos, Gene. 2.) & residuum seu reliquiæ spiritus tui: custodi, & ne deseras. Hæc autem omnia de re vxoria, & pręsertim erga viros obedientia, *vt non blasphemetur verbũ* Dei, ne diuina doctrina malè audiat, hoc est, ne vel ipsę mulieres, siquidem gentiles Euangelium blasphement, vel si fideles nomine tenus fuerint, eius prædicationis blasphemandæ occcasionem

ſionem tribuant gentilibus & infidelibus, videntibus eas peiores effectas, quàm ante fidẽ fuerant. Hoc enim adiectum putant propter eas, quæ maritum haberent vel ethnicum, vel Iudęum, quorum ſi vxores minus fuiſſent virorum & liberorum amantes, minus prudentes, &c. opinarentur hi inſipientes ſic haberi in doctrina Chriſtiana, quam ideo blaſphemarent. Vnde ſuperiorem de aniculis & iuuenculis periodon ſic breuiter enarrat Ambroſius, Tales præcipit ſeniores, vt exemplo ſint bonæ conuerſationis iunioribus, vt ſi infideles viros habeant, congaudeant eis magis quàm blaſphement Dei nomen, dum vidẽt quia propter Dei timorem propenſius obſequuntur viris ſuis. Sic alibi ſanctificatur vir infidelis per mulierẽ fidelem, 1. Cor. 7. & 1. Petr. 3. vt ſi qui non credunt verbo (prædicationi) per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderãtes in timore, ſeu erga viros reuerentia caſtam vxorum ſuarum conuerſationem. Græci more ſuo multa hîc peracutè & diligenter obſeruãt, Paulũ in vxoriis dotibus, rectè à virorũ amore, ceu omnium longè præcipua cœpiſſe: quæ enim virum amarit, prudens erit, caſta, ſobria, corpore ac mente pura, liberos amabit, domũ curabit, rémque ita diſpenſabit, vt vir abundet, non ornatu ſuperfluo (cui enim alteri placere ſtudeat aut morẽ gerere, quàm ei quem plurimum amet, vt placeat & obſequatur prorſus intenta eſt?) non ſumptibus ſuperuacaneis, non

Vxor viri amans, quã fugi.

in victu aut vestitu deliciis, non intempestiuis nec necessariis domo egressibus, aut cursitationibus se occupabit. 11. Paulum alioqui omnia tum facientem, tum dicentem, vt nos à rebus huius seculi, earúmque cura sursum penitus abducat, tantam nunc rei domesticę curam & habere & iniungere, nimirum his bene habentibus, spiritualia plerunque bene habent, & quæ domi probè se gesserit eā in spiritualibus profecturam, & in domo rectè disposita spiritus gratiā locum habituram. 11. Paulum non tam tamen rerum præsentiū hîc rationem habere, quàm prædicationis, vt quietā (ait alibi) & tranquillam vitam agamus, 1. Tim. 2. hîc autem ne Dei sermo non bene audiat, præcipuam verbi, non familiæ curam habens, & scopum, & alibi quidem viri lucrum & profectum, q.d. Siquidē vir gentilis fuerit, ita facilis & ad redamandum pronus fit: sin Christianus, citò ad meliorem frugem euadet, hic, vt Euangelium non maledicatur. Cum enim contingit vt maritum infidelem fidelis vxor non redamet, non audiat, impudica sit, ebriosa, morosa, liberos reliquánque familiam negligat, omnis hæc vxorum prauitas & rebellio in Christianam religionē recidet, calumniantibus eam viris, quæ huiusmodi mulieres habeat. Sin superioribus virtutibus fuerint ornatæ, ex earum bonis meritis prædicatio gloriæ incrementum acquiret. Audiant quæ malis coniunctæ sunt aut impiis, & discant probis moribus ad Dei eos

cultum ac religionem adducere, quæ si nihil aliud fuerint lucratæ, neque eos ad fidei consortium attraxerint, eorum tamen ora saltem obstruxerint, vt ij religionis honorem blasphemare vt maximè velint, minimè valeant. Et verò non minimum, sed maximum & omnino mirabile, si conuersationis mulieбris ergò, religio quoque admirationi sit infidelibus. Tantùm Græci. Cum ergò ex supradictis, caput mulieris vir sit: viri, Christus, rectè infert Hieronymus, Quæcunque vxor non subiicitur viro suo, eiusdem criminis ream esse, cuius & virum Christo non subiectum: verbum autem Domini blasphemari, vel dum contemnitur, & pro nihilo ducitur prima Dei sententia de viro ad mulierem, Geneseos tertio, Dominabitur tui. quæ vt propriè possit accipi, antè omissum breuiter hic videndum est, nec enim & ante peccatum aliter factam fuisse decet credere mulierem, nisi vt vir ei dominaretur, & ad eum ipsa seruiendo verteretur. Ad virum (ait) tuum conuersio tua. Sed rectè seruitus significata est conditionis potius quàm dilectionis, & talis enim qua in dies hominibus postea serui esse cœperunt, de pœna peccati exorta reperitur, Geneseos nono, de qua pòst in seruis hoc capite. Dixit quidem Apostolus, Per charitatem seruite inuicē, Gal. quinto. nequaquā diceret, inuicem dominamini. Possunt itaque coniuges per charitatē

Dominatio viri in vxorem.

Seruitus mulieris viro.

Seruitus mutua coniugũ. seruire inuicem. Sed mulierem non permittit idem dominari in virum, 1.Tim.2. hoc enim viro potius Dei sententia detulit, & maritum habere Dominum, mulieris meruit nõ natura, sed culpa. Quod tamen nisi seruetur, deprauabitur amplius natura, augebitur culpa. Sic Augustinus de Genesi ad literam, lib. 11. cap. 37. Sed & Christi infamatur Euangeliũ, dum contra legem fidémque naturæ, Christiana vxor ex Dei lege subiecta, viro imperare desiderat, cùm etiam gentiles fœminæ viris suis seruiant communi lege naturæ. Et hanc enim ducẽ secuti veteres philosophi, qui Christum alioqui promissum non agnouerant, de nulla re sancti⁹ scripserunt aut religiosius, quàm de coniugio. *Mores viri, lex vitæ suæ coniugis.* Quos inter Peripateticus inter leges probę mulieris, Existimare (inquit) debet mulier verè cõposita, mores viri esse legem suæ vitæ, impositã sibi à Deo per cõiunctionem matrimonij atq; consortij, lib.2. Oeconomicorum, cap. 1. Quis docuit hunc alioqui parum numinis & rarò memorem, autore Deo matrimonia coire? Et cap.2. Qui hęc negligit, Deos ipsos videtur negligere, quibus præsentibus sacra fecit, & vxorem duxit. Qui negat mundum à Deo conditũ, *Matrimonij reuerentia apud ethnicos.* cœptumvè, fatetur matrimonium absque Deo non coniungi: ingenuæ mulieris esse virum diligere ac vereri, sed qua reuerentia parẽtes modesti filij, ciues bene morati beneuolos magistratus, non quo metu vel odio serui Dominos: ciues, tyrannos: zelotypos aut etiã mœchos re-

formidant adulteræ. Et cap. 3. Hũc neque amorem, nec timorẽ absque pudore ac verecundia Homero laudatum, vt & ab eodem mutuam viri & vxoris vnanimitatem, & in regenda cõmuni domo concordiam, sic in Vlyxe & Nausicaa commendatam, vt nihil melius possit hominibus obtingere: non quanlibet, sed honestam modò, nec in iis quę improba sunt & impudica, inuicem consensionem. Sic & apud Xenophontem Ischomachus interroganti Socrati, num sponsam docuisset ea quæ spectant ad bene gubernandam familiã, respondet, Minimè, sed rem diuinam feci, vt mihi quæ forẽt optima, docere contingeret, illi perdiscere: & colligit similia fuisse sponsæ vota, vel hoc argumento, quòd se mariti monitis docilem ac morigeram præbuisset. Sic senex ethnicus in comędia loquitur filio, Abi domum, ac Deos comprecare, vt vxorem accersas. Hic profanus nõ putat satis auspicatas fore nuptias, nisi spõsus Deum apprecetur. Meminit & Plutarchus sacrificij quod ex more fiebat Iunoni nuptiali, præcepto connubiali 28. In hoc cum victima fel exemptum abiiciebatur, non consecrabatur, innuens bilem iramvè nunquam in connubio esse oportere. Præfatur idem veteres Mercurium iuxta venerem locasse, quòd coniugum beneuolentia non tam voluptate corporali, quã animorum coniunctione coëat & sermone comi, & amico velut glutino egeat. Et 14. Oportet, vt Geometræ dicunt, lineas &

Vlyxes Nausicaa.

Vxor à Deo petenda.

Bilis & rixa à connubio exulet.

superficies non per se, sed vnà cum corpore moueri, sic vxorem nullum proprium affectum habere, sed studia, curas, risum, omnia denique cum viro communia. 34. Mulieres cùm viris subsunt & obtemperant, laudem consequi, cùm præesse volunt, magis eas dedecere, quàm eos qui subiguntur: præstare autem maritum vxori par est, non vt dominum pecoribus, sed vt animam corpori, cõspiratione quadam naturali per beneuolentiã cum eo coniunctam, & procurare corpus conuenit, non ipsius seruiendo cupiditatibus & voluptatibus: ita vxori præesse, sic vt prosis, neque nimis demulcendo gratificandóque oportet. Citatur ab eodem in Bruto à Barbaro lib. 1. cap. 8. lib. 2. cap. 17. ab Erasmo, & aliis apud Homerũ Andromache, quantum suo afficeretur Hectori, in quo omnes omnium charitates sibi constituerat, sic eum alloquens,

Mulierum subiectio quã illas deceat.

Andromache quã Hectoris amans

Tu mihi iam solus pater es, matérque verenda.
Tu dulcis frater, tu gratus ad omnia coniux.

Cuius etiam desiderio velut mentis impos, aliquãdo per turbas discurrit, & mœnia collustrauit, quantóque eius tum amore, tum honore, teneretur, volupe est apud eundem legere, cùm virum Troia egredientem cum filio comitatur, oculos in eo vno figit, & vel in subministrando equis ipsius pabulo, vt quibus mariti decus & vita crederetur, diligens & accurata est. Cuius exemplo, vt non quasuis operas

oportet ab vxoribus exigere,si sint famulę,quę idem præstare valeant, tamen si res ita poscat, vxor non grauabitur præstare,quod famula nō dignaretur,vt nec à re quidem coquinaria abhorreat,si quem vir munificus hospitaliter habere domi cōstituerit,quod generosissimi fortissimíque heroës à se non duxerunt alienum: Achilles enim & Patroclus,cùm ad eos reconciliandi venissent Aiax & Vlyxes, ea magno studio reiecta Lyra tractant, quæ nisi hospitalitatis excusatione decora sint,vix mediocribus seruis digna videantur. Viro igitur vxor, si vxoris & officio & laudi respondere velit,nihil non debere fatebitur,ac pręstabit. Quid autem & quantùm amoris vir vxori vicissim debeat, in eodem exemplo videre est,Hectorem parētum,fratrū,patriæ quoque cineres forti animo laturū, Andromaches vxoris vtique bene merentis futuros casus cogitantem,ferre non posse. sic hac in re heros barbarus alioqui fortissimus,lenis,sic mollis est,vt prorsus alter à se fieret, Erectus rerum gestarū gloria,nihil de proprio,multa de cōiugis euentu anxius, gemens, suspiriosus queritur. Et naturali ergo,vt & diuina autoritate,tāta v[illegible]t, & huius fœderis tam intima coniunctio, vt & in parentes alioqui maxima pietas istius splendore necessitudinis obscuretur,vt eis relictis,hi sibi inuicem adhęreant, Gene. 2. & sic præ charitate mutua oculos sibi pręstringant,vt prætermissis omnibus,

Hospites magni vt excipiendi, exemplum.

Vir uxori opes suæ, & mundus, & thesaurus.

vnos se colant, mirentur, diligant. Sic Plutarcho, Phocionem vxor opes suas, mundum suũ & thesaurum vocat. Sic Xenophonti, Tigranis Armenia vxor, absentis mariti impatiens, & comes vbique indefessa, domum ex aula Cyri reuersa, quid de huius pulchritudine sentiret, viro percontanti, abs te (inquit Deos obtestando) nusquam oculos deflexi. Itaque qualis Cyri forma sit, prorsus non noui. Tales Hieronis & Duellij vxores, graueolentiam viris ab inimicis exprobratam, domi expostulantibus quòd eius eos vitij nunquam admonuissent, responderunt se putasse viris omnibus ad eundẽ modum animam olere, Plutarch. de vtilitate ab inimicis capienda, Erasmus in Apophthegmatis. Si verè senserunt quod dixerunt, argumentum fuit insignis tum pudicitiæ, tum etiã simplicitatis, nulli vnquã viro tam vicinas fuisse, vt oris halitũ sentiscerent: Sin finxerũt, magna erga maritos fuit tum ciuilitas, tum etiam tolerantia, tandiu pertulisse hoc incommodũ absque fastidio aut iurgio. Et talem esse voluit nõ nuptã modò, sed & nupturã P. Meni⁹, animaduerso grauiter in libertũ sibi gratũ, qui osculũ nubili filię, errore licet [illegible]us, non libidine, dedisset, vt non solùm virginitatẽ illibatã, sed & oscula puellæ ad maritos syncera perferẽt, Valerius de pudicitia. En quàm parum, aut potius nihil, castę sibi mulieres, vt mulierib⁹ etiã leges sine viris permiserunt. Maiores, ait Cato Liuij lib. 34. nostri nullam ne priuatam quidem rem

Oris graueolentia in maritus, à coniugibus dissimulata.

Osculo etiã delibatur puellæ virginitas.

agere fœminas sine autore voluerunt, in manu esse virorum,&c.quod si,quod ibidem malè metuebat,viris eæ exęquari voluerint,poëtã audiant lib.8.Epigrammate 12.

Inferior matrona suo sit,Prisce,marito,
Non aliter fiunt fœmina virque pares. Sin hoc non contentæ,etiam superiores esse contenderint,non minus rectè monuit Mimographus, *Bona mulier parendo viro imperat.* Fœminæ pulcherrimum imperij genus obsequendo imperare. Apud Terentium in Ecyra Act.1. Scen.2. in Philomeno vxorem ad viri offensas conniuentem ita commendat Parmeno,

Imperij gen' in muliere viro obsequi.

Hæc ita uti liberali esse ingenio decet,
Prudens,modesta,incommoda atque iniurias
Viri omnes ferre,& tegere contumelias. quòd Pamphilus scilicet ab vxore abstinens, & multis eã diebus attingere nolens,meretriculam insuper amaret Bacchidem. Liuia iam nobis allegata, interroganti cuidam, quanam ratione Augustum ita in suam potestatem redegisset,respõdit,Exquisita pudicitia,omnia eius mandata libenter exequendo, nullas eius res scrutando, lusus eius venereos neque persequẽdo, & dissimulando, Dion. lib.58. At Christi fideles vt ea in re nolim conniuere, sed mutuũ monere, ita mox tamen non discedere,aut diuortiũ mittere:quòd si discesserint,præ nulla vel pauca emendandi alterutrius spe, eadem (quando nemo sapit vel desipit omnibus horis) refulgente reconciliari (quoad eius fieri poterit) cum

Liuia Augusti coniugis prudentia.

Paulo consulam, quando diuertentes alioqui remanere innuptos oportet, 1. Cor. 7. Et hactenus de vxoria obediētia, subiectione, ac etiam patiētia. Neq; verò nō viris opus ad muliebrē imbecillitatē mutua quadam συγκατάβασει, hoc est, cōdescēsione. Non possunt omnes esse Socrates, qui Xanthippas morosas & iurgiosas, irísque ac molestiis muliebribus diu noctúque scatentes, domi patiantur, vt insuescant & exerceantur cæterorum quoque foris petulantiam & iniuriam ferre facilius: multò minus Iobi esse, aut Tobiæ, quibus vxores non in malis solatrices, sed ad peius tētatrices relictas esse scriptura prodit: & prior quidem comparis, quæ simplicitatem illi suam exprobraret, stultitiam patientissimus alioqui minimè pertulit, minus verò ad irrogandā Deo blasphemiam vel connixit, vel consensit, Iob. 2. Posterior autem, nō dubito, quin, vt parentes & cognatos spem illius irridentes, sic vxorem suas ei eleemosynas & sepulturas exprobrātem increparit, Tob. 2. Ferenda ergò vxorū leuiora quidem vitia, non fruenda, iuxta quam sententiā lepidè Varro in Satyra Menippea, quam de officio mariti scripsit, Vitium, inquit, vxoris aut tollendum, aut ferendum est: Qui tollit, commodiorem præstat, qui fert, sese meliorem facit. Vbi Gellio, lib. 1. cap. 17. tollere dictum apparet, pro corrigere, at non corrigitur, nisi auferatur. Id etiā si corrigi nequit, ferēdū, quod scilicet à viro ferri honestè possit. Vxor ergò vt dum corrigibilis

Iobi & Tobiæ patiētia in morosis vxoribus.

Tollere, quid sit.

eſt,ferenda,ſic incorrigibilis,iuxta Mimum,vt *Amici vitia ſi feras,facies tua*, Non ſic quidem ea in te transferendo,vt iis ea vacua ſit,ſed noua contrahendo,quòd vel peccantem non corripias, Matth.18.Luc.17. vel ad inemẽdabilem cõniueas.Hæc de re vxoria. Sequitur in textu.

Iuuenes ſimiliter hortare, vt ſobrij ſint.


Onſequenter oſtendit,quid & qualiter deceat mares iuuenes,prius liberos,deinde & ſeruos.Eſt autẽ vel repetẽdum, vel certè non omittendũ, quod huc ſeriò diſtulimus, Superioris periodi clauſulam hanc,*vt nõ blaſphemetur verbũ Dei*,ex gloſſa ordinaria vndecũq; ſumpta, & Lyrano, ad omnia ſuperiora ſiue prædicta, ſed & ad ſequentia & pòſt dicẽda referri poſſe,quaſi diceret,Hortare ſenes,anus, adoleſcentulas, ſed & iuuenes & ſeruos,vt ſic ſe habeant, vt diximus & dicemus,quod ideò facere debebãt, quia tũ fideles inter infideles habitabãt. Ideóque ſi illi incompoſitis fuiſſent moribus,hi fidem catholicã irriſiſſent & maledixiſſent. In ſequentibus autẽ,vt& in præcedentibus,imò vt vbique,doctrinæ ſeruat decorum,id hîc Græcis doctè & acutè notantibus,qui docẽdas fœminas fœminis permiſit, & aniculas iuuencularũ eſſe magiſtras, virilis ſexus inſtruendi curam omnem viris permittit, & maribus marem, iunioribus Titum præceptorem præficit, dicens, *Fœminæ fœminis docendæ permiſſæ.*

Iuuenes hortare, & ficut in eo quod fuprà dixerat, Anus fimiliter, &c. Similitudinem anuum diximus ad fenes referendam, ita nunc in eo quod intulit *Similiter*, iuuenum fimilitudinem ad anus & per anus ad fenes aptandam arbitramur, vt fenum habeant fobrietatem, pudicitiã, prudentiam, in fide, charitate, patientia fanitatem, Anuum in habit⁹ fanctitate, vt ne fint accufatores, neu vino multo feruiant, bene docentes, &c. Proprium autem adolefcẽtulorum hoc pofuit, *vt fobrii fint*, σώφρονες, & hîc Hieronymus fuperiorum autor, fui femper fimilis, legit, pudici. Ambrofius, continentes effe, vt quoniam iuuẽtus folet modum egredi, vino ad lapfum effe promptior, idcirco falubribus retinaculis contineri iubeatur, quò infrenata, diuinis legibus gubernetur. Bruno, temperatos, Anfelmus, modum tenentes, & nullam fuperfluitatem fectantes, ficut fæpe confueuerũt iuuenes.

Sobrietatis frænum iuuenibus.

Reliqui Latini cum vulgata lectione hîc exponunt auferri luxuriæ fiue libidinis caufam, tollẽdo ebrietatem, multorum fanè vitiorum occafionem ac principium: quia ergò ea ætas ad fequendos paffionum, maximè carnalis concupifcẽtiæ, affectus impellit, ideò fobrietatis ceu fræno retinẽda eft. Græci, verterint licet eorũ Latini interpretes, *fobrii*, propius tamen exponunt ad fuperiorem de pudicitia intellectum,

Voluptates domare, iuuenibus perdifficile.

Nihil (inquientes) tam difficile, tamvè huic ætati durum, quàm voluptates noxias & mortiferas domare, non pecuniarum fitis, non glo-

riæ ſtudium, non cuiuſuis rei alterius concupiſcentia, iuuenilem ætatem perturbat & vrit, vt corporum amor, & inſana hæc libido. Ideóque aliis omnibus omiſſis, circa id quod magis vrget, & plus eſt neceſſarium, verſatur admonitio, hunc ſcilicet ignem adeo infeſtum, ſobrietatis velut aqua reſtinguendum, quę virtus eo maior erit adoleſcentiæ ornamento, quò cum ea libido acriꝰ & magis hoſtiliter bellum gerit. Quod autem ſequitur, *in omnibus*, ſiue *per omnia*, cum ſequentibus, cum Græcis & aliquot Latinis primæ huius capitis lectione iunxi. Ambroſius, Hieronymus, quique hunc ſequuntur, Sedulius & Anſelmus, ſuperioribus iungunt. Licet (ait) Latinorum quidam ſic legendum exiſtimant, vt poſtea inferant, *In omnibus teipſum præbens formam bonorum operum*, tamen ſciamus ad ſuperiora eſſe referendum, id eſt, *exhortare vt pudici ſint in omnibus*, tam ſcilicet mente quàm corpore: tam opere, quàm cogitatione: vt nulla ſit in adoleſcẽte turpitudinis ſuſpicio. Sciendum quoque continentiam non ſolùm in carnis opere, & animi concupiſcentia, ſed *in omnibus* rebus neceſſariam eſſe, ne honores appetamus indebitos, ne accendamur auaritia, nevè vlla paſſione ſuperemur. 1. De ſobrietate porrò præter ea quæ in hanc & 1. ad Timotheum cõmunia viris & mulieribus obſeruaui, Plato lib. 2. de Legib. lege ſanxit, vt pueri ad duodeuigeſimum annum vini vſum prorſus ignorẽt, non iniiciendum ignem igni, antequàm viri effecti

Continentia

Vini vſus iuuenibus quã do & quatenus permittẽdus.

ſubire labores incipiant: furioſum nanque iuuentutis habitum cauendum, dein vino moderatè vtantur ad annum vſque ætatis triceſimũ. Ab ebrietate verò & vini repletione iuuenes omnino abſtineant. Cùm ad quadrageſimum peruenerint, tum in conuiuiis liberius diſcumbentes, Dionyſium ad ſacra ſenum & ludos inuocēt, qui hominibus vinum quaſi remedium aduerſus ſenectutis duritiam largitus eſt, vt reiuueneſcere videamur, & mœſtitiæ nos obliuio capiat, animíque affectio, vt in igne ferrum, ex duritie in mollitiem deducta, flexibilior fiat. Sequitur Platonem ad Euſtochium Hieronymus, Vinum & adoleſcentia, duplex voluptatis incendium: quid oleum flammæ adiicimus? quid ardẽti corpuſcula ignium fomenta miniſtram'? Et quo autore anteà vini pluſculum ſenibus indulſimus, Auicenna, quo item loco ex Cœlianis lectionibus, lib. 28. cap. 29. Pueris vinum ſi offeras, perinde videri, acſi igni aggerere ignem perrexeris, materia præſertim debili ſuccenſa: Cuius ita rationem reddit, Pueros inſigniter vini oblædi hauſtu, quòd laxis rariſque ſint corporibus, & de caloris inſiti exuperantia inflammari facilè valeant, neruis porrò imbecillibus admodũ, nec cerebro item valido: quibus de cauſis in vini crebriore hauſtu multiplex ſe nocumentum promit.

Senibus vini vſus quàm commodus.

Digreſſio VII.

Et quoniam ingeſſerunt ſe nobis ſenectus &

iuuentus, ſuccurrit vt nonnulla ſuper ætatum diſtĩctione promamus in medium, eò quidem prolixius, quod mirum quàm non omnino ſuper ea conſentiant autores: quid igitur de gradibus ætatis humanæ ſenſum ſit, dicam. Tubero apud Gellium, lib. 10. ca. 28. ſcripſit Seruium Regem Rom. cùm quinque claſſes cenſus faciendi gratia inſtrueret, pueros exiſtimaſſe mi- *Pueri.* nores annis XVII. inde milites aut alioqui Reipublicæ idoneos ſcripſiſſe, eóſque ad annum XL. iuniores, ſupra eum ſeniores appellaſſe. Ex *Iuniores.* hac Tullij cenſione maiorum moribus & iudi- *Seniores.* cio, innoteſcit pueritiæ, iuuentæ, ſenectæ diſcrimen. Varro apud Cenſorinum ca. 14. quinque gradus æquabiliter putat eſſe diuiſos, vnũquenque ſcilicet præter extremũ, in annos XV. Itaq; 1. gradu vſq; ad annũ XIIII. dictos pueros, quòd puri ſint .i. impubes in 2. ad 30. adoleſcentes *Adoleſcẽtes* in 3. ad quadraginta annos vſq; iuuenes, quòd *Iuuenes.* Remp. militando iuuare poſſent. in 4. ad 60. ſeniores, quòd tunc corpus ſeneſcere incipiat. Inde ad finẽ vſq; vitæ 5. gradum factũ, quot nimirũ actus in fabula ſeruari ſolent, quãdo nec vna perſona quinquies egreſſa vltrà exire poteſt, vt ex hac ætatũ diſtributione Cælius li. 19. cap. 21. cõmonet fabulam ætatis Ciceroni cõ- *Ætatis fabu-* gruè ſcitéq; dictã in Catone, & Auguſto apud *la.* Tranquillũ, mimũ vitę cõmodè trãſactum. At Hippocrates in ſeptem diſtribuit, ætatis I. finẽ annũ 7. II. 14. III. 28. IIII. 35. V. 42. VI. 56. VII. nouiſſimũ vitæ annũ. Cuius tres gradus 3. 6. 7.

Solon ſingulos bifariam diuidens, vt vnaquæque ętas annos habeat ſeptenos, partes fecit x. ad quas Staſeas Peripateticus hebdomadas duas addidit. Ex his proximè videntur acceſſiſſe naturam, qui hebdomadibus humanam vitam emenſi ſunt: Ferè enim poſt annum ſeptimum articulos quoſdam, & in his noui aliquid natura oſtendit, vt extat in elegia Solonis, & Macrob. lib. 1. in Somnium, cap. 6. Galenus ætates omninò ſtatuit quatuor, Iuuenes, Veri ſimiles, calidos ſcilicet & humidos, vigẽtes, æſtatis modo calidos & aridos, Medios, perĩde atque Autumnum, frigidos & ſiccos, Senes, vt hyemem, cum frigiditate humectos. Cap. 22. appingit ex Proclo, ætatum ordinem, vniuerſi ſequi rationem, Prima quippè ætas Lunarem ſequitur nutriendi vegetandiq; poteſtatẽ. Secũda, Mercurialem, ad literas, luctam, & citharas, & lucra ſtudium. Tertia, Veneream genituræ appetentiam. Quarta, Solarem vigorem, & iuuenilem perfectionem. Quinta, ſiue virilitas, Martium robur. Sexta, Iouiale vitæ actiuæ ciuiliſque deſiderium. Septima, Saturniã à corporeis ſequeſtrationem, & incorporeorum affectationem, & decrepitos naturam cum malis ſuis inuadentem. Ex Ariſtotele in 3. de Anima, quidam aucupantur tres tantùm ætates, incrementi, ſtationis, diminutionis. Sed idem lib. de moribus diuerſa ſentire videtur. Auicenna cap. de complexionib', & Albertus Magnus citante Beroaldo in Tiberium Trãquilli, cap. 6. ponit quatuor,

Septimi anni obſeruatio

tuor, Adolescentiæ, ad annum ferè 30.consistentiæ vel pulchritudinis,ad 50.pòst.diminutionis occultę,ad 60.quæ senectus.Quæ subest ætas,ad interitum nos præcipites agit.Suppartitur adolescétiam in minutias alias.Nam Seruius,5.Æneidos.cùm ex Varrone sic ætates diuisisset,infantiam, pueritiam, adolescentiam, iuuentam,senectam, singulas trifariam subdiuisit,vt sit prima vel viridis, adulta & præceps, & viridi iuuenta, ibidem Maro, & cruda viridísque senectus.6.Æneid. & extrema pueritia Salustius in Iugurtha.Est & pueritia noua,matura & præceps,& in aliis quoque ætatibus,Beroald.in Neronem Suetonij,cap.7. Sciendum verò ætatum commensus non vbique nec semper eosdem haberi,sed diuersos, pro constitutionis,sexus,regionum,situs, cæli, victus, & aliorum plurium ratione,vt 6.de sanitate Galenus,Stato, inquit, annorum ætates circunscribere,quod quidam tamen faciunt, nequimus, nisi latitudinis modo,proinde signatè in ætatũ distributione aduerbium [*ferè*] adiici solitum. Aureas ætates in vita tres modò intelligunt,Iuuentam,virilitatem,senium. Nam infantia & decrepita nullum præferunt voluptatis argumẽtum.Hebræis Sebastiano Lepusculo vertente, humanæ vitæ curriculũ his partibus cõstat, Num.13. apud eos religioso, Vnde & totidem fidei habent articulos,quos & fundamenta vocant,Filius v. annorũ ad biblia,x. ad Meschna, XIII.ad pręcepta,XV.ad Talmud.quorũ rationẽ

Senectus qua

Aureæ ætates.

reddidimus, Digreſſ. 17. In 2. ad Tim. 3. XVIII. ad nuptias, de cuius ratione mox videro. XX. ad diuitias, vt quis rei augendæ operam impẽdat, accommodus æſtimatur. XXX. ad robur, tum incipiẽte iuuenta, ætate propter virium vigorem ad labores tolerandos aptiſſima. XL. prudẽtiam ſeu intelligentiam, L. conſilium tribuunt. LX. incipit ſenectus. LXX. canicies, vbi ferè & cõmuniter terminat hominis vita. LXXX. ad ſummũ. paucis enim datur attingere, & quod amplius accedit, merus eſt labor & dolor, Pſal. 89. ſeu moleſtia quæ citò recedit, & nos auolamus. XC. ad foueam ſeu ſepulcrum. Id eſt certam & ſingulis momentis expectandam mortem, vnde talem Latini decrepitum, quòd tum in dubio vita ſit, Capularem item à capulo, id eſt, ſepulcro vocant, & hîc pro fouea inclinationem alij exponunt, quòd ad ſenſum in idem recidit. Vnde Terentio in Adelphis, Act. 4. Scen. 2. ſenem Silicernium ab incuruitate quidam Xenophanta interpretatur, quòd ſilicem incuruus cernat ſeu ſpectet, vel ſtratæ ſaxo viæ, vel ſarcophagi iamiam appropinquantis. At mauult Donatus, quaſi iamiámque ſilentibus vmbris cernẽdum. Centenarius reputatur, quaſi mortuus ſit, & ex hoc mundo tranſierit, Sic Hebręorũ ſapientes. Græcorũ Staſeas, Romanorum Varro ex libris Hetruſcis, Cenſorino vbi ſuprà, & Cœlio teſtibus, fatalẽ hominis ætatẽ XII. hebdomadibus circũſcribũt, quæ ad decies ſeptenos poſſit fatalia deprecãdo reb' diuinis prę ferre, ab ãno LXX.

Decrepitus. *Capularis.* *Silicernium.* *Fatalis hominis ætas quo termino claudatur.*

nec postulare debere, nec posse à Diis impetrare. Post annos LXXXIIII. à mẽte sua homines abire, neque his fieri prodigia. Quem terminũ vitæ si quis pręterit, facere idẽ quod stadiodromis ac quadrigis vsuenit vltra destinatũ finem procurrẽtibus. Nam Romanis cũ ludos seculares ex nominis origine induxissẽt, quòd plerũque semel fiãt hominis ætate, vt multa alia, quę rarò sunt, post seculũ euenire, loquẽtiũ cõsuetudo vsurpat, nec post cẽtũ annos, vti ludi, referuntur, statutũ esse seculũ, nec post cx. Maiores igitur quod natura seculũ quãtũ esset non habebãt, ad certũ annorũ modulũ c. statuisse Piso testis est, quem vt numerũ cõstituerẽt, nonnihil iis causæ fuit, quòd multos suorum ciuium ad hunc, ætatem producere videbãt, & hominem plus viuere non posse. Varro & Dioscorides astrolog[9] ex cordis humani ratione, eorum qui integri sine corporis tabe perierint, declararũt, & ex eo quod multis id annis pepẽdit, incremẽta ætatis & diminutiones obseruarũt, anniculi enim pẽdere drachmas duas, bimi quatuor, & sic in ãnos singulos pari procursu ad L. accedere binas, à quo itẽ decedere in vnoquoq; ad æquilibriũ binas, seu tãtũdẽ detrahi, ambitu peracto, ãno cẽtesimo redire ad anni primi põd[9], neq; lõgi[9] produci, aut superesse spatia visceris ei[9] dilapsu atq; defectu: quã obseruationẽ Ægyptiis, præsertĩ Alexãdr. quib[9] mos est cadauera asseruare medicata, idẽ Cẽsorinus & Plin. li. 11. ca. 37. tribuũt. At verò Mathematic. doctissimi,

Seculum.

Centenarius numerus.

Cordis humani subtilis consideratio.

inquit in Imp. Claudio Trebellius, homini vitę spatiũ contribuunt annorum cxx. mensum hũc à nemine excedi, quẽ tamen modũ Moses Dei familiaris annis v. solũ transgressus, cùm quereretur iuueni sibi occũbendũ, ab incerto respõsum numine, quẽpiam eum numerum haud excessurũ. Traditio, vel fabula magis Iudaica, nisi quòd Iosephus Iudæorum vernaculus li.1.ca.4. 7. nouæ 5.14. veteris editionis, sic sentit humanæ vitæ spatium diluuio imminutum. Cùm, inquit, Dominus decreuisset vniuersum hominũ genus perdere, aliúdque nouum & à vitiis purũ instaurare, primum vitam eorum breuiore spatio circunscripsit, nec quantis prius vixerãt annis, sed abrogata longæuitate, intra cxx. annorum mensuram coërcuit. Iam ergò recidebatur & subtrahebatur de vitæ spatiis, fiebátque paulatim breuior, ad Mosis vsque ętatem, post quẽ is annorum terminus Deo finitore positus est, quantùm temporis & Mosem vixisse contigit. Secutus est hoc Lactãtius, lib.2.cap.13.14. Deũ orbe siccato execratum iniustitiã prioris seculi ne rursus vitæ longitudo causa esset excogitandorum malorum, paulatim per singulas progenies imminuisse hominis ætatem, & in tot annis metam collocasse, quam non liceret transgredi. & verò nunc sæpissimè fieri, vt qui ad centesimum perueniant, & autores idonei tradunt, ad cxx. annos perueniri solere. Sic Aper apud Tacitum in Dialogo de Oratoribus, cxx. anni, vnius (inquit) hominis ætas, &c. Verũ hi,

Mosis ætas.

cxx Anni longissima hominis ætas

& qui eos secuti sunt, inter quos Zonaras annalium initio longæuitatem tunc sublatã scribens, & hominum vitam tot annis cõtractam &circunscriptam fuisse,ij inquam,siquidẽ non tantũ sentiunt elementis diluuio corruptis, vigorem vitalem & salubritatem,&alendi vegetandíque virtutem maiori ex parte amissas,sed in eum quoque numerum coarctatas, longè à veritate aberrãt.Iosephus vir licet Hebræus,& qui se Mosem sic sequi, vt huic nihil vel addat, vel subtrahat,præfatur,& passim protestatur. Non enim fuisse Dei consiliũ,vt post cataclysmũ nemo diutius viueret,mox patuit,quia tota ferè series à Noë ducta filiis,Gen.11.ad Abrahamũ,Mose anterior,plus multò vixit,&Mose posteriores,Ioïada siue Ioadus põtifex,nõ tantũ in sacris Bibliis, 2.Paral.24. sed ipsi quoque Iosepho,lib.9.cap.8.cxxx.Mardocheus Esterę patruus,CL.annos excesserunt.Illud ergò in cuius mentionem obiter incidimus,Gene.6.*Non permanebit spiritus meus in homine in æternum,quia caro est,eruntque dies illius cxx.annorum*, propius scripturæ mentem verterunt LXX.sic,*Non permanebit spiritus meus in hominibus istis in æternum: Erunt autem dies illorum cxx.anni.* Proximè autem Dei ibi mentem,hoc est,verissimè atque clarissimè,Thargum , siue Chaldaica Onkeli paraphrasis , *Non durabit generatio mala hac coram me in æternum,eò quòd caro sunt,spatiũ dabitur eis cxx. annorum,si pænitentiam agerent,siue,si quo modo eos pæniteat.* Addit Philo in Antiquitatib⁹, In quos *Pœnitentiæ tempus.*

(ſcilicet annos) poſui terminos ſeculi. Aſſignatos ergò annos ad pœnitentiam, quibus tũ reſipiſcerent homines, non ætati, quam deinceps viuerent, & tẽpus illic determinari non humanæ poſt diluuium vitæ, ſed hominum, quos diluuio deleturus erat, viuẽdi ſpatium: ſicut & apud Ionam pręſcriptũ pœnitentiæ ſpatium infra 40. dies, Ion. 2. 3. quo ad pœnitentiam inuitarentur, quóq; pœnitẽtes ſalui fierent, impœnitentes perderẽtur: Quod quoniam contempſerunt, vindictà contemptores præueniente, Deũ tẽpus à prolatione ſuæ ſententiæ ad executionem decretũ, amputatis xx. annis, abbreuiaſſe, inducto poſt ſeculum, ſiue annũ centeſimũ agẽdæ pœnitentiæ deſtinatũ, cataclyſmo. Conſentiunt hoc loco veteres & moderni, Origen. hom. 2. in Cantic. Hieron. non ſine reprehẽſione aliter exponẽtium, in traditionib⁹, ſeu Quæſtionib. Hebraicis, & ad ca. 9. Danielis Albin⁹ & Auguſt. quæſt. 23. ſuper Gene. de Ciuit. li. 15. ca. 24. Chryſoſt. ſuper Geneſ. homil. 22. & 25. hũc licet faciat Eugubinus cũ Lactantio ſententiẽtem, & Theodorum ſiue Theodoritum, qui quæſt. 49. primos homines à mundo condito etiam poſt diluuiũ ad patriarcharum vſque tẽpora, vt lõgiore temporis ſpatio augeri numero poſſent, longæuos fuiſſe, Terra poſteà repleta, diminutum quidem deinceps annorum numerũ, ſed nulla eius præſcripti mentione. Hoc

Cabaliſtici libri.

idẽ in libris Cabaliſticis, iis ſcilicet, qui in præclara Synodo, cuius princeps Eſdras fuit, cõſcri

pti sunt, asseri testis est idē Steuchus, sic etiam exponit Aben Esra, multis redarguēs priorem sententiam. Sic vtraque glossa interlinearis & ordinaria, Lyra, Caietanus, Pellicanus, Hamerus, Borrhæus, Munsterus citans Rabi Salom. & Kimi. At Innocentius III. vtriusque partis velut conciliator, lib. 1. de cōtemptu mundi, cap. 10. eum locum intelligi posse autor est tam de termino vitæ, quàm de pœnitendi spatio. Sic paulatim vitam hominis magis ac magis recisam declinauisse, & extunc homines rarissimè legi plus vixisse; adeò vt B. Iob. Moysi, secundū multos, contēporane⁹, cuius etiam libri Moysem quidam autorem ferunt, multis locis dierum suorum, vel potius hominis generatim, breuitatem & paucitatem breui faciendam deploret, cùm post tot tamen flagella superuixerit annis CXL. Iob. 7. 10. 13. 42. Et Iacob Mosis proauus, dies peregrinationis seu vitæ suæ, annorum CXXX. paruos seu paucos & malos vocet Genes. 47. qui prope C L. vt pater eius Isaac, C L X X X. auus Abraham C L X X V. vixerunt, Genes. 25. 35. Sed multò magis perplexam quæstionem olim iam infideles nobis ingesserunt ex annorum numerositate, qua vixisse primos homines scriptum est in autoribus nostris, hominis enim vitam peccato temporalem quidem ex perenni factam, sed tamen longam, quæ in mille prope annos propagaretur. Quod diuinis literis proditum; & per omnem scientiam publicatum,

Iob Moysi contemporaneus.

Ætates Patriarcharum

aliis non credentibus, cùm Varro non ignoraret, argumentari nixus est pro annis menses, vt apud Ægyptios habentur, esse positos: quod argumentum perspicuè falsum hinc vbi suprà reuincit Lactantius, quòd nemo tunc millesimũ annum transgressus est. Nunc verò centenarij quidam cùm sint, 1200. mensibus viuerent, sed quia ignoratur cur & quando vita hominis esset imminuta, adinuenit, cùm sciret hominem annis cxx. & sic 1400. mensibus posse viuere.

Anni apud veteres, non pro mensibus supputabantur.

Nullo ergò modo audiendos, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id est, tantæ breuitatis, vt vnus noster decem illos credatur habuisse, & decem nostri centũ illi fuerint: Quod tamen vt non sit incredibile, adiiciunt ex plerisque historicis annum aliter aliis computatum, Plinius enim lib. 7, cap. 48. relatum in literas quendam vixisse annos 150. alium decem amplius, Epimenidem aliis 157. aliis iuxta Laërtium, lib. 1. 154. Cretensibus suis 199. alios cc. & ccc. quosdam ad D. & DC. nõnullos ad DCCC. peruenisse. Hæc propter inscitiam temporum accidisse arbitratus est, Alij quippè vnum annum æstate, alterum hyeme determinabant, alij quadripertitis tẽporibus, vt Arcadibus trimestres fuerunt. Ægyptij habuerant IIII. mensium, aliquando Lunę fine seu senio, limitarũt.

Annorum terminatio alia aliis.

Itaque aliqui singula annorum milia apud eos vixisse creduntur. Acarnanes VI. Lauinij XIII. Sequitur suo more Plinium Solinus, lib. 1. ca. 3. Et melius ac verius Alexander Genialium, li. 3,

cap.24.Ægyptios non multiplici nec vna facie variasse,quàm Macrob.lib.1.Saturnal. cap. 12.certum anni modum apud eos solos semper fuisse, antiquissimum in Ægypto annum bimestrem fuisse.Horum quendam trimestrem instituisse,pòst à Pisone Rege quadrimestrem factum,cùm plerunque mensis spatio ad Lunę cursum metirentur . Testes sint Censorinus cap.16.Cœlius lib.12.cap.9.Quibus velut probabilibus argumentis, quidam sacræ historiæ fidem non destruentes, sed astruere nitentes, ne sit incredibile tam multos annos antiquos vixisse,sibi persuadent,nec se suadere imprudēter existimant, tam exiguum temporis spatiū tunc annum vocatum.Hoc autem falsissimum euidentissimè docet & Augusti. de Ciuit.li.15. cap.12.14.Nam & mensium,hoc est,anni partium,& dierum, hoc est, mensis particularum, fit in diluuij descriptione mentio, Gene.6.7.8. proinde non tātillum nec minimum , sed tantum tunc fuisse,quantus nunc est,diem,horarū 24.mensem,Luna cœpta & finita conclusum, annum,mensibus 12. Lunaribus, additis propter cursum solarē 5.diebus & quadrāte, consummatum. Addit & alteram rationem proxima digressione non omittendam.Nec tertia ei deest,cap.4. quòd licet annorum cuiusque hominis,quæ tum fuit, numerositas nullis ex tunc talibus documentis in experimentum venire possit,non ideo tamen fides sacris deroganda, quando & Plinius vbi suprà, ex Hella-

nico quosdā in Ætolia Epiorū gentis cc.adhuc annos explere,& Pictoreum ex iis præcipuum corpore viribúsque,etiā ccc. vixisse scribat. Si ergo humanas diuturnitates,quas experti non sumus,hodie habere credūtur incognita nobis loca,cur non habuisse credantur & tēpora? an verò credibile est alicubi esse quod hîc nō est, & incredibile est aliquādo fuisse,quod nūc nō est?habent igitur & Græci lōgęuos suos nō homines modò aliquot, sed totos quoque populos,quorū grandē satis catalogū petas licet ex eodē Plinij loco & capite adhuc illic sequenti, vbi recenset inter certa & cōfessa exempla nō ab aliis tantùm scriptoribus ex superioribus seculis relata,sed suo quoque tēpore Vespasianis Censoribus,censos aliquot bono satis numero Italos,ab annis cxx.ad cxl.vsque,eóque experimento improbat syderalis scientiæ professores id fieri posse diffitētes.Ex Luciani etiā Macrobiis,ex Tullio & Valerio de Senectute, & aliis qui propositam Mosis ætatem vel æquarint,vel propè attigerint,vel excesserint,discamus licet:Quorum &si prodigiosam viuacitatē sic vt audiuimus,eludat Plinius, vt & primorū hominū,ex nostris nonnulli parū in scripturis exercitati,nihil tamē prohibere hîc rectè monet Gulielm⁹ Hamerus doctus Theolog⁹,quin quos ethnici scriptores tandiu vixisse ferunt, arcano Dei iudicio factum credamus,vt profanis os obstruatur, qui parum fidei nostris literis habent, de primigeniorum longæuitate te-

Longæui homines,& lōgæui toti populi.

Macrobij Luciani.

ſtantibus. Cuius rei cauſam aliis aëris temperiei,aliis naturæ ſoli, aliis optimæ diætæ, aliis vtrique aſſignantibus, Lucianus vbique terrarũ & gentium,& ſub quouis aëre degentibus ad ſenectutem ſummam perueniendi ſpem propoſuit,qui commodis modò exercitiis,&victu ad ſanitatem ſeruandam conueniente vterentur.Compertum enim homines & nationes, ætate omnium longiſſima viuentes,aquam tãtùm potare,hordeaceo pane veſci,& hac vict⁹ ratione,ſenſus iis eſſe quàm hominibus cæteris validiores.Ioſephus præter ſalubrem victus rationem,religionem quoque allegat,Non eſt (ait lib.1.cap.4.) cur pręſentem vitam, annorum eius paucitatem cum priſcorum vita conferens,quia nunc non æquè prorogatur, de illorum longæuitate dubitet.Illi enim Deo chari,& recenter & immediatius ab eo facti, & commodiore ad diuturnitatem victu ac alimẽto vtentes,nõ mirum ſi per tam multos annos viuebant.Pręterea tum propter virtutis ſtudiũ, tum propter vtilitates inueniendarum artium, Deus eis prolixiorem vitã largitus eſt, vt quarum certitudinem aſſequi non poterant,ſi minus viuerent:Et huius teſtes citat multos Græcarum & Barbaricarũ antiquitatum ſcriptores, qui priſcos illos ad mille annos vitã produxiſſe narrant,Aſtrologiam certè & Geometriã nunquam inueniſſent,ſi minus annis DC. quot annus ſcilicet magnus cõſtat,vixiſſent. Quę locũ renarrat Euſebiana Præparatio lib. 9. cap.4.

Religio longæuos facit.

Aſtrologia & Geometria quomodo inuenta.

Et aliam quoque causam ex Theodorito præallegauimus, eandem quæ & tunc polygamiæ, generis scilicet humani incrementum, propter hoc enim vt plures tum vxores ducebant, ita & diutius viuebant. Est igitur Græcorum Barbarorúmque omnium (præterquàm paucorum) nedum Iudęorum Christianorúmque testimonio probatum & confessum, primigeniorum annos solares fuisse, non lunares, alioqui quale esset, quod tantopere vel illorũ præ nobis longæuitatem miraremur, vel de nostri præ illorũ æui breuitate quereremur? Sed quid refert diutius hac in re versari, & vitam hominum vel longissimam, longam appellare? An non Macrobij, quorum longæuitatem immensam, vel scriptores sacri tãquam Dei donum, vel Ethnici vt naturæ prodigium posteritati proliderũt, omnes vt microbij, aut himerobij, siue vermiculi, siue bestiolæ, Ciceroni post Aristotelem, vnicum diem viuentes, in communem hinc locum abierunt, siue viam vniuersæ carnis ingressi sunt? Quid ergo æui vel illis granditas contulisse, vel his breuitas videtur abstulisse, vtraque serò vel citò à morte tandem superata? Hic mihi vide quàm parum inter vtrosque referat, quod ex Seneca & Hieronymo ascripsimus ad id, 1. Tim. 4. *Attẽde doctrinæ*, &c. Ecqua verò longa ætas, aut quid omnino homini longum? nónne modò pueros, modò adolescẽtes in cursu à tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? Sed quia vltrà nihil (hîc)

Anni primigeniorum solares fuerũt.

habemus, hoc longum dicimus. Omnia ista perinde vt cuique data sunt, pro rata parte à vita, longa aut breuia dicuntur. Confer nostram cum æternitate longæuitatem: in eadem propemodùm breuitate, qua paulò antè dicta vnius dieculæ apud Hypanim fluuium animalcula reperiemur. Hęc Cicero 1. Tuscul. & sapiẽter & verè. & propemodùm quod nostri, totũ nimirùm hoc quod videtur, quandiu voluitur seculum, punctum esse, nihil diu, quod habet extremum, ab Adam ad hodiernum vsque diẽ, multò vtique plus peractum, quàm restet peragendum, qui si adhuc viueret, & hodie moreretur, quid ei prodesset tandiu esse aut vixisse? Ergo celeritas hęc quare? quia tempora trãsuolant, & quod tibi tardum est, in oculis Dei breue est (Psal. 89. 2. Pet. 3.) hanc celeritatem intelligens, Accelera (inquit) vt eruas me, Psal. 30. Quò ergo fugis ne moriaris? Certus erit ille dies. Quid est diu quod victurus es? Quantum est diu quod habet finem, & si diu esset? huc accedit, quia non est diu, & incertum est ipsum quod dicitur diu, cur hoc non cogitas? hæc in eum, & 72. Psal. Augustinus. Et adeò tamen homini est insita & infixa viuendi cupido, vt non olim clari tantùm philosophi cum natura seuerè expostulauerint, tam longam ceruis & coruis vitam dedisse, homini, cuius maximè interesset diu viuere, tam breuem: sed & viri quidam inter Christianos eximij, nihil hac expostulatione iustius putarint, quòd quæ homini

Diu nihil, quod habet extremum.

literarũ ſtudioſo diſciplinarum cyclopædia per aliquot alioqui ſecula contingere poſſet, præ hac breui & fugaci vita vix vlli obtingat. Meli' non ita pridẽ vir vndecunque doctiſſimus Ludouicus Viues lib. 5. de tradendis diſciplinis, cũ immenſam omne genus librorum farraginem ſtudioſis deuorandam conſuleret, Exclamet hîc (ait) aliquis, ecquando tandem omnia hæc legentur? à viris confirmata iam ætate tum etiã ſenibus, eo tempore quo vel nugandum eſſet vel ludendum? Nam ſi quis quantum in luſionibus, in colloquiis inanibus, ſæpe etiã noxiis, quantùm torpenti otio conſumatur temporis, expendat, comperiet planè his omnibus quæ dixi, percurrendis, aliiſque multò pluribus affatim ſupereſſe. Abundamus tempore, ſi prudenter diſpenſetur, quod malè impẽdendo fit arctiſſimum. Nos tamen, quod in homilia de nõ adhærendo rebus ſecularibus concionatur Baſilius, noſtrum licet vnuſquiſque maternis ſemel clauſtris elapſus, temporis ſtatim fluxibus ſic prouoluatur, vt eum ſemper diem quem vixit, à tergo relinquens, ad heſternum nunquam, quanlibet cupiat, reuerti valeat, Attamẽ non cogitamus, quàm incertum, quantillũque tempus hoc ad perficiendum curſum, qui in eũ nos emiſit, concedere propoſuit, & quãdo vnicuique curſori metam quam ingrediatur, reſeraturus ſit, & quòd oporteat nos quotidie ad migrandum hinc paratos eſſe, & Domini nutum fixis oculis expectare, Luc. 12. &c. Qui au-

Ludouicus Viues.

tem ob vitæ breuitatem nihil aliud quã ringũtur, verùm vt plurimùm otiosi, eleganti eos similitudine ridet Basilij german' Nysses in oratione de Dormientibus, Vt si vox (ait) quædam inesset in eo qui materno vtero alitur, indignaretur per natiuitatẽ visceribus eiici, & grauia se pati clamaret, qui ab ea vita & statione in qua lubenter degeret, inuitus auelleretur, quod nimirum etiam facit, prima statim natus respiratione vagiens, lacrymans, & quasi conquerens & lamentans quòd à consueta vita separetur: Idem eis qui ad mutationem vitæ præsentis sese discruciant & anguntur, videtur accidere, quod embryis, dum semper in hac materiali iucunditate, à qua separantur, viuere volunt. Postquàm enim mortis dolor ad alteram vitã hominibus quasi obstetricatus fuerit, vbi ad lumen illud transiuerint, & de puro spiritu hauserint, experimento cognoscunt, & intelligunt quantùm illa differat ab hac vita: ij verò qui in hac humida, languida, putrida vita relinquuntur, embrya prorsus & non homines, miserantur eum qui anteà excesserit ex iis quibus continemur angustiis, quasi aliquo bono priuatũ spoliatúmq;, nesciẽtes quòd ad similitudinẽ recẽs nati infantis, vbi euaserint eos quib' nũc continẽtur & coërcentur, sensus, sensus itidem aperiũtur, sed animi sensus, quibus rerũ veritatẽ prospiciant. Mirum verò sic sentire, sic loqui optimum quenque Christianũ, si non ita sentirent & loquerẽtur non pessimi quoq; profani.

Mors homini obstetrix ad alteram vitã

Sic apud Ciceronem Cato maior, Illò hinc me proficiſcentem haud ſanè quis facilè retraxerit, mevè tanquam Peliam recoxerit. Quod ſi quis Deus mihi largiatur vt ex hac ętate repuerascam, & in cunis vagiam, valde recuſem. Nec verò velim, quaſi decurſo ſpatio à calce ad carceres reuocari, &c. Sed nos ad longæuitatem, hoc eſt, rem hîc ſuſceptam, ex breuitate reuocemur. Nec verò cẽtenariis immorabimur, aut etiam aliquantò natu maioribus, qui paſſim in hiſtoriis Eccleſiaſticis, & præſertim monaſticis, occurrunt, & hodiéque aliquammulti non deſunt: ſed iis modò qui periodon Moſaicam attigerunt, aut etiam ſuperauerunt, ſed nec iis omnibus: (Ecquis enim tandem finis?) ſed illuſtrioribus tantùm, inter quos primus merito recenſendus S. Simeon Chriſti patruelis, Hieroſolymorum poſt Iacobum itidem fratrem Domini, Epiſcopus, ſub Traiano calumniantibus hęreticis, à Paganis poſt multa & dura verbera in crucem actus, mirantibus hominem cxx. annos natum, tantùm perferre tormenti. Euſeb. lib. 3. cap. 32. Nicephor. cap. 16. ex Egeſippo. Quo ſeculo natũ Antoninorum Impp. temporibus Galenum philoſophum & medicum ſingularem à nonnullis memoriæ proditũ eſt cxl. annos vixiſſe, tanta in cibo & potu abſtinentia vſum, vt ad ſatietatem nunquam, nec crudum quicquam guſtarit, vnde odorificum ſemper anhelitum ſpirauit: quódque lõgè mirabilius, citra vllam omnino affectionem ſola defecit

Simeonis Chriſti patruelis ſeniũ.

Galeni ſeniũ

defecit senectute, vt hinc adagio Galeni valetudinẽ dicamus, pro nimis inoffensa, & vltra humanum captum prospera. Quanquam contra tãtam tum incolumitatem, tum grandæuitatẽ, vtriusque relator Rhodiginus multa multis locis affert, libris, 4.17.18.27.30. capp. 21.3.9.12. ex Suida, præsertim, annos modo LXX. vixisse, ex linguę porrò proprietate quietum tranquillúmque signare. Sed quanto senio cúmque cõfectus sit, magnam sanè apud homines gloriã ex veritatis & scientiæ studio attentiore consecutus est, maiorem etiã apud Deum habiturus, si vel Mosi & Christo, quorũ interim meminit, credidisset, vel saltẽ de anima se nihil enũciaturum contestatus, ex his quæ reliquit, melius sensisse videretur, quàm nostratibus visum est, & inter hos Gregorio Nyssæ. lib. 2. de Philosophia, cap. 3.9. Sed viderint hæc medici Christiani, nec enim hæc nostrę sunt farraginis. Hic ergo si tandem tam grauis annis fuit, credibilior fuerit Argantonii Tartessiorum Regis Græcis Latinísque scriptoribus celebrata longæuitas, licet inter hos de annorum numero non conueniat, Cicero & Valerius de Senectute, post Herodotum in Clio, vixisse annos CXX. regnasse LXXX. Lucianus & Plinius, vbi suprà, ex Anacreonte poëta CL. quot annis census est censore Claudio Imp. T. Fullonius Bononiensis, & totidem viuere in Tempso montis Tmoli cacumine autor est Mutianus, Nam fidem excedit, quod de eo cecinit Silius, li. 3.

Valetudo Galeni prou.

Ter denos decies emensus belliger annos.
nisi fortè credimus vel Arcadum Reges, tot, hoc est, trecentos annos viuere, Quod qui refert non credit Plinius, vel Ouidianæ Sibyllæ 14. metamorph. sic de se nuganti,
Iam mihi secula septem
Acta vides: superest numeros vt pulueris æquem
Ter centum messes, ter centum musta videre,
aut Nestori post Homerum Iliad. 12. Odyss. 3. apud eundem Nasonem lib. 12. se ita iactanti, *Vixi*
Annos bis centum, nunc tertia viuitur ætas
Vixerit ille senex quãuis dũ terna per orbem Secula,
Terna minus pyliæ miretur secula vitæ,
Nestoris est visus post tria secla cinis.
Fœlix qui per tot secula mortem
Distulit, atque suos iam dextra computat annos.
ex Tibullo lib. 4. Propert. lib. 2. Iuuenal. Satyr. 10. Vnde ter æuo functum dixit Horatius li. 2. Od. 9. Næuius apud Gellium lib. 19. cap. 7. trisechisenem vocauit, maiorem verò natu trisechibus his Ioãnem, quem ideo de temporibus cognominatum, pertinaci consensu Franci Germaníque scriptores à Carolo Magno ad Ludouicum Iuniorem, hoc est, CCCLX. vixisse tradũt. Gaguinus. Sed non erit quòd Nestoris viuacitatem vel tantopere miremur, vel etiã in prouerbium vertamus, siquidem recipimus Homeri Scholiastẽ, & Acronẽ Flacci interpretẽ, veteres secula seu ætates ad annos vsque XXX. posuisse atque cõputasse, quod & ex Seruio 8.

Trisechisenex.
Ioannis de temporibus senium.

Æneid.in cap.huius 1.obseruauimus, ad verbũ [secularia] sic enim multi Nestores, hoc est, Nonagenarij semper fuerint: Quod & Cœlius li. 19. cap. 22. non prætermittit, γενεὰν dici, perfectius pariendi ac generandi spatium, annorum xxx. periodum, quo nomine sexagenarius duas vitæ geneas impleuerit: si vltrà pergat, in tertia iá vtique recenseatur, quod de Nestore cecinit poeta, quem periodicas geneas perfecisse duas humanas pronunciat, ceu δύο τριακονταετίας dixisset, quæ vocantur γενεαὶ ἀνθρώπινοι. Et hic nobis sit in hac ætatum pragmatia locus hoc loco postremus, literæ Pauli non inconcinnus, vt qui & adolescentulas, & iuuenculos, vt tum liberos, tum coniuges ament & diligãt, hîc hortetur. De qua tamẽ longæuitate libuit Mantuani carmen non inelegans addere, ex fine lib. 4. Fastorum, quod sic habet,

Iudice me concors vero sententia non est,
Tempora qua dicit vitæ breuiata: supersunt
Nunc quoque qui viuant Centum vel circiter annos
Incolumes: Vidi ipse hominem, quem diceret annos
Vndecies vixisse decem vicinia tota,
Ire suis alacrem plantis, & viribus vti,
Nec se desidiæ, nec inerti dedere somno.
Sub Carolo quondam Magni cognomen habente
Miles erat, cui, si qua fides annalibus eius
Temporis est, Deus indulsit tria secula vitæ.
Fatidicus Dauid paulò post tempora Troiæ
Rex apud Assyrios, vitam se extendere dixit
Ad decies octo vsque hyemes fortissima nactis

Corpora: & id tempus supra restare dolores,
Ærumnásque graues, & cuncta simillima morti.
Quòd si nec tunc maior erat mortalibus ætas
Quàm modò sit, quonam pacto breuiata putari
Vita potest? Prima de tempestate silendum est,
Quæ fuit ante dies Noe, *cùm terra profuso*
Non fuerat corrupta mari : tunc omnibus herbis,
Frugibus arboreis virtus erat insita maior,
Atque magis natura potens extendere vitam
Vlterius poterat: sed in his consumere tempus
Dedecet: assumptus curam labor arguit istam.

IIII. Super ætate igitur ad rem cõiugalem apta hæc nobis impræsentiarum occurrunt, Iam audiuimus ex Augustino ad finem lib. 16. de Ciuitate, hominem ab adolescentia incipere siue posse generare, hoc est, paulò post annum humanæ vitæ decimumquartum. & in Psal. 104. Quam Græci γενεαν, dicunt, minimam quidem quindecim annis terminauerunt, ex qua homo incipit posse generare. Et in eiusdem Ciuitatis lib. 15. cap. 12. 13. qui humanam primorum temporum longæuitatem minimè credentes, annos aliter tum computatos putabant, id est, tantæ breuitatis, vt vnus noster priscos decem habeat, iidem obseruabãt in vulgatis Gene. 5. codicibus, per omnes generationes, in quibus hominũ anni memorantur ante diluuium, nullũ ferè inueniri, qui centenarius vel infrà, vel etiã cxx. annorum, vel non multò amplius existẽs, filiũ genuerit, sed qui minima ætate genuerũt,

Generare posse quando incipiat homo.

annorum CLX. & quod excurrit, fuiſſe referri, quia nemo (inquiunt) x. annorum homo poteſt gignere filios, qui numerus tum c. appellarentur anni, ſed in annis XVI. eſt matura pubertas, & proli iam idonea procreandæ, quos CLX. annos ea tempora nuncupaſſent: hanc aſſertionē ex Hebræis codicibus redarguit & cōuincit, vbi Adam CXX. annorum, non CCXXX. fuiſſe reperitur, quando tertium genuit filium, qui anni ſi non niſi XIII. noſtri ſunt, proculdubio primum genuit, quando XII. vel non multò amplius annorum fuit. Quis poteſt hac ętate generare vſitata nobiſque notiſſima lege naturæ? Sed hunc omittamus, qui fortaſſe etiam cùm creatus eſt, potuit, non enim tam paruum, quàm infantes noſtri ſunt, factum fuiſſe credibile eſt. Seth filius eius nō CCV. ſicut legimus, ſed CV. cùm genuit Enos, ac per hoc ſecundum iſtos, nondum habebat XI. ætatis annos. Cuius filius Cainam apud nos annorum CLXX. apud Hebræos LXX. tantū fuiſſe legitur, cùm genuit Malaleel. Quis generat homo ſeptennis, ſi tunc anni LXX. nuncupabātur, qui VII. fuerunt? Dicit ergo aliquis, Itanè credendum eſt, hominem filios inceſſanter generaturum, nec habentem continentiæ propoſitum, c. & amplius, vel iuxta Hebræos, non multò minus, hoc eſt LXXX. LXX. LX. annos à concumbendi opere vacauiſſe, aut ſi non vacaret, nihil prolis gignere potuiſſe? Hęc quęſtio duobus modis ſoluitur. Cap. 15. Aut enim

tantò ſerior fuit proportione pubertas (tempus interprete ibi Viue, quo generationi ſunt homines idonei, cùm pubes viris barbæ innaſcitur: fœminis, mulieribus) quantò vitæ totius maior annoſitas, aut quod magis video credibile, non hîc primogeniti filij commemorati ſunt, ſed quos ſucceſſionis ordo poſcebat, vt perueniretur ad Noë, à quo rurſus ad Abraham peruētum eſt, ac deinde vſque ad certum articulum temporis, quãtùm oportebat ſignari etiam generationibus commemoratis, curſum glorioſiſſimæ ciuitatis in hoc mundo peregrinãtis, & ſupernam patriam requirentis.

Generandi tempus maſculo, & itē fœminæ.

Generationes Cain, Seth.

Cùm enim generationes digeruntur, aliæ per Cain, aliæ per Seth, nullus de progenie prioris dinumerata, ab Adam vſque ad octauam generationem, quot annorũ fuiſſet, expreſſus quãdo genuit: Noluit enim Dei ſpiritus in terrenæ ciuitatis generationibus tempora notare ante diluuium, ſed in cæleſtis tanquam memoria dignioribus maluit. Porrò Seth quãdo natus eſt, nõn taciti ſunt anni patris eius, ſed iam genuerat alios, & vtrum ſolos Cain & Abel, affirmare quis audeat? Non enim quia ſoli nominati ſunt propter ordines generationum, quas commemorare oportebat, ideò conſequens videri debet ſolos fuiſſe tunc ex Adam. Cùm enim cæterorum nominibus ſilentio coopertis, legatur genuiſſe filios & filias, quota fuerit eius proles quis aſſerere præſumat, ſi culpam temeritas euitat? Potuit quippè diuinitus dicere,

postquàm Seth ei natus est, Suscitauit mihi Deus semen aliud pro Abel, Gene.4. quando talis erat futurus, qui impleret eius sanctitatem, non quòd prior post eum temporis ordine nasceretur. Deinde qui huius Seth & aliorũ filij commemorantur, quos tot annos nati genuerunt, quis nisi inconsideratus eos illorum primogenitos fuisse asseueret, vt admirantes meritò requiram⁹, quomodò per tot annos immunes fuerunt à connubio sine vllo continentiæ proposito, & non genuisse coniugati, quando etiam de vno quoque legitur, Gene. 5. & genuit filios & filias? Cùm ergo ij nec filios filiásque genuisse reticeantur, nec per hoc omnino appareat, an qui nominatur genitus, fuerit primogenitus, imò verò quoniam credibile non est, patres illos ætate tam longa aut impuberes fuisse, aut coniugibus caruisse vel fœtibus, nec illos eorum filios primos eis natos fuisse credibile est. Generationes ergo ante diluuium commemoratas, non quæ primæ suis parentibus fuerint, sed quæ in propagationis ordine, ad ortum vitámque Noë, ad quem sacræ scriptor historiæ successiones ducere, & notatis temporibus peruenire intenderat, ductæ sint & peruenerint, ne seræ pubertatis veterum hominũ obscura & nõ necessaria quæstio nos fatiget. Sic Euange. Mat.1. Luc.3. generationẽ Dominicæ carnis per seriẽ parentũ volẽtes cõmendare memoriæ, patriarcharũ filios, Abrahami Isaacũ, Isaaci, Iacobum,

Generationes ante diluuium quomodo, & quare cõmemorata.

Iacobi Iudam,Iudę Phares,non vtique primogenitos,ſed per quos orſi ab Abrahā ad Dauid primitus,& inde quò intenderant, peruenirēt, eos in ordine generationum tenuerunt,non verò prius eis genitos Iſmaëlem,Eſaum,Rubē, & quos antè iam tres genuerat Iudas: quia per hos quò intendebant,peruenire non poterant. Habemus ex Auguſtino geniturę,& ſic nuptiarum tempus,pubertatem ſiue adoleſcentiam, & obiter quæ huius occaſione inciderunt nonnulla alia, non omnino tamen aliena. Lubet huius tanti viri (in quo omnium libentiſſimè verſamur) ex præſentis argumēti occaſione, in eo paululū adhuc morari, Is enim cū iā tricenarius inſtāte matre nupturiret, & puella peteretur fermè biēnio minor, quàm nubilis, & quia ea placebat, expectaretur, Sic interim totus ad Chriſtum cōuerſus eſt, vt nec vxorē quæreret, nec filios, & baptizatum quidem fuiſſe annis maiorem triginta ſcribit in eius vita Poſidius, cap.2. nec addidit quot annis natu maiorē. Certè ſi nō aliquātulo maior regenerat⁹ eſt, adoleſcētē admodū fuiſſe oportet, cū is generauit, vt qui Adeodatū naturalē ſibi relictū filiū annorū fermè xv. ſibi & Alipio ſuo in baptiſmo adiūctum teſtetur. Hæc paſſim in Confeſſio.lib.6. cap.11.13.15.li.8.cap.12.li.9.ca.6. At cū Soliloquiorū li.1.cap.10. annos xxxiii. agere ſe dicat, ſcripſerit autem ea, vt cōſtat ex Retractionib. lib.1.cap.4. adhuc catechumenus, tanto tricenario maior baptizatus eſt, vt nihil opus eum

ſit tam adoleſcentem genuiſſe, vt filium quindecennem iam baptizandus haberet. Nam & circiter annum XIX. nō legitimam ſecum amicam habuiſſe, & anno XVI. ætatis carnis ſuæ carne ruiſſe. Sic iam pubeſcentem, & inquieta indutum adoleſcentia, vt pater eius quaſi iam ex eo in nepotes geſtiret, agnoſcit ipſe ac deflet, lib. 2. cap. 2. 3. lib. 4. cap. 2. & hac quæſtiuncula & indagatione nos liberaſſet, vt dixi, Poſidius, ſi quoto ætatis anno baptizatus fuit Auguſtinus, expreſſiſſet. At ex adoleſcentiæ incontinētia ad quantò maiorem continentiæ gloriam reſurrexerit vir tantus, indicauimus in libro de Digamia, cap. 8. propter quoſdam malè feriatos, qui praua huius viri imitatione occaſiones aut etiam excuſationes fruſtrà quærunt in peccatis ſuis. Vtinam magis ſaperent, & Auguſtini media nouiſſimáque, nō verò iuuenilia, aut etiam puerilia prouiderent, & qui ſecuti ſunt errantem, ſequerentur pœnitentem. Sed & occurrit aliud, quod ex annorum ſupputatione, Salomon & Achaz vndecennes, & ſic impuberes, & necdum adoleſcentes, videntur filios genuiſſe. Si enim prior anno ætatis XII. ſuper Iſraël accepit imperium, & XL. annis regnauit in Hieruſalem, filiúſque eius Roboan annum XL. agens, patri ſucceſſit in Regnum, 3. Reg. 2. 11. 14. 2. Paral. 9. 12. perſpicuū eſt XI. annorum fuiſſe Salomonem, ſiue X. quia X. menſes à conceptu vſque ad partum mater ſibi vēdicat. Poſterior item annorum XX. Rex conſtitutus, re-

Auguſtini adoleſcentiæ incontinētia

gnauit annos xvi. quo mortuo Ezechias annos agẽs xxv. patri succeßit, 4. Reg. 16. 18. 2. Par. 28 29. Ex quo hic quoque intelligitur xi. siue x. anno filium procreauiſſe. In quib⁹ hiſtoriis ſiquidẽ aliter haberent lxx. aliter veritas Hebraica, confugere poteramus ad ſolita præſidia, & arcem linguæ tenere vernaculæ (id eſt Hebrææ) nunc autem cùm & authenticum & interpretes cæteri pari autoritate conſentiant, in ſenſu, non in ſcriptura difficultas eſt. Quis enim crederet mortalium, vt tam puer filium generet? Hanc quæſtionẽ Hieronymus ſibi à Vitali propoſitam tripliciter ſoluit, Primùm multa quoque alia in ſcripturis incredibilia videri, vera tamen eſſe, Nec enim valet natura contra naturæ Dominum, nec legem facere poteſt, quod pro miraculo, ſigno, portentóque fit. Audiuiſſe ſe, Deóque teſte non mentiri, mulierculæ, cùm expoſitum nutriret infantem, & nutricis officio cibos inſtillaret, cubarétque cum ea paruulus iam decennis, accidiſſe, vt pluſquàm pudicitia patitur, mero ingurgitata, libidinéque accenſa, obſcœnis motibus ad coitum duceret infantem, prima ebrietate alterius noctis & cæterarum deinceps conſuetudinem faciente, menſibus necdum duobus euolutis, vterum intumuiſſe, Deíque diſpenſatione factum, vt quæ contra naturam alumni ſimplicitate in Dei cõtemptum abutebatur, à naturę Domino proderetur, impleto ſermone quo dicitur, Nihil occultum quod non reueletur, Matt. 10. Marc. 4.

Incredibilia in ſcripturis multa, vera tamen.

Mulier à decenni puero impregnata.

Luc.8.12. Sic ergò Regum vtrunque, quos non occultè scriptura voluptatis & impietatis accusat, à parua ætate libidini deditos, immatura eorum sobole demonstrari, quòd etiam eo tẽpore peccare cœperint, quo natura nõ patitur. Aliter dici potest, quòd in Regno Dauid Salomon duodecennis solium patris obtinuerit, & quia scriptura reliquit incertum quot annos pater vixerit corregnante iam filio, qui sibi non filio imputentur, mortuo autem patre filius sine eo regnauerit annis XL. initiũ Regni eius, & tẽpus quo solus regnauit, ab historia demõstratũ, nec omnes tamen annos vitæ illius. LII. tàntùm annorum circulis contineri. Quòd autem regnantibus filiis, patribúsq; viuentibus his, nõ illis, Regni tempus imputetur, si dubitas, inuenies quòd Ozia rege lepra percusso, & separatim habitãte, Ioathan filius imperium rexerit, iudicaueritq; populũ vsque ad diem mortis patris, & pòst cũ xxv. annorũ esset, xvi. annis regnasse dicitur, quos solus scilicet regnauerit, 4. Reg.15.2.Paral.26. 27. Similiter de Achaz intelligendum, post cuius mortem ex Hebræi cuiusdam fabula, Ezechias filius nõ statim imperio subrogatus sit, sed vel populi seditionibus, vel Iuda & Samaria discordantibus inter se regnis, aut certè premẽtib⁹ malis, & belluis hinc inde consurgentibus, regnum eius fuisse dilatum. Post diuersas in rebus obscuris opiniones dehortatur Hier. ab huiusmodi quęstion. anxiè tractãdis, vt ab Apostolo ĩterminabilib⁹ dictis *Quæstiones interminabiles vitandæ.*

& interdictis, 1.Tim.1. & quibus hærere ad literam, ac vel ſcriptoris errorem vel annorum calumniari nihil proſit, ſed hominis non tam ſtudioſi, quàm otioſi ſit. Et hoc ergò quoque obiter perſtricto, propoſitum perſequamur.

Ex Ethnicis, Quæ Lycurgus & Numa de nubili ætate tradiderunt, Reliquæ virginum inſtitutioni ſic, autore in horum comparatione Plutarcho, congruunt, vt ille maturas & virorum iam appetentes deſponſet, quò congreſſus expetente iam tum natura, gratiæ ſit beneuolentiæque principium magis quàm odij ac metus erga maritos, ſi ante tempus ineantur: tũ etiam corporibus robur inſit, ad cõceptus partúſque dolores perferẽdos, perinde atque ob aliud nihil nubentibus, quàm ad ſobolem procreandã. At Romani, duodecennes, aut etiam iuniores nuptui tradunt: Sic enim maximè & corpus, & indolem puram illibatámq; viro præſtari poſſe. Ætatum ergò illa ad procreationem prolis magis ſequitur naturam, hæc ad vitæ contubernium moribus formandis accõmodatior. Propius Numam, Græcus licet, quàm Lycurgum Plato ad finem 6. de Legib. nuptiarum tempus à xvi. in xx. annum, idque ad hoc longiſſimum puellæ inſtituit. Maſculo à xxx. ad xxxv. Ridiculum verò, & inconſtans, nec ſatis Platone dignum, quod lib. 11. conueniẽtiam ætatis ad nuptias & contrà, voluit iudicem nudos omninò mares, nudas quoque ad pubem vſque fœminas conſpiciẽtem, iudicare. Quaſi verò mares,

Nubilis ætas

Plato taxatus.

præſertim tricenarij, impuberes plus eſſe poſſint, quàm imberbes, verè modò mares. Eadem de Repub. dialogo 5. Oportet (inquit) viros optimos mulieribus optimis vt plurimùm congredi, & liberos ex robuſtiſſimis procreari. Adulti autem roboris moderatum tempus, mulieri quidem annum eſſe xx. à quo incipiens vſque ad xl. pariat. Viro autem xxx. vt poſtquàm acutiſſimum ſui curſus vigorem tranſierit, inde vſque ad annum lv. procreat, In iis ętatibus cùm corporis animíque conſiſtat vigor, ſiue ſenior, ſiue iunior generationem in cõmuni attigerit, profanum ſcelus hoc & iniquum, quaſi fœtus is in ciuitate feratur, qui ſi latuerit, orietur quidem, ſed non ſub ſacrificiis & votis, quæ ſingulis in nuptiis peragent ſacerdotes omnes tam viri quàm mulieres, & vniuerſa ciuitas, precantes vt ex bonis meliores, ex vtilibus naſcantur vtiliores, imò verò quod ſub tenebris ex acri quadam incontinentia ſit genitum. Quod autem ſequitur aliter in Latino Platone, aliter in Hecatonomiis Socraticis redditum eſt, Eadem, inquit, habenda eius ratio, qui in generādi adhuc ætate mulierem infra extravè generā di tempus conſtitutum attigerit, nimirum hūc gignere puerum ſpurium, inceſtum, lib. 1. Numero 7.8.9. lib. 3. Num. 55. li. 4. Num. 1. Neque verò hîc à præceptore diſſentit Ariſtoteles, cuius hac de re in Politic. lib. 7. cap. 16. hæc eſt doctrina, Cùm ſit finis gignēdi annus vt plurimū viris quidem lxx. fœminis ante l. ſic coniugā-

Gignendi finis qui ſit.

di ab initio sunt, vt ætatibus ad hunc finẽ concurrant. Est autem adolescentiorum coniũctio ad procreationem incommoda, in cũctis enim animantibus imperfecti sunt partus iuueniles, & fœminarum crebrius quàm mariũ, exiguáque corporis statura gignuntur, quod & in hominibus fiat necesse est. Quod hinc coniici potest, quòd quibus in ciuitatibus ex consuetudine iuniores cum puellis coniunguntur, in eisdẽ minora sunt & pusilla natorum corpora, plus etiam in partu laborant iuuẽculæ, & pleræque moriuntur. Itaque oraculum Troëzeniis datũ, multas periisse propter fructuum immaturitatem, non collectionem, quòd puellæ ante tempus nuptui darentur, Quas serius dari & ad cõtinẽtiam expedit, quia quæ iuniores veneri assuescunt, fiunt incontinentiores, & masculorum corpora crescere impediuntur, si incremẽti adhuc tempore (& hoc enim determinatum est, sic vt non multò amplius excedat, de quo Macrobius in Somnium, lib.1.cap.6.) rei venereæ dant operam. Puellas ergò circiter annum XVIII. nuptui tradere conuenit, masculos circiter XXXVII. Hoc enim tempore vigentibus corporibus coniuncti, procedente simul aptè gignere desinent, & filiorum erit continuatio, iis quidem in ætatis vigore natis, si statim fiat procreatio, illis verò inclinante iam ac deuergẽte ætate, quod in Aristotele notat Valla, lib.1. Dialectic.cap.10. nec tamen aliter sibi non placere quàm obiter innuit, vt robusti sci-

Iuniores puellæ veneri assuetæ incontinentiores fiunt.

licet naſcantur filij, neu ſint parentibus penè fratres. Et verò patres vix ita vnquam aui fierent, aut filiorum viderent filios, niſi propè octogenarij. Non ſic Heroinæ noſtræ, non ſic, quarum quædam ſe inter pocula iactabat auiam fuiſſe annos natam XXIIII.
Quandiu autem, quantumvè temporis liberis operam dare conueniat, non omiſit idem, Seniorum enim fœtus, vt iuniorum, minus abſoluti robuſtíque & animo & corpore, in hominibus autem maxima ex parte ingenium valet circiter annum L. Qui hanc ergò ætatem annis quatuor aut quinque exceſſerint, relinquere debent progenerandi ſtudium, de cætero, vel ſanitatis, vel alia huiuſmodi cauſa congredi. Congreſſus autem omnis alterius mulieris quàm coniugis, indecorus, inhoneſtus, & penitus interdictus, cùm ſit appelletúrque maritus: vt ſi quis tempore procreandis liberis præſcripto, ſecus feciſſe deprehendatur, dignam pro delicto reportet ignominiam.

Liberis quandiu opera danda.

O ſemicaſtum Ariſtotelem, præſertim ſi nulla ei cum Hermiæ ſeruula conſuetudo fuiſſet! quod poſt Laërtium & Plutarchum obſeruauit Crinitus, lib. 10. cap. 3. de Honeſta diſciplina. Inhoneſtam ſanè rem, & tanto philoſopho indignam: ſed mulieres vtique infatuant etiam ſapientes, Eccli. 19. Caſtius aliquantò præceptor (communionem vxorum ſemper excipio) Procreationis (ait) obſeruatio decẽniũ non excedat, quando aſſit generãdi fœcũditas. Qui ei

Ariſtoteles taxatus.

vacant, si postquam secundum leges filios procrearunt, alienæ vir vxori, vel viro mulier, eis scilicet adhuc generantibus, pœnis eisdem subiaceant, quibus & dum ipsi gignebant. Post liberorum procreationem castè viuentes, summopere in his omnibus honorentur: qui contrà, vituperentur, vbi suprà 6. de Legib. Hecatonomia 3. Numero 92. 98. 99. Inhumanè autē, quòd dum suarum ciuitatum focorum numerum sic determinat, vt nec plures esse velit, nec pauciores, nolit consequenter primùm parentibus liberos vltra censum nasci, deinde contra leges suas aut genitos in lucem edi, aut natos nutriri, sed exponi, & fœminam vel nimis diffluentem, prohiberi: vel deficientem, vt augeatur, curari, ex pluribus autē liberis, vnū quem malit pater, hæredem successorémque relinqui, reliquos alibi, fœminas quidem collocandas, mares autem ciuibus illiberibus adoptione cō mittendos: alios, quibus nimio procreandi studio sic aucta sit ciuitas, vt numerum excedat, & ita inopia prematur, in coloniam mittēdos, Hecatonomia 2. Nota 24. 25. 26. 27. Ex lib. 5. de Legibus. 2. & 5. de Repub. Inhumanius adhuc quod lib. 3. ab Æsculapio factum, vt corpora penitus morbosa & intus corrupta curare non aggrederetur, ne sic ægrè viuerent homines, & valetudinarios, sibíque & ciuitati nihil conferentes generarent. Inhumanissimū quod Aristoteles vbi suprà, nihil natura mutilū educari lege cauet, vbi verò mores aut ciuitatum insti-

Inhumanitas.

inſtituta natos vetant exponere,conſtituẽdum certum procreandorum liberorum numerum, præter quem ſi quid euenerit, conceptum, ne animetur,dilutionibus impediendum,nam vbi fœtus ſenſu atque vita prædit⁹ fuerit, ſanctum eſt,& nefas attingere. Durum inquàm,hoc & minus ſanum, ex Lycurgo fortè ſumptum, In cuius vita Plutarchus autor eſt, fœtus diffor-mes,mãcos aut diſtortos ſecus Taygetum ex poni ſolitos,quaſi qui membris aut organis ad naturæ functiones neceſſariis orbati, minúſq; robuſti cenſerentur, neque ſibi neque Reipublicę victuri eſſent vtiles.Ita mundi ſapientum ſapientiſſimi,hoc eſt, fatuórum maximè fatui. Adeò verum eſt,vanos natura omnes eſſe homines, in quibus non ſubeſt Dei ſcientia, ſiue notitia,Sap.13.Sic inquàm,philoſophi,maiorẽ habentes coniugalis officij quàm remedij rationem, vt huius contrà magis quàm illius reſpectu,ſecundum iura publica annus XII.in fœmina,XIIII.in puero pubertatis definit ętatem. Quo argumento Horus apud Macrobium,lib. & cap.7. fœminam quàm marem amplius calere,quòd cùm calor generationis cauſa ſit,celerius ea fiat ad generandũ idonea.Et in Somnium, lib.1. cap.6. poſt annos bis ſeptem ætas neceſſitate pubeſcit, tum enim moueri incipit vis generationis in maſculis,&purgatio fœminarum. Sic exponit Beroaldus in Tiberium Tranquilli,cap.61.Immaturas puellas,nõdum puberes,nec viro tempeſtiuas,quas viripoten-

Mundi ſapiẽtum fatuitas

Fœmina quã mas auidior.

tes iura vocãt, Caius in l. Mulieres. D. de Verb. Signif. Iustinianus Institu. de Nuptiis. Quin & Augustus Dioni. lib. 54. & Zonaræ tom. 2. cùm quidam eius tempore infantibus sibi desponsis fraudem legi de maritandis ordinibus facerent, & pacti nuptias, præmiis coniugum fruerentur, res siue coniugum opus non repræsentaretur aut præstaretur, id vt corrigeret, edixit, ne qua pactio nuptialis rata esset, vbi vltra biennium nuptiæ differrentur, & omnino ea x. annos nata esset, si quam despondere aliquis & ex ea commodum percipere vellet: puellis enim XII. annus, perfectus maturitatis ad nuptias terminus habetur. Quod vt breuius, ita obscurius tradidit cap. 34. Suetonius, eum cùm sentiret sponsarũ immaturitate vim legis eludi, tẽpus sponsas habendi coarctauisse, etiam si esse qui aliter locum hunc interpretentur, notẽt ibi Beroaldus & Sabellicus, quasi vel id ad voluptatem, non ad sobolis vsum fieri appareret, vel sponsi iuuencularũ, vt hodiè vetularum quidam, bona magis quàm coniugia ita captarent: Quẽ sensum sequi videtur Xilander Dionis interpres. Platonicam verò nuptutientium nudationẽ tum adhuc & aliquam multò pòst durasse, coniicere est ex Fabio, apud quem legimus, lib. 4. cap. 2. vt apud Centumuiros quæritur, pubertas annis, an habitu corporis æstimetur, quasi ea res Quintiliani adhuc ætate dubia esset, tantò pòst per Iustinianum decisa, vt sublata in examinanda marium pubertate, inho-

Pactio nuptialis vltra biennium dilata, irritanda.

Pubertas nudatione corporum non inuestigãda.

nesta, indecora, & Christiana castitate indigna, corporis habitudinis indagatione & inspectione, masculi quidem post annum XIIII. puberes, fœminæ post XII. completum, etiam viripotẽtes esse credantur. c. Quando tutores, &c. l. 3. & Institut, Quibus modis tutela finiatur in principio. Quos ætatum nubilium limites secuta est posteritas. Isidorus lib. 11. cap. 2. vbi de hominis ætatibus, eorum quæ antè congessimus, nonnulla repetuntur, & huius fragmentũ citatur in ca. Puberes. Extra. de desponsatione impuberum. Quo titulo Sponsalia sic circiter septennium contrahi permittuntur, vt non tamen ante duodecẽnium matrimonia rata sint, aut consummata fiant, quanquam qui est matrimonialium causarum fauor, & humanæ infirmitatis intuitus, talium iudicibus considerãdum relinquitur, vbi vel carnis interuenerit cõmixtio, cùm interdum ea pubertatis tempus anticipet, id nisu tantùm præ fragilitate nimirum tentantibus, quod complere non possunt, an etiam effectus fuerit secutus, vel ætatem sicubi aut malitia, aut prudentia suppleuisse videatur, In ca. A nobis, & sequentib. Item cap. Iuuenis. de sponsalib. & iisdem titt. in 6.

Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes, sed in omnibus bonam fidem ostendentes, vt doctrinam Saluatoris nostri Dei ornent in omnibus.

POstquàm vtriusq; sexus & omnis ætatis homines liberos instituit, ad seruorum transit institutionem: quæ est popularis disciplinę pars tertia, cuius rationem mox subiungit, Dei quę omnibus in Christo apparuit, gratiã, vt qui cùm dicat, Venite ad me omnes, Matt.11. qui laboratis, & clamet, Ioan.7. Si quis sitit, veniat ad me, nullam conditionem, sexum, ætatem arbitratur à salute alienam, aut à beatitudinis accessu repellit. Similiter Apostolus vt superius senes, anus, adolescentulas, iuuenes quid Titus doceret, erudiuit. Ita nunc seruis, vt Ecclesiæ parti, Christíque corporis membris, apta præcepta constituit. Seruilem ergò conditionem ad omnimodam heris suis in Christo subiectionem sic inducit, hortare, supple, vt suprà, *Seruos dominis suis subditos esse*, vt ipsi quoque decenter ad Christi gratiam eis pareant, atque seruiant, & siue bonis, siue malis, siue fidelibus, siue infidelibus, siue modestis, siue morosis, dyscolis, 1. Petr. 2. atque difficilibus, nihilo debitam minus reuerentiam & obsequium exhibeant, non verò spiritúalis, quam in Christo cõsecuti sunt, libertatis occasione cõtra carnales dominos suos erigã-

tur aut ſuperbiāt, ſed humiliter eis ſubiiciātur. Et hîc diligenter attendēdum, quomodò præcepta perſonis congrua decernāt. Filiis alibi obediētiam, filios quippè nihil tam decet quàm parentibus obedire. Mulieribus & ſeruis ſubie ctionem, eodem verbo vſus, quodā enim modo maritus vxoris eſt dominus. Dominabitur tui, inquit Gene.3. De iure autem herili, & ſeruili tum ſubiectione tū obedientia, toties, Serui obedite, ſubditi eſtote, ſeruite, honorem im pendite dominis carnalibus, etiam prauis, cum timore, tremore, in ſimplicitate cordis, & bona voluntate, ſiue beneuolentia, ſicut Domino, nō hominibus neque ad oculum ſeruiētes, Eph.6. Col.3.1.Tim.6.1.Petr.2. Quod autē hîc ſequitur, *in omnibus*, idem valet quod in locis ſuperio rib' *per omnia*, & dominos *omni* honore dignos arbitrentur, & in *omni* timore ſubditi ſint. Nec mirum, cùm iidem velint & liberos quoque pa rentibus, & coniugibus vxores *in omnibus* ſimiliter & *per omnia* ſubeſſe atque parêre. Eandem igitur in illis, quam in his expoſitionem admit tit, in licitis tantum & honeſtis, quæ ad corpo rale Dominorum miniſterium pertinent, quęque iuſtè domini imperant, & non ſunt Deo dominorū Domino contraria, nec ſanctis eius ſcripturis aduerſa. Et eandem conſequenter pa titur exceptionem, vt ſiquidē heri talia, hoc eſt impia iubeant aut præcipiāt, ſic magis obediāt ſpirit' domino quàm corporis, & ad hæc enim non ſe extendit ius herilis, imò totius humanę,

Subiectio mulieribus & seruis cōuenit

Licita & iusta debēt esse dominorum imperia seruis.

adeóque creatæ poteſtatis, Act.4.5. & quod de coniugibus dictum eſt, 1. Cor.7. non eſt aut frater, aut ſoror in huiuſmodi ſubiect⁹. Paruit Dauidi puer iubẽti eum qui Saülem ſe Chriſtum Domini occidiſſe mentiebatur, percutere, 2. Reg.1. Non debuit Saüli parêre Doëch cũ aliis Regiis emiſſariis aut ſatellitibus, vt Domini ſacerdotes trucidarẽt, 1. Reg.22. Non ſerui tortores aut carnifices tyrannis heris, vt ſæuirent in ſanctos Chriſti martyres. Et apud Græcos quidem hunc eſſe lectionis ordinem notat D. Hieronymus, vt hæc particula ἐν πᾶσι ad præcedens referatur: quoſdam autem hunc locum ita legere, vt poſtquàm hucuſque diſtinxerint, inferãt *in omnibus placentes*, & ſic contrà diſtinguere & habere Grecos hodiè codices annotat Eraſm⁹, id eſt, vt in omnibus placeant, porrò εὐαρέστους idem Hieron. non plenè (inquit) licet, ex parte tamen aliqua interpretari poſſumus, vt ſibi cõplaceãt, ne videlicet ſuper cõditione ſua videatur iniqua eſſe Dei ſententia, ſed vti pauper iuxta menſuram ſuam ſaluari poteſt, mulier in ſexus infirmitate à Dei regno non excluditur, & omnis conditio ſecundum ordinem ſuum beatitudinem capere poteſt, ſic & ſerui ſibi cõplaceant quòd ſerui ſint, nec ideo putẽt Deo ſe ſeruire non poſſe, quòd hominibus ſubiecti ſint, ſed in eo Dei magis placere voluntati, ſi & dominis ſuis ſubditi ſint in omnibus, & in ſua ſibi conditione cõplacuerint, & quę deinceps Apoſtolus præcipit, exequãtur. Et cur ſibi tãtopere

Doech Saülis emiſſarius reprehenſus.

Saluator parentibus subiectus, & Patri subiiciendus.

displicerēt? erat & Saluator subiectus parentibus suis, Luc. 2. & nihil à seruo differebat, dominus omnium, cùm duodecennis, necdū ad perfectam viri ætatē, quæ posset hæreditatem capere, peruenerat, sed & alibi patri subiiciēdus, quasi omnibus nondū ei adhuc subiectis, scribitur, 1. Cor. 15. quin & pro nobis seruis Domin' subiicitur, & vel subiectus dicitur, vel non subiectus, si Deo vel subditi fuerimus, vel nō subditi. Subtilis quidē expositio, sed & paulò fortè coactior, vt serui scilicet sibi, non heris suis placeant aut satisfaciāt, & suam fortunam, seruitutem, & subiectionem, qualiscunque sit, boni in Christo consulant, quod piissimū quidem est, sed ab huius loci interpretibus Græcis, & Latinis aliis discrepat, & sequētibus, de non respōsando aut contradicendo dominis, minus cohæret, quibuscū magis congruit, vt placitos, & quod Latinus habet Chrysostomus, gratos, quíque modis omnibus dominis suis placere studeant, hîc intelligamus. Nam & Paulus εὐάρεστον alibi dixit, quod gratum esset & placeret, Rom. 14. qui in hoc seruit Deo, placet Christo 2. Cor. 5. contendimus siue absentes, siue præsentes εὐάρεστοι αὐτῷ εἶναι, placere illi, Phil. 4. hostiā placentē Deo. D. Ambr. legisse videtur εὐαρίστους, nā vertit optimos. Aquinas pro sua diligētia vtroq; referri posse obseruauit, vt intelligantur vel in omnib' subditi, ad quæ scilicet se extēdat ius dominatiuæ potestatis, vel in omnib' placiti. Debet enim seruorū ea esse subiectio,

primò vt ſine offenſione, murmure, & tarditate ſeruiant, per omnia placentes Deo, Col. 1. & hominibus, ſicut per omnia omnib⁹ placeo, 1. Cor. 10. Sed cõtrà, Si hominibus placerẽ, Chriſti ſeruus nõ eſſem, Gal. 1. reſpõdet, placere homini propter hominem vituperabile: propter Deum, laudabile. Secũdò vt ſint ſine repugnantia, nec repugnent aut rebellent: ideò ſubiũgit, *Non contradicentes*, μὴ ἀντιλέγοντας, quod elegãter reddidit Ambroſius, reſpõſatores. Sunt autem frequẽtatiua Latinis non infrequẽtia, Reſpõſo & Reſpõſito, quod vel maximũ eſſe ſeruorũ vitiũ notat & meritò Hieron. dominis aliquid iubẽtibus cõtradicere, reſpõſare, ſecũ muſſitare, murmurare. Monet itaq; vt per doctrinã ſanã à ſeruis Chriſtianis iſtiuſmodi auferat paſſionẽ, Si enim quæ her⁹ imperat, neceſſe habet ſeru⁹ implere, cur id non cum bona faciat volũtate, ſed & dominũ offendat, tandem quod iubetur, facturus? Sic enim cum murmuratione faciens & homini ingratus eſt, & mercedem nõ habet apud Deũ: maximè cùm & ad aquam contradictionis offenſũ eſſe ſe paſſim queratur, & alibi de murmurante populo dicat, Deſinat à me eorũ murmuratio, & nõ morietur, Num. 17. iuxta LXX. Porrò ſeruile vitiũ eſſe tacere nõ poſſe, agnoſcit in Ecyra Parmeno Terẽt. *Et illud* (inquit) *mihi maximũ vitium eſt.* Act. 1. Sce. 2. Laudatur ab Heb. Sapiẽte in ſeruo ſiue famulo celeritas, Vidiſti (ait) virũ velocẽ in opere ſuo, corã Regib⁹ ſtabit, nec erit antè ignobilis, Prou. 22.

Placere homini quatenus liceat.

Reſponſare.

Murmurationis malum.

Tacere non poſſe, vitium ſeruile.

Reprehenditur ibidem piger, qui si quò mittatur, causationibus detractat officium, & dicit, Leo est foris, in medio platearum occidendus sum, Vrsus insidiatur, cælum est incõmodum. Extruditur, non mittitur, ad omnem interim occasionẽ cessat, & hæret, ne si maturè redeat, ad aliud negotium ablegetur. Est autem serui laus maxima nihil ex Domini iussis contemnere, sed impigrè industrieque vel supra vires conari cuncta exequi, & illius animi sententia, vt audiant potius quàm loquantur, ad quos dicitur, Tace & Audi. Sic Philo, in lib. De eo, quis Rer. diuinarum hæres sit. Sic Cato Censorius, Plutarch. teste, seruos instituerat, vt quærentibus quid faceret, nihil nisi nescire se responderẽt. Oppositum huic extremũ notat Prou. 29. Seruus verbis nequit erudiri, quod dicis, intelligit, & respondere cõtemnit. Media inter hęc, responsio mollis frangit iram, Prou. 15. Addo, & cita & prompta, Heris enim breui tantum verbo opus esse, vt vel annuãt vel renuãt, ναὶ ἢ. οὔ. aut verbis quidem, sed dimidiatis interim & semiplenis sat habere, si quid actum velint aut nolint, significare, Sic volo, Sic iubeo, vt extat de Domino multa simul sciscitante, & serui responso hic à Lochiensi lusus,

Seruum importunè, quæ sueta insania multis,
Commotus simul hoc omne rogabat herus,
Dic scelus, an venit? an domi erat? Soluitne? negatne?
Cui trepidus famulus, non, ita, nil, aliquid.

Nec pluribus verbis simul vtuntur, aut minus

ſit iuxta prouerbialem veterémque verſiculum
Omnis hero ſeruus, quàm
Omnis herus ſeruo monoſyllabus. In cuius expoſitione annotatum à doctis obſeruat Eraſmus, monoſyllaba & diſſyllaba, *Mys, Dauus*, &c. nomina ſeruis conuenire. Rurſus magnatum nomina faciunt polyſyllaba, qualia ſunt Ariobarzanes, Nabuchodonoſor, Teglatphalazar, Pharnabazus. Plauto polypirgopolinices, Megalodorus, & hi ſcilicet principes, ſingula verba ſua velut legẽ accipi volunt, vt quos ſæpe quamuis pauca, grauent verba, quíque ſolis nutibus ſuis obſequiũ, & fidẽ non tã orationi quã perſonæ deberi putent. Vnde iis aptiorẽ eſſe breuẽ dictionẽ notat in Inuẽtione dialectica li. 3. cap. 5. Rodolphus Agricola. Et Craſſus apud Gelliũ lib. 1. cap. 13. Corrũpi diſſoluíque officiũ omne imperantis ratus eſt, ſi quis ad id quod facere iuſſus eſt, non obſequio debito, ſed conſilio nõ deſiderato reſpondeat: Certè tali præceptore, quales idẽ ibi Craſſus, Poſthumius, & Manlius fuerunt, nihil in mandato recepto faciendũ eſt aliter, quã præceptũ eſt. Sed quia de dominio ciuili illic agitur, ad herile reuertor, & ad domeſticũ ſeruorũ obſequiũ redeo, in quo Paulus tertiò requirit, vt ſint *nõ fraudãtes*, Hieronymo, non furantes, ſiue ſuffurantes, non furaces. Hîc vnum remouet, nempe fraudem, mox alterum aſtruet, nimirùm fidelitatem. Ergò poſt cõtradictionem, reſpõſationem, tarditatem, & aliud ſeruorum vitium doctrina Chriſti corrigit, *ut*

Monoſyllaba & diſſyllaba ſeruis cõuenire.

Mandata dominorũ qualiter exequẽda ſeruis.

νοσφιζομένους. Eſt enim νοσφίζειν, decerpere ac furtim detrahere, cùm totam rem tollere non auſis, quod ſerui ſolent, Sicut Ananias Act. 5. ἐνοσφίσατο, fraudauit, ſepoſuit, detraxit, auertit & interuertit de pretio agri, quem Deo conſecrauerat, partem tantùm afferens ad pedes Apoſtolorum, & in Eccleſiæ conſpectum repręſentans. Sic ſerui callidè aliquid ſurripiunt, ne totum ad Dominum perueniat, ab eius oculis remouent, ſibi & in vſum cõmodúmque ſuum ſeponunt atque recondunt. Quidam heri ſtudio relinquunt alicubi nummos aliquot, velut per obliuionem, vt explorẽt an furax ſit famulus. Verùm id non tam eſt furacitatẽ explorare, quàm docere, obiecta nimirum occaſione, quæ ſæpe corrumpit etiam integros. In nullis ergo ſiue rebus ſibi creditis, ſiue obſequiis, in nullo ſeruitutis debito ſerui Dominos, aut opere ac labore ſibi imperato fraudent, vt ne cùm laborare debeant, otio vacent, aut fraudulenter ex rebus Dominorum aliqua minuãt, aut alioqui infideliter ſeruiãt. Seruis enim committuntur Dominorum bona, vt eſt in parabola hominis nobilis, qui peregrè profecturus, ſeruis ad ſe vocatis tradidit bona ſua, Matt. 25. Luc. 19. Talis Ioſeph Ægyptio hero miniſtrabat, & omnibus ab eo præpoſitus gubernabat creditã ſibi domũ, & vniuerſa ſibi tradita, nec quicquã aliud, niſi panem, quo veſcebatur, nouerat. Ecce (inquiens Dominę) Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid domi ſuæ habeat, &

Occaſio furandi nõ dãda ſeruis.

Ioſeph fides erga Dominum Ægyptium.

nihil non in mea potestate est, vel quod non mihi tradiderit, præter te, quæ vxor eius es, Geneseos 39. vbi eandem idem gratiam clausus apud carceris magistrum siue præfectum inuenit, qui ei tradidit vniuersos vinctos, vt nihil omnium nosset, cunctis eidem creditis, & quicquid fieret, sub eo esset, & eius administratione fieret. Et verò illi contigit quod tantò pòst Salomon scripsit, Prou. 22. Virum in negotiis diligentem, à regibus euocandum, non apud homines obscuros remāsurum. Vna enim die è seruo Dominus, è vincto liber, ex carcerarij vicario prorex factus, Gene. 41. Regiam inhabitauit pro carcere, extrema ignominia versa in honorem maximum. Hi sunt (inquit in libro de eo Philo) piorum euentus, facta enim sunt hæc, & fient sæpius, quando Deo placuerit, modò subsidat aliqua probitatis scintilla in animo, quam necesse est per occasionē excandescere. Et huius igitur occasione, qui de fraude omnium in herum maxima ab hera tētatus est, sed Dei gratia, non impulsus, nō possum non hîc obiter stomachari scortationem in famulis adeò frequentem esse, & pro leui culpa neglectam. At cùm scabiem in domum inuehunt, liberos ac familiam inficiunt, heram quoque interim & herum, an tum etiam lenis culpa videbitur? Non opinor, humanum est amare, præsertim licita, sed hic amor multa mala docet, dum improbis artibus quæritur, quod detur petaci amicæ, quod ad cultum niti-

Amare quatenus licitū.

diorem ſuppetat. Omnium verò maximè deteſtabiles, qui domum in qua famulantur, inquinant, & velut aues immundæ, nidum ſuum libidine conſpurcant. Quo argumento, vt nullum in Comœdiis Gallicis frequentius, ita vix alia in re nihilo interim Domini ſeruis melius ſe gerunt, aut minus ventris voluptatibus ſeruiunt. Meritò turpe eſſe Socrates aiebat, ſi quis talem ſe faceret, quales nemo domi vellet habere ſeruos. Quos etiam ſe mirari dicebat Diogenes, qui cùm viderent dominos plus æquo voraces, non iis cibos eriperent, Nā hoc eſſet dominorum valetudini conſulere, & ſeruis magis conuenit edacitas. Sed ad furacitatē redeo, Ne fures ergo ſerui ſint. Furem autem hîc Hieronymus non ſolùm in maioribus, ſed etiam in minoribus iudicat, Furātis enim mēs, non id tantùm quod furto ablatum eſt, attenditur, quantumcunque ſeruus abſtulerit, furti crimen incurrit. Vnde in Moyſi lege fur interim quadruplum aut ſeptuplum reddere compellitur, interdum venditur, interdum & obtruncatur, Exod. 21. 22. Hoc autem in ſeruo ſi prohibetur, quanto magis in libero, ne iudex rapiat, miles aliena vaſtet? Pulchrè quidam vir apprimè grauis, laudanti iudicis integritatem, dicentíque quòd fur non eſſet, reſpondit, optimum ſeruum facere, ſi nec fugitiuus eſſet, tantū furti ſuſpicio ab omni libero aliena eſſe debet. Hæc obiter de furto Hieronymus ad literam. Sint itaque ſerui dominis in omnibus

Comœdiarum Gallicarum argumēta frequētiſſima.

ſubditi, ſint conditioni ſuæ placentes, vt ſeruitutem aſperè non ferāt, Dominis non contradicant, neque fraudent aut furentur, *ſed in omnibus bonam fidem oſtendentes*, vt ſummam, & vt legunt Ambroſius & Hieronymus cum Græcis, omnem fidem ſeu fidelitatem heris præſtent, & verbis & factis, etiam in minimis quæ illis creduntur & conceduntur, vel in omnibus actionibus ſuis Chriſtianam fidem bonam eſſe, id eſt, vtilē oſtendant, & in opere bonum eſſe quod credunt, commonſtrent, quod ſatis conuenit ei quod ſequitur, & nuſquam non diligenter vrgent Apoſtoli, In coniugibus, vt ſe inuicem Deo lucrifaciant, 1. Petr. 3. In parentibus, vt liberos in diſciplina Domini educent, Eph. 6. in vxoribus, vt viros ament, ne verbum Dei blaſphemetur, ſuprà eodē. & propter eandem cauſam in ſeruis, vt heros honorent, non contemnant, 1. Tim. 6. ne nomen Domini, & doctrina malè audiat. Ita hîc quod ſubiūgitur, ad omnia ſuperiora de ſeruis erga dominos præcepta refertur, quaſi diceret, Quo hæc cuncta fine facienda? nūm propter herilem fauorē, ac non potius ob Dei gloriam? vtique vt ſic faciendo *doctrinam Saluatoris noſtri Dei ornēt in omnibus*, Ornamentum enim doctoris, honeſta diſcipuli conuerſatio, vt & infirmi ſanitas, medici laus. Si ergo ex operibus fidem, & nos eſſe bonos oſtendimus, glorificatur pater cæleſtis, Matth. 5. Laudatur Chriſti doctrina: eadem

Fides à quibus & quib⁹ præſtanda.

Diſcipuli honeſta conuerſatio, ornamentum doctoris.

propter nos secus facientes, maledicitur, Esa. 52. Ezech. 36. Rom. 2. Ita hîc cùm serui Christi fideles facti, deuotius vtique Dominis seruiunt, neque se subducunt, ex talibus eorum obsequiis collaudatur Christiana religio, quæ seruos sic instituat heris esse suis fideles atque subiectos. Si enim apud carnales Dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Deum maiora committi. Ornat autem doctrinam Domini, qui conditioni suæ apta facit. Confundit, qui non est subiectus in omnibus, cui conditio sua displicet, quíque contradictor & fraudator in nullo bonam fidem ostendit. Quo enim modo fidelis esse potest in substantia, id est, doctrina Dei, qui carnali Domino fidem exhibere non potuit? iuxta illud Domini, Lucæ decimosexto, eum qui in minimo modicovè iniquus est, & in maiori iniquum esse. Si ergo in iniquo mammona, & alieno fideles non fuistis, quod verum est, & vestrum est, quis dabit aut crede vtobis? Bonis ergò operibus & fide doctrinam dicit ornari Dominicam, tunc enim placidam esse ac decoram, si eam qui profitetur, amabilem facit, non exosam, factis scilicet abnegans. Nec enim indecorum esse potest, quod verum est: Cùm ergo dicta sequentibus factis implentur, ostenduntur vera, ac per hoc decora. Tunc possunt Domini

Doctrina vt placida fiat & decora.

non tantùm seruos à fide non prohibere,sed & gaudere,quia fidem eorum vident sibi proficere:nemo enim Dei fidem custodiens, hominibus infidelis esse potest,iuxta illud eiusdem vbi suprà Domini,eum qui in minimò fidelis est, & in maiori,seu multo fidelē esse.Sic Latinorū præstantissimi Ambrosius & Hieron. quorum fragmentū legim9 in ca.Si apud. 23.q.5. Addit Lyran9 S.Paulini exēplū,qui Vaudalo Regi sic infideli seruiēdo,hoc est,fidē suā bonis morib9 ornando,sui suorúmq; omniū ciuium à seruitute liberationē à Domino suo emeruit.Regij enim horti cultor munus id tam dextrè obiuit, vt meritò cùm omnibus charissimus, tum ob conspectus venerationem mansuetósque mores,& ingētem virtutem,prophetiæ etiam gratiam ac euentum de Regni mutatione, dignus habitus sit, & tantùm apud nouum Regem meruerit,vt qui pro vnius viduæ filij liberatione seipsum,venditis suis omnibus,in seruitium obtulerat,libertatem sibi acciperet & aliis impetraret,ex Africa Nolam liber cum suis popularibus non sine magna frumenti copia, in patriam postliminio & triumphanti similis,remissus.Sabellicus in exemplis,li.3.cap.8. lib.8. cap.2.Fulgosus lib.2.cap.5.Marullus lib.1.cap. 2. &c. Assuit his Anselmus ex glossa ordinaria,hanc clausulam non ad seruos tantum referendam,sed ad omnes quoque suprà nominatos,senes,anus,adolescentulas,iuuenes,quatenus omnes tales sint, vt diuinam doctrinam honestis

honestis moribus, quasi margaritis & gemmis, adornent. De quo spirituali per opera bona ornatu, 1. Tim. 2. 1. Pet. 3. & alibi. Sequitur Græcorum in hanc periodum enarratio, huc studio dilata, tum quia prolixior, tum quòd de seruorum conditione ac officio pluscula continet. Vt qui vxores à viris continentiæ prætextu separat, sic qui seruos à Dominis religionis itidẽ obtentu seducit, reprehẽsione dignus est, multam enim multis, ne dicã omnibus, infidelibus calumniãdi nostri occasionem tribuit, eorúmque aduersus fidem ora linguásque relaxat & aperit. Quod, vt est diligens, non est oblitus Aquinas. Et quare, inquiens, monet hoc tam frequenter Apostolus? Hæresis enim cœperat apud Iudæos, quasi Dei serui homini seruire non deberent. Et illinc etiam fortassis ad Christianos deriuatum, quasi per Christum filij Dei facti, non magis esse hominum serui deberent. Nolite (aiebant) fieri serui hominum, 1. Corinthio. 7. &, apud Deum & in Christo non est neque seruus neque liber, ad Galat. & Colossen. 3. At verò Christus per fidei iustitiam non venit ciuilem tollere, seu politicum ordinem, imò confirmare, quo scilicet alius alij subditur aut seruit, sed corporis seruitute seu subiectione, & nunc quidem per eundem liberamur à seruitute, sed animæ, à corporis, vt corruptione, ita seruitute, in futuro demum liberandi, Rom. 8. cùm tradiderit regnum Deo &

& patri, 1. Cor. 15. euacuata tum omni humana præsertim prælatione. Ceterùm dum & quandiu durat mundus hic, angeli angelis, dæmones dæmonibus, homines hominibus, alij aliis prælati, alij aliis subiecti sunt, vt habetur in Sẽtentiis Theologicis lib. 2. & 4. Distinctionibus 6. D. & 47. E. Pergunt autem ita Græci. Conuenienter igitur alibi dicit Paulus, quasi Deo, non hominibus seruientes, & si hero tuo cum beneuolentia inseruis & ministras, eius tamen tum origo & occasio à Dei timore proficiscitur, tum honos ad eum recurrit, tum apud eundem & ab eodem omninò merces. Admonet ergo omnium quæ maximè seruos decent, quæque heros illis placant & conciliant, non obloqui, nõ furari, fideles esse. Hæc enim mundi negotiis addicti maximè curant, & potissimùm expectãt. Nam si nec linguam cöerces, nec manum contines, quî admirari possit gentilis dogma Christianum? Sin aduerterit seruum apud se in Christo philosophantẽ, & continẽtius, modestius, magísq; quã cõseruos gẽtiles, inseruientẽ, quo cõtrà modo religionis nostrę vim tantã, vt animos in melius cõuertat, nõ vel sentiet, vel mirabitur? Cedet id profectò in Christianismi gloriã, à quo seruus sic sit institutus. Nec enim ex verbis dogmata, sed ex rebus atq; vita gẽtiles iudicãt. Sint igitur illis vt vxores, ita & serui in exẽplum rectissimæ cõuersationis norma. Quippè apud quos vbique ferè terrarũ in confesso sit, seruorũ genus vt pluri-

Subiectio inter se creaturarũ omniũ.

mũ, improbũ, imprudens, impudens, impudicum, lubricum, formatu esse perdifficile, parum ad capessendam tum doctrinam, tum virtutem idoneum, neque id natura sic faciente, Absit, sed vt illiberaliter educatum, nec bonorum virorum verbis, disciplina, aut cõuersatione rectè institutum, magna dominorum in primis, in quorum iure atque ære sunt, in formandis eorum moribus negligentia, nihil fermè aliud quàm seruile ministerium curãtium, vt eorum si mores interim componere studeant, sui id modò gratia faciant, ne si scortis, furtis, & vino seruiant, eis molesti sint & incõmodi. Cùm itaque sic negligantur, neminémq; habeãt eos cõponendi & formãdi studiosum, non mirum si in quæuis nequitiæ prærupta & præcipitia ruunt. Si enim vbi parentes instant, pædagogus, nutritius, magister, æqualis, libertatis conditio, aliáque id genus, perdifficilè quispiam malorum consortia contuberniáque deuitat, quid putas his omnibus destitutos, quíque quotidiè cum improbis versantur, quibus volunt, licenter congrediuntur, cùm eorum nemo amicitias societatésque disquirat & excutiat, quid inquàm, putas huiusmodi homunculos fore? nonnè ad supremum scelerum verticem euasuros? Adde quod nec doctrinæ quidem adminiculo fruuntur, nec nostra, nec externa erudiuntur sapientia, non cum viris & honestis educantur, & quibus existimationis suæ ac gloriæ magna cura sit.

Seruorum vitia.

Seruorum neglectus, ferè improbos eos reddit.

Ex his omnibus datur intelligi, quàm difficile, quàm mirum, ſeruum aliquando bonum atque vtilem fieri. Cùm igitur perſpexerint genus adeò illiberale, ex religionis noſtræ cultu honeſtius ac modeſtius euaſiſſe, etiã ſi valde ſtolidi fuerint & irrationales Domini, magna tamẽ concipient de fidei noſtræ dogmatibus. Quantò enim deteriores antè fuerint, tantò magis, ſi ad bonam frugem conuertantur, virtus prædicationis eminebit, cuius ſi ornamẽto ſerui eſſe ſe, & Deo in hominibus ſeruire, gratiam præſtare, Deíque iuſſis obſequi nouerit, dominorũ quanlibet aſperorum & incommodorum iras, indignationes, intemperias, reliquáque omnia facilè ferent ac tolerabunt. Hactenus Chryſoſtomus de ſeruis, non quales hodiè famulos habemus, quoſdam quaſi helotas (ſic enim Lacones, Plutarcho de Iracundia, vocabant homines mediæ conditionis inter ſeruos & ingenuos) ſed quib. ſeruitutem ſeruientibus olim Hebræi & Pagani vtebãtur, nunc etiam Turcæ, vtinam non & Chriſtiani abuterentur, nos in 1. Tim. 6. & ad finem 2. Digreſſion. quæ tum in buccam venerunt, diximus, neque nihil in noſtri Pauli Philemonem, Deo dante, dicturi ſumus.

Helotes qui fuerint.

Digreſſio. VIII.

Totam autem de ſeruis infidelium diſci-

plinam ad fidelium famulos Paulus ita breuiter aptauit, hoc, ait, magis seruiant, quòd fratres, quòd fideles, quòd dilecti, quòd communis in Christo gratię participes. Hinc etiam (ait alter) pax oritur domestica, id est, ordinata imperandi obediendíque concordia cohabitantium, Imperant qui consulunt, vir vxori, parentes filiis, Domini seruis. Obediunt quibus consulitur, mulieres maritis, serui Dominis, parentibus filij. Sed in domo iusti ex fide viuentis, & adhuc à ciuitate cœlesti peregrinantis, etiam qui imperant, seruiunt eis quibus imperare videntur, Consulendi enim officio, & prouidendi misericordia, non dominandi cupiditate, nec principandi superbia imperant. Sic Augustinus de Ciuitate lib. 19. cap. 14. & sic prosequitur cap. seq. Hoc naturalis ordo præscribit, ita Deus hominem condidit, Dominamini piscium maris, volatilium cæli, & omnium humi repentium, Geneseos 1. Rationalem factum ad imaginem suam noluit nisi irrationalibus dominari, non hominem homini, sed hominem pecori, Inde primi iusti pastores magis quàm Reges hominum instituti, vt etiam sic insinuaret Deus, quid postularet ordo creaturarum, quid exigat meritum peccatorum. Seruitutis quippè conditio iure peccatori imposita, proinde nusquam scripturarum legimus seruum, antequàm hoc vocabulo Noë iustus peccatum filij vindicaret, Gene. 9. hoc itaque no-

Dominari quibus promissum est homini.

Seruitus vnde manauit.

men culpa meruit, non natura, cuius etiam origo Latinis inde ducitur, quòd qui belli iure poterant occidi, cùm seruabantur, victorum serui fiebant. Prima ergo seruitutis causa, peccatum, vt homo homini conditionis vinculo Deo iudicāte subderetur, Omnis autem qui facit peccatū, seruus est peccati, ait supernus Dominus, Ioan. 8. per quod multi quidem religiosi Dominis iniquis, non tamen liberis seruiunt, à quo enim quis deuictus, huic & seruus addictus est, 2. Pet. 2. Et vtique fœlicius seruitur homini, quàm libidini, cùm sæuissimo dominatu vastet corda mortalium, vt alias omittam, dominandi libido. Hominibus autem, quo pacis ordine aliis alij subiecti sunt, vt prodest humilitas seruientibus, sic nocet superbia dominantibus. Nullus autem naturâ, in qua prius Deus hominem cōdidit, seruus est hominis aut peccati, sed & pœnalis seruitus ea lege ordinatur, qua naturalem ordinem conseruari iubet, perturbari vetat, quia si contra legem non esset factum, nihil esset pœnali seruitute coërcendum. Ideóq; Apostolus seruos monet Dominis subesse, & ex animo cum bona voluntate seruire, vt scilicet si nō possint liberi fieri, suā seruitutē quodammodò liberam faciant, non timore subdolo, sed fideli dilectione seruiendo, donec transeat iniquitas, & euacuetur omnis principatus & potestas humana. Et cap. 16. Interim qui habuerunt seruos iusti, sic quidem administrabant pacem domesticam, vt secundum hęc

Serui vnde dicti.

temporalia bona filiorum ſortem à ſeruorum conditione diſtinguerent, ad Deum autem colendum, in quo æterna bona ſperanda ſunt, omnibus domus ſuæ membris pari dilectione conſulerent. Quòd naturalis ordo ita præſcribit, vt nomen *patrum familias*, hinc exortum ſit, tam latè vulgatum, vt iniquè etiam dominantes hoc ſe gaudeant appellari. Verè autem tales, omnibus in familia ſua tanquam filiis, ad colendum promerendúmque Deum conſulunt, deſiderantes & optantes venire ad cæleſtem domum, vbi neceſſarium non ſit officium imperandi mortalibus, quia neque conſulendi iam in immortalitate fœlicibus, quò donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quàm ſerui tolerare quod ſeruiunt. Vocabulum autem patrisfamilias & antè adnotauerat Seneca 47. Epiſtola: Nec illud, inquiens, videtis, quàm omnem tum inuidiam dominis, tum ſeruis contumeliam maiores noſtri detraxerint. Dominum, patremfamiliæ appellauerunt, ſeruos, familiares, &c. Et de ſeruitute peccati. Seruus, ais, eſt, ſed fortaſſe liber animo. Seruus eſt, hoc illi nõ nocebit. Oſtende quis non ſit, Alius libidini, alius auaritię, alius ambitioni, omnes timori ſeruiũt. Nulla ſeruitus, voluntaria turpior. Et quod ſeruitutem ſub Noë ortam prædiximus, profani ad Saturnũ ſuũ reiiciunt: Cuius ſcilicet Regno & tẽpore nondũ quiſquam ſeruitio vel libertate diſcriminabatur. Id intelligi, quòd Rom.

Patresfamilias vnde dicti.

Saturnalib⁹, vt de his libro primo capite septimo Macrob. tota seruis permittebatur licentia, & 11. superiora Senecæ facit sua. Iustin. libro quadragesimotertio. Augustini autem sententiam totidem verbis Prosper repetit, inter huius sententias, capite centesimo sexagesimo tertio, centesimo sexagesimoquinto. Si quis autem domi per inobedientiam domesticæ paci aduersatur, corripiatur seu verbo, seu verbere, seu quouis alio pœnæ genere iusto & licito, quantùm societas humana concedit, pro eius qui corripitur, vtilitate, vt paci vnde dissilierat, coaptetur. Quia ergo omnis domus, initium siue particula debet esse ciuitatis: omne autem initium ad generis sui finē, omnis pars ad vniuersi integritatem refertur, satis apparet consequens, vt ad pacē ciuicam pax domestica, id est, ad ordinatā imperādi obediēdique ciuiū cōcordiā, ordinata imperādi obediēdiq; cohabitantiū referatur cōcordia. Ita fit vt ex lege Ciuitatis pręcepta sumere patrēfamilias oporteat quibus domū suā sic regat, vt sit paci accōmodata ciuitatis. Huius doctrinę de seruitutis tum etymo, tū origine consonāt quę idē inGenesim Quæstionū li. 1. cap. 153. sic tradit, Cōmendatur in patriarchis, quòd pecorū nutritores erant à pueritia sua & parentibus suis, & meritò, nam hæc est sine dubio iusta tū seruitus, tum dominatio, cùm pecora homini seruiunt, homo pecoribus dominabitur, vt cùm crearetur, Gene. 1. insinuatum est rationem habere dominari

Pecorum nutritores, patriarcha.

vitæ irrationali, Seruum autem hominem homini fecit vel iniquitas, sicut dictum est, Maledictus Chanaam, seruus erit fratribus suis, Gene. 9. vel aduersitas, sicut accidit Iosepho, vt à fratribus venditus, alienigenæ fieret seruus, Gene. 37. 39. ita seruos, quibus hoc nomen Latinè inditum est, primos bella fecerunt, qui enim superatus belli iure occidi poterat, seruus, quia seruatus, appellatus est, & inde mancipia, quia manu capta. Est enim ordo naturalis in hominibus, vt seruiant fœminæ viris, & parentibus filij, quia & hæc illic iustitia est, vt infirmior ratio fortiori seruiat. Hæc igitur in dominationibus & seruitutibus clara iustitia, vt qui excellũt ratione, excellant dominatione, quod cùm in hoc seculo vel per hominum iniquitatem, vel per naturarum carnalium diuersitatem perturbatur, ferunt iusti temporalem peruersitatem, in finem habituri ordinatissimam & sempiternam fœlicitatem. Ex his collegit hanc sententiam Prosper inter huius sententias, cap. 164. Nomen & conditionẽ seruitutis culpa genuit, non natura; & prima huius subiectionis causa est peccatum, vnde melior est eius status, qui famulatur homini, quàm qui suæ seruit cupiditati. Excessit ergò (ait idem in 1. Ioan. tract. 8.) modum homo, dũ auarior voluit vt supra homines esset, qui supra pecora factus est. Sub cuius tractatus finem, eleganti Dei atque nostri dissimili, quo & iterũ vtitur in Psal. 69. innuit quam nostri erga Deum communem primùm

Seruus qui fiat homo homini.

Mancipia vnde dicta.

Dominum, dein & famulos vt conseruos nostros,& illi nostri vicissim, ratione habere debeamus, Dixi Domino, Deus meus es tu. Cur? Quoniam bonorum meorum nõ eges, Psal.15. Ergò Deus seruos non habebit, si tu nolueris, si omnes noluerint? Deus seruis nõ indiget, sed serui Deo & seruis. Ideò verus Dominus Deus qui nihil quærit à nobis, & væ nobis, si eum nõ quæramus. Vestrûm autem nullus valde verus dominus aut seruus, ambo homines, ambo Dei & vestri vicissim egentes, vterque vestrûm altero vestrûm indiget. Quid enim vterque vestrûm? Ego (ait) egenus & pauper, pascat Deus subleuet, adiuuet, Deus adiuua me. Sed fortè inferiore non indiges, Si putas egere seruum tuũ bono tuo, vt eum pascas, & ei panem des, eges & tu bono serui tui, vt te tuósque labores iuuet. Non tibi potes aquam v. G. implere, coquere, ante equum currere, iumentum tuum curare. Vides vt serui obsequio indiges, Non ergò verè dominus. Sed verè Dominus is, cuius vterque vestrûm verè seruus est. Minas (ait alibi noster) remittentes, eadem seruis domini facite, sciẽtes quòd & illorum & vester Dominus in cælis est, Eph.6. Et paulò pòst in titulum, Psal. 70. Si ergò disciplina Apostolica seruum monet, vt homini domino ex voluntate, non tanquam ex necessitate seruiat, & libenter seruiendo, se in corde liberum faciat, quantò magis tota, plena, & libenti voluntate Deo, qui eam videt, seruiendum? Nam si ser-

uus tibi non ex animo seruiat, manum eius, faciem, & præsentiam videre potes, cor non potes: ait tamen illis Apostolus, Non ad oculum seruientes. Et quid est, non ad oculum? Quid enim? Visurus est Dominus meus, quo illi modo seruiam, vt mihi dicas, non ad oculum seruias? Adiecit, Sed quasi serui Christi, dominus homo non videt, Dominus Christus videt, sciētes quòd à Domino retributionē capietis, Dño enim Christo seruitis: qui autem iniustè agit, recipiet quod iniquè gessit (siue herus siue seruus) quia non est personarum apud Deum respectus aut acceptio, Col. 3. Qualem verò seruum diligas, ait idem in Psal. 33. interroga teipsum. Habes fortè formosum, staturosum, bene compositum, furem, nequam, fraudulētum: habes alterum fortè statura paruum, facie deformem, colore tetrum, fidelem, parcum, sobrium, attende rogò, vtrum duorum diligis? Siquidem carnis oculos interrogas, vincit apud te pulcher iniustus: sin cordis, deformis fidelis. Vides ergo, quod vis, vt exhibeat tibi alter, exhibe & illi tu. Cur enim alioqui gaudes ad eum qui fidem tibi exhibet, eúmque laudas, de his bonis, qui non videntur nisi oculo cordis? Ex hac Augustiniana famulorum disciplina & differentia, mihi probi famuli subit imago, quam à nobis Gallis in cōclauibus suis effingi solitā, Gilbertus Nozerenus in eleganti opusculo, è quo iam nonnihil decerpsimus, de offic. famulorum posuit & exposuit, eam lectu nō indignā

Seruire ad oculum.

Famuli probi imago.

pro huius de seruis Apostolicæ doctrinæ coronide, quæ plura dicēda supersunt, studio in Philemonem Paulinum differētes, adiiciemus, & nonnihil aliūde more nostro ampliabimus, Ea in hunc modum habet, Pileum rubrum est & elegans in capite, nec inelegās interula corpus tegit. Et elegans quoque cultus debetur bono famulo, modonè nimius. Zonarę Annalium 3. Iulianus Augustus, cùm ad eum Constantij tōsor sumptuoso cultu accessisset, tonsorē se quęsiuisse, non senatorem dicens, hominem dimisit. Cocum item Imperatorium in splendidiore veste quàm pro ministerio cōspicatus, suum pro artis conditione cultum accersiuit, & qui aderant, vtrum coco similem iudicarent, rogatis, ac vilius indutum respondentibus, alterum amandauit. Frugi scilicet homo, & germanus, imò gloriosus philosophus, sed apostata. Rostrum suillum, admonet non decere famulum fastidiosum palatum, sed quouis cibo contentum, Vt Philosophorum præstantissimi Plato & Aristoteles, nobis ad Philemonem excussi. Sic Bernard⁹ siue Clarenallensis, siue alius quidam Syluester, opusculo de cura siue regimine rei familiaris. Pascendam quidem copiosè familiam, citra tamen delicias, Grosso (inquit) cibo, non delicato nutrias: Qui gulosus effectus est, vix aliter quā morte mores mutabit. Diebus Paschalibus abundanter, non tamen delicatè, pasce, &c, Alioqui periclitamur experiri Sapientis illud, Prou. 29. Qui delicatè nutrit

Serui boni pictura graphica.

seruum à pueritia, pòst eum sentiet contumacem. Fuit quidam apud Gentiles præclari nominis opinionísque philosoph⁹,qui legem tulit,Ne seruo liceret cute arida inungi,Plato (opinor) etiãsi locus nũc nõ occurrit. Citat autẽ, nec nominat Chrysostomus,Homil.5. ad Tit. Hanc verò victus seruilis frugalitatem Itali adhuc retinent, Hispani etiam superant, quos vir bonus Nicolaus Clenardus non ita dudum Lamomo scribens anno 1535. vocabat ῥαφανοφάγους etiam purpuratos, plurés interim foris secum famulos trahentes,quàm domi cõsumant Regalias, quíque tot asseclas, si non grandi cibo, fame tamen sustentent,& aliis fouent rationibus,quas nos stupidi nunquam discere, multò minus nostratibus famulis persuadere possemus. Et quid quæso,tanto opus est seruorum illis numero, præsertim cùm Aristoteles ibidẽ neget plures habendos?Plato Hecatonomia 5. not.78.quisque (inquiat) & numero & facultate seruos ad vitæ ministeria aptos habeat? Imò sic omnes otium agũt, vt nemo careat officio: Duo præcedũt,tertius galerum gestat,pallium quartus, si fortè non pluat, quintus equi capistrum,sextus holoserica sandalia, septimus scopulas vestiũ à pilis repurgatorias,octauus pannum abstergendo equi sudori, dum dominus sacrum audit,aut confabulatur,nonus pectinẽ promit,si fortè honoratior sit salutãdus,ne incomposito appareat capillitio. Et exclamat, Quæ vidimus, testamur: Quinimo, Beati qui

Nicolaus Clenardus.

Hispanorum fastus in famulitio.

non viderunt & crediderunt, tam magnificam raphanorum ſcilicet interdum heris, nedũ miſellis, pro omni miſſu eſitationem, adeóque aquæ non modò ad bibendum, ſed & ad manus lauandas, aliquot ſectilibus vænalis vſum. Nec magni negotij illic eſt, inutilem ſeruorum turbam conquirere, quòd omnia potius ferant, quàm artem diſcant mechanicam. Quin & noſtrates quoque perpenſa gentis conſuetudine, protinus rediguntur in nobiles: pudori enim daretur, ſi è macello partem carnis deferrent, aut oſtenderent ſe manibus valere. Sit horum fides penes Clenardum, Malo credere (quod aiunt) quàm viſere, nullos alioqui hîc exteros Hiſpanis meliores & ſtudioſiores vnquam expertus, & quibuſcum mihi negotium eſſe malim. At Hiſpanis famulorum turba Anglos nõ cedere, teſtatur vbi ſuprà, Gilbertus, more, vt inquit, ad oſtentationem illaudato, vt ſibi pulchrè cohoneſtati videantur, ſi benè comitati prodeant in publicum. Sed cuiuſmodi ſatellitio? nugonibus otioſis, inertibus, ebriis, interdum & furacibus, Virgilium reddentes veridicum, Egloga 3.

Mechanicam artem Hiſpani inuiti diſcunt.

Anglorũ faſtus in famulitio.

Quid domini facient, audent cùm talia fures?

Hîc vides ſuperuacaneam famulorum turbam non ali tantùm, ſed & ſaburrari. Et inde fortè natum eſt vulgatum apud nos Francos prouerbium, vt cum hominem vehementer cibo diſtentum velimus intelligi, dicamus, *Tam Satur eſt quàm Anglus.* quò etiam alluſit Fauſtus An-

Tam ſatur, quàm Anglus prouer.

drelinus poëta, Erasmo citante in Syracusana mensa, in carmine quod de pauimento Parisiẽsi inscripsit. *Mensa* (inquiens) *Britanna placet.* At nos illis quidẽ πολυφαγίαν, Germanis πολυποσίαν aliis alia vitia non tãtùm ascribimus, sed etiam imitamur, ne dicam, quidam æquamus, imò & nonnulli superamus. Famuli autem nostrates, quod quidã facetus dixit monachus & episcopus Gallus, militum seruiles, presbyterorum æquales, monachorum sunt imperiales: vt plerique quid officij heris præstiterint, interrogantibus, nihil interim cõmodius respondere possint, quàm quod episcopo cuidam Polono famulus idem roganti, Præstiti (ait) quod alij tui præstant, Quid illud? Comedi & bibi. Legi & quendã tertiũ dicẽtẽ, Qui vnum famulũ habet, aliquẽ habet: qui duos, dimidiatũ: qui tres, nullum. Si quid commissum, in alios culpa reiicitur: si quid omissum, Putabam (inquiũt) illum facturum. Laudatur Iulian' Imp. qui post mortẽ vxoris, superuacuum famulitium aula eiecit velut inutilem familię sarcinam. Rogatus, cur? negauit sibi opus esse vel eunuchis, cùm vxor decessisset, vel repudiata diuertisset, postquam aliam non superduxit, vel cocis, quòd simplici cibo vesceretur, & tonsorem multis vnum posse sufficere. Quanquam sunt qui reprehẽdunt, quasi sublata opum admiratio, contemptibile reddidisset Imperium, Socrat. lib. 3. cap. 1. Erasmus, lib. 8. Apophtheg. Niceph. li. 10. ca. 5. Zonaras vbi antè. Tolerãt hoc malũ potẽtũ aulæ:

Gallorũ famuli, quales.

Faceta de famulis.

Famulitium superuacuũ aula eiectũ.

sed non hoc solum, à quibus ambitum & strepitum excludere difficillimum est. Vbi turba famulorum, ibi quosdam improbos esse necesse est, ad reliquos corrumpendos vel vnus sufficit. Proinde vt prudentis est, supellectilem ad vsum, non ad ostentationem parare, ita multò magis superfluam famulorum turbam excludere, qui nihil aliud sunt, quàm, vt Homerus ait, ἐτώσιον ἄχθος ἀρούρης, & cum Flacco cantillant,

Nos numerus sumus, & fruges consumere nati:

Elegãter Dion Chrysostomus oratione x. vermibus, quos Iulos vocat, similes esse dixit, qui magno famulitio vtuntur. Vt enim ij quamplurimos pedes habentes, tardissimi sunt inter reptilia, Ita si quãdo serui plures, vt plures pedes, manus, oculi, aures, vẽtres denique, aut in vna manu quàm natura nascantur, digiti, vlli hominum contingant, non is herclè fortior fit, aut magis necessaria expedit; sed multò minus & difficilius. Et, quod ridiculum est, interdum ministris hi magis carent quàm pauperes, & qui vel vnum vel nullum seruum habet. Tribus seruis comitatus Cato superior Hispaniam rexit: Posterior, XII. Scipio Æmilianus bis Cõsul, & Carthagine Numantiaque deletis, toties triumphator, VII. sequentibus officio legationis functus est. Valer. de Abstinentia. Ad imaginem redeo, Auriculæ eius asininæ designant, famulum patientibus esse auribus, si quid fortè durius dominus dixerit. Ceruini pedes, celeritatẽ in peragendis mandatis. Dextra erecta, & in palmam

Serui boni & ancillæ bona imago.

palmam explicata, fidē in contrectandis rebus herilibus. Lacęna cùm venderetur, interrogata quid sciret, fidelis, inquit, esse. Rata fidem in famula quouis opificio melius, Plutarch. Erasm. in Apophtheg. Pala in sinistra viuis prunis plena, & situlæ duæ aquæ humero sinistro pertica librante, vna à tergo, altera à fronte pendētes, industriam ac diligentiā in multis negotiis simul peragendis. Sic Lacæna, iisdem qui paulò anteà, testibus, captiua quid sciret interrogata, Probè, inquit, regere domum. Et hæc non vulgaris ars in ancilla, non hoc solum vel illud facere nosse. Quæ hîc de seruis desiderabuntur, supplenda erunt ex Commentariis nostris ad Philemonem. Lacæna.

Apparuit enim gratia Dei & saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & secularia desideria, Sobriè & iustè & piè viuamus in hoc seculo, expectātes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei & saluatoris Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilē, sectatorem bonorum operum.

SVperioris, cùm de omnibus Ecclesię statibus, tum vltimæ de seruis disciplinæ rationem cōcluserat, vt sic, hoc est, ex eorum erga dominos subie-

ctione,obedientia,reliquáque bona conuersatione, Christiana doctrina semper & vbique ornaretur.Eádem hîc omnium institutionem, eiúsque causam assignat, & plenam dictorum dicendorúmque rationem exponit,ac vrget ex Saluatoris exemplo, qui seruituti sese subiecit, vt nos à seruitute liberaret. Ideò nec seruis fidelibus durum aut indignum esse debet dominis suis infidelib' subiici. Præmittit ergò Christi gratiam,doctrinam,operationem, tum horum omnium prædicationem. Solenne porrò est ex Ciceronis,lib.1.de natura Deorum, Platonis Cratylo & Clitiphone, Plutarchi Themistocle,& aliis,In Tragœdiis,sicubi sic hæserint,vt argumentum explicare non posśint,ad aliquem Deum cōfugere, eúmque quibusdam sublatum machinis è sublimi ostendere, vt rebus repentè commutatis, fabulæ modum imponat,rei huius exemplo ab Homero ducto,apud quem Pallas ferocientem Achillem compescit, quíque vbi rerum inciderit difficultas maior,quā vt humana vel ope vel industria expediri posśit,locis aliquot numē allegat.In Euripidis Oreste,Apollo medio in tumultu res alioqui turbatissimas subitò cōponit. Ad idem Plautus in Amphitrione Iouem inducit: quod nisi in ea rerum inexplicabili difficultate fieri vetat in Arte sic Horatius,

Numinis interuentus in tragœdiis.

Nec Deus intersit,nisi dign' vindice nod' inciderit.

Quibus ergo in rebus perplexis præter spē aliquis exoriebatur,qui opem adferret,in eos di-

ci ſolebat, Deus ex machina ſiue ex improuiſo *Deus ex machina.* ἐπιφανὰς apparens. Lucia. præter ſuperiores, in Sectis, Philopſeude, mercede ſeruiétibus, & alij Eraſmo in hoc adagio citati, Quòd ſi quoties ſalus ex inſperato oſtendebatur, id deo ſolebát aſcribere profani etiam athei, quátò melius de ſalute maximè omnium tum deſperata, tũ improuiſa, de totius inquã orbis per Dominicam incarnationem ſalute noſter ait, *Apparuit*, ἐπεφάνη, Ambr. & Hieron. illuxit, & apparet enim quod videtur, etiamſi non ſit, vnde illud vulgo, bonum verũ vel apparens, at *gratia Dei*, in Deo quidẽ ſempiterna, olim tamẽ circa homines velut habitás, Domine (inquit) in cælo miſericordia tua, Pſal. 35. & omnib. penè ex æquo antehac ignota, vel certè apud Iudæos in ãguſto delitescẽs, iuxta illud, Not⁹ in Iudæa De⁹, Pſal. 75. & iudicia ſua gẽtib⁹ aliis nõ manifeſtauit, Pſal. 147. & 79. Qui ſedes ſuper Cherubĩ, manifeſtare, excita potẽtiã tuam, & veni, vt ſaluos facias nos. Ea verò quátò ad ſaluãdũ potẽtior, magíſq; neceſſaria (omnes enim quátũlibet iuſti, ante Chriſtũ ſub legis atq; peccati ſeruitute, adeóq; ſub miniſterio mortis, & damnatione, niſi per Chriſtũ vẽturũ nõ diſſoluẽda, cõcluſi erãt, Ro. 11. 2. cor. 3.) quátò itẽ tardior, tãto deſideratior. Ea verò miſſo Dei filio, cõſpicua facta, & in carne pro nobis aſſũpta manifeſtata, 1. Tim. 3. & vbiq; illuſtrata eſt ad ſaluãdũ, vnde dicit, *& ſaluatoris noſtri*, Sic Hieron. & hoc loco Ambr. niſi quòd hic lib. 2. de vocatione gentiũ, cap. 1. legit

Salutaris Dei, incertum adiectiuum an substantiuum, quia minimum Græcis discrimen est inter σωτῆρος & σωτήριος salutifera, & ad salutem proposita, non vt olim vni tantùm Iudæorum genti, sed quantùm ad se *omnibus hominibus*, nullum sexum, ætatem, conditionem excipiens. Et siquidē cum Latinis Saluatorem legamus, possit & de patre, & de filio accipi, vel quòd Dei patris viuens & subsistens gratia, Christus ex inuisibili in forma Dei, visibilis in forma serui factus est: Vel quòd Christi Dei Saluatoris hæc sit gratia, & non nostro merito saluati (in spe, siue iustificati) sumus, iuxta id quod alibi dicitur, Psal. 55. pro nihilo saluabis eos. Vtique cùm verbum patris in vtero virginis caro factū visibile se nobis præbuit, cùm apparuit inquam, Dei gratia, siue Deus per gratiā, seu per solam misericordiā apparuit. Sic Hieronymus, Anselmus, Bruno, Sic tota Schola Theologica, primam hominis Christiani gratiā, vt & Christi incarnationem, non cadere sub merito. Et hîc pro omnibus Orthodoxorum testimoniis sufficiat vnicum ex infinitis D. Augustini, lib. 1. de Prædestinatione sanctorum, cap. 15. Est, inquit, præclarissimum gratiæ lumē Saluator & Mediator Dei & hominum homo Christus Iesus, qui vt hoc esset, quibus tādem suis vel operū vel fidei præcedentibus meritis natura, quæ in eo est, humana comparauit? Respondeatur quæso, Is homo vt verbo patri coæterno in vnitatē personæ assumptus, Filius Dei vnigenitus

Gratia Dei patris viuens & subsistens Christus.

Prima Christiani hominis gratia nō cadit sub merito.

esset,vnde hoc meruerit? quod eius bonũ qualecunque præcessit?Quid egit antè,credidit,petiuit,vt ad hanc ineffabilem excellentiam perueniret? Nonnè faciente ac suscipiente verbo, ipse homo ex quo esse cœpit Filius Dei, vnicus esse cœpit?Nempè omnia hæc singulariter admiranda , & si qua eius propria verissimè dici possũt,singulariter in eo accepit humana, hoc est,nostra natura,nullis suis præcedẽtibus meritis.Respondeat itaque homo Deo,si audeat, & dicat,cur nõ & ego?Et si audierit,O homo, tu quis es,qui respondeas Deo? Rom.9.nec sic cohibeat,sed augeat impudentiam,&dicat,Cũ sim quod audio,id est, homo , quod est & ille de quo ago,cur non sim quod & ille? At enim gratia ille talis ac tantus est,cur diuersa est gratia,vbi communis est natura? Certè non est apud Deum acceptio personarum?Quis,non dico,Christian⁹,sed insanus hæc dicat?Appareat itaque nobis in nostro capite fons gratiæ,vndè secundum vniuscuiusque mensuram se per cuncta eius membra diffundit.Ea Gratia fit ab initio fidei suæ homo quicũque Christianus, qua gratia Homo ille ab initio suo factus est Christus,&c.Reliquum huius de omnimoda primę gratiæ,vt ita loquar, gratuitate in caput sequẽs differo,&ad literam redeo.Ergò post catalogũ doctrinę,quo descripserat quid vtriusque sexus senes & iuuenes,& ad extremum,seruos deberet erudire,rectè nũc intulit,quasi diceret,Ideo moneo te laborare in omnibus,siue liberi sint,

Christus ab initio suo gratia factus.

siue serui, quia Deus pro omnibus, nedum pro nobis, qui iam per fidē iustificati sumus, saluandis apparuit. Non est enim differentia liberi & serui, Græci & barbari, circuncisi & præputiati, viri & mulieris, Gal. 3. 5. Col. 3. sed cuncti in Christo vnum sum⁹, vniuersi ad Dei Regnum vocamur, omnes post offēsam patri nostro reconciliandi, non per merita nostra præcedētia, sed per diuinam gratiā, quæ quia omnibus hominibus, & vtique seruis apparuit, ideo & serui bene viuendo debent Dei ornare doctrinā, vt quæ per Dei gratiam omnibus in Christo propositam impleatur. Ideóque omnes omnis ætatis, sexus, & conditionis homines ad bene viuēdum commouendi, quia filius Dei gratis datus & gratis genus humanum saluare cupiens, apparuit per Euangelij illuminationem, per fidei prædicationem innotuit mortalibus vniuersis, senibus, iuuenibus, maribus, fœminis, liberis & seruis, nullum à sua cognitione excipiens, nullum qui cordis oculos aperire velit, excludens aut præteriens. Videbit omnis caro, videbunt omnes fines salutare Dei nostri, Esa. 40. 52. qui vult omnes saluos fieri, & ad agnitionē sui venire. Et ex hac Dei gratia secuta generis humani instructio, *erudiens nos*, non διδάσκουσα, quod est docens, sed παιδεύουσα, vox à pueris ducta, quam nos eruditionem institutionémque dicimus, ait Gellius, li. 13. cap. 15. Paulò alioqui pro correptione atq; disciplina frequens, hîc quod gratia Dei nos vt rudes clementer doceat, ma-

Eruditio.

ternè corripiat,& ex rudib⁹ instruat atque pro
uehat,prouectos denique perficiat. Apparere
quippè nō ad salutē sufficeret,nisi super ea nos
idē erudiret.Erat mūd⁹ ante Christū in magna
Dei ignorātia,sine christo,sine Deo,Eph.2.sed
popul⁹ qui ambulabat in tenebris, vidit lucem
magnā,Esa.9.Matt.4. Tēpus,ait propheta,re-
quirēdi Dn̄m,donec veniat,qui docebit vos iu
stitiā,Ose.10.Lętamini in domino Deo vestro
qui dedit vobis doctorē iustitiæ,Ioël.2. Et Esa.
50.Dominus dedit mihi eruditionē,vt sciā tem
pore suo loqui verbū lasso,qui linguas infantiū
facit disertas,Sap.10.&c.Erudiuit autē nos vita
& doctrina,verbo & exēplo,de duobus homi-
ni saluādo necessariis,bono scilicet opere,& re
cta intētione.Sequētē autē locū annota meri-
tò cōtra eos,qui abutētes gratia negligūt bona
opera, cū in hoc ipsū gratia liberet à peccatis,
vt deinceps piis operibus vacemus. Sic & hîc
Græci repetūt,Cū à seruis tā magnū virtutis o-
pus,&ingēs reuera studiū exegisset,vt nullā do
minis vel in minimis rebus occasionē dehone-
stādæ Christi doctrinæ prębeāt,sed eā in omni
bus cohonestēt,causam intulit iustā,ob quā ta-
les esse debeāt,& cōmōstrat nō immerito po-
stulare se honestā ab omnib⁹ in omnib⁹ vitę cō
uersationē. Cū enim Deū & Christū eius,hoc
est, tātū atque talē assecuti simus & habeamus
Saluatorem & doctorē,quomodo non omnes
tales esse,&dignè eo viuere debeamus?an non
æquum,vt quæ salutem eius doctrinam decēt,

Eruditio Christi, quā nos instituit.

faciamus, & quæ dedecent, vitemus? Noſtis ſanè, vt inter cætera id animam nõ mediocriter hortetur, premat, vrgeat, quòd innumeris peccatis obnoxia, non ſolùm pœnas non dederit, ſed & cum venia bonis ſimul innumeris potita fuerit. Nam ſi quis ſeruum nact⁹ infidelem, & in multis offendentem, non ſolùm non flagris ceciderit, ſed & offenſis indultis, à futuris cauere, ne is recidat, monuerit, magnis prætereà beneficiis fouerit, quæ tam ingrata mens & perfida, quam huiuſmodi gratia non ad meliora ſectanda prouocare ſufficeret? Domini autẽ gratia non hactenus ſtetit, aut eò tantùm progrediens terminata eſt, vt per nos olim cõmiſſa, noſtra faceret, nolite eam exiſtimare ſic ad præcedentium delictorum remiſſionem, vt ait Rom. 3. extendi, vt & in ea conſiſtat, nec vltrà pergat, ea verò non à prioribus tãtùm delictis nos liberauit, ſed & in futurum pręmuniuit, & ſecuriores tutioréſque reddidit. Erudit enim nos hæc ſingularis Dei in Chriſto gratia, vt in poſterum malè viuere deſinamus, & bene viuere incipiamus atque pergamus. Alioqui ſi ſemper in malis operibus perſiſtentes nunquam puniret, ea res eſſet incitamentum nequitiæ, non inuitamentum gratiæ. At hic ſcopus eſt, & hoc diuinæ œconomiæ inſtitutum, hac de cauſa vnigenitum Dei filium hominem factum, omnes ſalute eſſe ignatum, eò tendentem, vt præter impietatem, vitam quoque nequam relinquamus: viam etiam &

Scopus incarnationis dominicæ.

doctrinam reliquiſſe, vt piè ac moderatè viuamus, hoc habet in ſumma. De priori ergo ex duobus homini ad ſalutem propoſitis, hoc eſt, de malis quidem primùm operibus vitandis, mox & bonis exercendis, erudiuit nos, *vt abnegantes impietatem*, vel, vt Ambroſius participium præteriti temporis ἀρνησάμενοι vertit, quod idem eſt, abnegata impietate, & verbi emphaſim Grçci notant, vt non qualemcunque abſtinentiam aut auerſionem ſignificet, ſed ex animo totóque mentis affectu, peccati odium & execrationem. Omnia autem peccata conſiſtũt vel in iis quæ directè contra Deum ſunt, & impietatis dicuntur, pietati nimirum, hoc eſt, diuino cultui oppoſita, qualia ſunt paganorum idololatria, Iudæorum infidelitas, hçreticorum perfidia, dogmatum prauitas & peruerſitas, vel in abuſu temporaliũ, & hæc ſunt *ſecularia deſideria*, ſiue mundanæ cupiditates aut concupiſcentiæ, κοσμικὰς, non ab eo quod ſequitur, in hoc ſeculo, αἰῶνι; alioqui ſeculare Latinis aliud dici, iam aliquoties antè obſeruatum, quod ſeculo quoque inſtauratur, ludi carmen, &c. ſed Eccleſiaſticorum ſcriptorum vſus obtinuit, vt ſeculares curas, artes, diſciplinas, dignitates, & ſecularia iudicia, negotia, &c. aliter vocemus. Hîc autem honores, diuitias, delicias, luxum, auaritiam, libidinem, ambitionẽ, carnales voluptates, & vt vno verbo dicam, quæcunque à mundo eiúſque principe ſuggeruntur, & ſuam in mundo vtilitatem habent, cum eodem inci-

Peccata in quo conſiſtãt

Seculare.

piunt & deficiunt, dilabuntur atque diſſoluuntur, cúmque ſeculi huius nube pertranſeāt, nec nobiſcum in cælum tranſeunt, & quæ ex temporalium abuſu homo vel in ſe, vel in proximum committit, quæ plerunque catholicos decipiunt. Quid ſit autem hæc abnegare, exponit Anſelmus, Qui impius anteà fuit, qui ſuperbus, luxurioſus, auarus, qui aliena rapuit, ſi conuerſus ad Chriſtum factus eſt pius, humilis, vitam ad continentiam mutauerit, ambire deſierit, & propria largiri didicerit, qui iuſtitiam ſitiit & eſuriit, Matt. 5. & gaudia patriæ cæleſtis appetit, is impietatem, & illecebroſa præſentis ſeculi deſideria, quæ ſectabatur, abnegauit, Ex Gregorij homil. 32. ſuper Euangelia. Eſt & laudanda negatio, de qua Dominus, Si quis vult venire poſt (ſiue ad) me, abneget ſemetipſum, Matt. 16. Luc. 9. Quomodò autem ſe quis abneget, contemplandum ita diſſerit ad finem cap. 1. huius Hieronymus, Pudicus fornicatorem, quod prius fuerat, negat, ſapiens imprudentem, iuſtus iniuſtum, fortis infirmū, & vt in commune de omnibus loquar, toties negamus nos, quoties priora vitia calcantes, deſinimus eſſe quod fuimus, incipimus eſſe quod antè non fuimus. Rectè de Pœnitentia Ambroſius, lib. 2. cap. 10. Viuendum ita, vt vitali huic moriamur vſui, ſeipſum ſibi homo abneget, & totus mutetur, ſicut quendam adoleſcentem fabulæ ferunt poſt amores meretricios peregrè profectum, abolito amore regreſ-

Abnegare quid ſit.

Abnegare ſemetipſum, quid.

ſum, veteri occurriſſe dilectæ, quæ ſe non interpellatã mirata, & non recognitam rata rurſus occurrens dixerit, EGO SVM, reſponderit ille, SED EGO NON SVM. Semetipſum enim relinquit & abnegat, inquit vbi ſuprà, & Moralium lib. 33. cap. 6. Gregorius, qui calcato ſuperbiæ typho, ante Dei oculos eſſe ſe à ſe alienum demonſtrat, Nec enim ſufficit noſtra relinquere, niſi relinquam' & nos, Quid eſt quod dicimus, relinquamus & nos? Si enim noſmetipſos relinquimus, quò ibimus extra nos? vel, quis eſt qui vadit, ſi ſe deſeruit? Sed aliud ſumus per peccatum lapſi, aliud per naturam conditi, aliud quod fecimus, aliud quod facti ſumus. Relinquamus noſmetipſos, quales peccãdo fecimus, maneamus noſmetipſi, quales per gratiam facti ſumus. Pœnitens ergo atque conuerſus, ipſe quidem eſt per naturam, non ipſe per malitiam. Hinc ſcriptum, Verte impios, & non erunt Prouerbio. 12. conuerſi namque impij non erunt, non quia non erunt omnino in eſſentia, ſed ſcilicet non erunt in impietatis culpa. Tunc ergo nos linquimus & abnegamus, cum vitamus quod per vetuſtatẽ fuimus, & ad hoc nitimur, quod per nouitatem vocamur. Penſemus quomodo noſter hic ſe abnegauerat, Viuo (ait) iã non ego, Gal. 2. Extinct' quippè ſęuus ille perſecutor, viuere cœperat pi' prędicator, Si enim ipſe eſſet, pius profectò non eſſet, ſed qui ſe viuere denegat, dicat vnde eſt, quòd ſancta veritatis

Impij verſi quomodo nõ ſunt.

verba clamat. Viuit verò (ait) in me Christus, ac si apertè dicat, Equidem à memetipso extinctus sum, quia carnaliter non viuo, non tamen essentialiter mortuus, quia spiritaliter in Christo viuo. Ergo nisi quis à semetipso deficiat, ad eum qui super ipsum est, nõ appropinquat, nec valet apprehẽdere quod vltra ipsum est, si nescierit mactare quod est. Sic olerum plantæ transponuntur, vt proficiant, eradicantur, vt crescant. Semina in terræ admixtione deficiunt, vt in reparatione sui generis vberius assurgant, & vnde videntur perdidisse quod erãt, inde incipiunt hoc apparere quod non erant. Hactenus de sui & vitiorũ abnegatione Gregorius. Sed qui tam se à vitiis abnegat, exquirendæ ei virtutes sunt, in quibus crescat, Declina, inquit alter, siue diuerte à malo & fac bonũ, Psal. 33. 1. Pet. 2. Audiuimus quę mala fugiamus, audiam⁹ quę bona faciamus, quóque animo, pariter atq; corpore nos geramus, erga nos primùm *Sobriè*, σωφρόνως, Ambrosio temperanter, Hieronymo pudicè, nec carne scilicet nec mente peccato consentientes, à vitiis nos abstineamus, & modũ seruemus, modestè, continenter, abstinenter. Quãquàm Græci non hîc abstinentiam tantùm ciborum, aut continentiam corporum expõnũt, sed reliquarum quoque affectionum & perturbationum moderationem, nedum voluptatum in gustu aut tactu, vt qui auarus sit aut pecuniæ amantior, minimè idem sit sobrius, imò hoc minus

ſobrius, quo magis auaritia quàm crapula vel ebrietas,contra naturam eſt,& minus ab ea ortum ducit,nec tãtam qua impellere poſſit, vim habet. Ideóque auarus guloſo aut libidinoſo immodeſtior & impotentior, quanto ciborũ homini & alterius ſexus amor pecuniarũ amore naturalior,& penitius ei inſitus, ac proinde vehementior & violentior eſt:Et auriga enim is impotens diceretur,non qui equum ferocẽ & infrenem,ſed qui manſuetiorem regere nequiret aut ſubiicere. Quam vitiorum collationem pluribus hîc proſequitur Chryſoſtomus. Sic & Aquinas ſobrietatem accipit, cùm quis externis rebus & paſſionibus propriis cum rationis quadam velut menſura vtitur. Sequitur erga proximum,*Iuſtè*, vt opera iuſtitiæ per obſeruantiam Dei mãdatorum in alios faciamus, facultates noſtras ſic poſſideamus,vt & diſpẽſemus ac diſtribuamus, nec modò non lædamus,fraudemus, aut iniuria afficiamus, ſed & potius de omnibus bene mereamur, & noſtra fratribus cõmunicemus. Poſtremò erga Deũ, *piè*,duo ſuperiora contra ſeculi deſideria, hoc contra impietatem,vt in fide & pietate perſeueremus,ac etiam pium cor & compaſſionem afflictionis proximorum habeamus, nevè in alterum iuſtitia temerata ſit aut intemperata,vt temperetur, pietatem ei, hoc eſt, verum Dei probatum cultum,non impium aut ſuperſtitioſum adiungamus. quod in Hieronymi, Sedulij, & Primaſij fragmẽtis hîc vtcunque legitur.

Iuſtè fieri quid dicatur

Piè viuere.

Et *sic viuamus in hoc seculo*, præsenti, adeò fragili & transitorio, in quo vix ita viuere licet, quod perpetuum certamen habet futurum verò prę-mia. Et totam quidem hanc periodon sic cum Ambrosio licet repetere, Dei (ait) donum hominibus per Dominum illuxisse dicit Apostolus, id est, Dei vnius veritatem in Christo manifestatam, vt pia professione creatorem in trinitatis vnitate prædicemus, quod prius latuit humanum genus, nūc autem misericordia Dei innotuit, vt erroris tenebras, ignorantiam, & mundanorum impietatem fugientes, pij in parentem omnium Deum inueniamur, profitentes eum in veritate quam tradit Euangelium filij eius, & vt rei huius mercedem habere possimus, bona opera faciamus, vt enim ei qui solū patrem prędicat, spes nulla est, si non & in eadem veritate profiteatur filium, ita & huius spes frustrata est, qui solam fidei professionē sine bonis operibus habet. Sic hodiè nobis cū veteribus tantò magis inculcanda fidei sine operibus vanitas, & bonorum operum necessitas, quò plus hodiè refrixit cum fide charitas.

Fidei professio sine operibus vana.

Hîc verò non omittenda perelegans periodi huius cum Sophon. 2. capite compositio, ex Chrysostomi oratione 2. contra Iudęos, Quòd omnes deinceps homines Deum laudaturi essent, illucescit (ait prophetia) Dominus super omnes gentes, & abolebit omnes Deos gentium. Audi sanè quo pacto Apostolus cum propheta concordet, dixit ille, Illucescet Domi-

nus, hic, Illuxit gratia Dei salutaris : Ille, super omnes gentes: hic, super omnes homines: Ille, abolebit deos gentium, hic, erudiens nos, vt abnegantes impietatem, ac mundanas concupiscentias, sobriè, iustè, piè viuamus, &c.

Digreßio. IX.

Ad superiorem autem nostri mundíque abnegationem pertinet ex peruetustis Christiani baptismi cęremoniis ritus verè catholicus seu vniuersalis semper & vbique obseruatus, quo baptizandi adulti, sua: paruuli, susceptorum voce, Satanæ & omnibus eius pompis & operib. abrenunciant. Id cum recentioribus, hoc est, Sententiariis, lib. 4. Dist. 38. B. vocemus licet votum commune ac solenne, quòd ab omnibus, & in conspectu Ecclesiæ fiat, sed cuius veterum nemo non meminerit. Extat inter constitutiones Apostolorum, lib. 1. cap. 40. & 41. Cùm sciam ad baptismum parat Catechumenus, discat quæ dicuntur de abrenunciando diabolo. Oportet enim primùm discedat à cõtrariis, deinde ingrediatur mysteria, deleta pri9 à corde omni improbitate, ita sancta percipiat. Vt enim agricola purgat prius agrũ succrescẽtibus spinis, dein triticum serit, sic debetis prius expulsa omni impietate constituere pietatẽ, & ad baptismum accedere. Profiteatur ergo qui baptizatur, cùm abrenunciat hoc modo, Abrenuncio Satanæ, & operibus eius, pompis, cultui, angelis, machinationibus eius, & omnibus quæ sub ipso sunt. Magnus Ecclesiæ veteris mystagogus Dionysius Eccle. Hierarchiæ,

Baptismi catholici ritus laudabilis in abrenunciatione Satanæ.

cap.2.part.2.& 3. testatur adultos ter iis quæ Deo contraria sunt, abrenunciare se profiteri contestaríque solitos,& cap.5.& 6.part.1.Inter sacrorum ministrorum officia reponit accedẽtem vt abrenunciet ad occidentem sistere, & rursum ad orientem trãsferre,& verbis, vt ait, obstetricantibus ad vitalem abrenunciationẽ formare ac effingere,docẽdo,vt obscuris abrenuncians ad illuminãtia transeat, Cap.7. part. 3.Præsul delectum à naturalibus oblati parentibus præclarum quendam diuinarum rerum magistrum,futurum eius patrem diuinum,sanctęque salutis alumnum, spondentémque se puerum iuxta sanctam vitam educaturum, requirit vt abrenunciationem profiteatur, fidémque confiteatur, non vt profani ridentes aiunt,aliũ pro alio sacris imbuit,nec enim hoc ait susceptor,Ego pro puero abrenunciationes facio, aut fidei sacramenta profiteor, sed ita, Puer hic renunciat & profitetur(verbis scilicet meis & ore meo)& spondeo puerum inductum,cùm ad sacram intelligentiam venerit,sedulis adhortationibus meis,vt abrenunciet cõtrariis,siue potestatibus aduersis, profiteatúrq; fidem, & quæ pollicetur diuina (se scilicet obseruaturum mandata) peragat. Et quo nemo melior antiquitatis Ecclesiasticæ testis Tertullianus,initio de Corona militis, inter traditiones non scriptas,Aquam adituri,ibidem,sed & aliquantò prius in Ecclesia sub antistitis manu contestamur nos renunciare diabolo, & pompæ,&

Susceptorum in baptismo sponsio pro paruulis.

pæ,& angelis eius.Et ad finem eius libri, Omnes causæ alienę,profanæ,illicitæ,semel iam in sacramenti tentatione eieratæ,pompæ diaboli & angelorum eius,officia seculi, honores, solennitates postulatrices, falsa vota, humana seruitia,laudes vanæ,gloriæ turpes. Ad martyres,Contristetur in carcere qui fructum seculi suspirat,Christianus,&c.extra carcerem seculo renunciauit,in carcere autem etiam carceri, nihil interest vbi sitis in seculo,qui extra seculum estis.De pœnitentia, Nō leuiter in Dominum peccat,qui cùm æmulo eius diabolo pœnitentia renūciasset,& hoc nomine illum Domino subiecisset, rursus eundem regressu suo erigit.& dicunt quidem pristinis renunciare,& pœnitentiam assumunt,sed includere eam negligunt. De habitu muliebri, Hi sunt angeli, quibus in lauacro renuntiauimus. De spectaculis, Cùm aquam ingressi, Christianam fidem in legis suæ verba profitemur, renunciasse nos diabolo & pompæ & angelis siue spiritibus eius ore nostro confitemur, vna renunciatio nostra aduersus idololatriam. Et ad finem libri,Nihil nō diaboli est, quicquid Dei non est,vel Deo displicet.Hóc erit pompa diaboli, aduersus quam in signaculo fidei eieramus: quod autem eieramus, neque facto,neque dicto,neque visu,neque prospectu participare debemus. Cæterùm nonnè eieramus & rescindimus signaculum,rescindendo testationem eius? De idololatria, Quomodò renun-

Pompa diaboli qua.

ciamus diabolo & angelis eius, si eos (idola fabricando) facimus? Quod repudium diximus his, non dico cũ quibus, sed de quibus viuimus? Si templis (gentilium) renunciasti, ne feceris tẽplum ianuam tuã. Maius dixi, Si lupanaribus renunciasti, ne indueris domi tuæ faciem noui lupanaris. Tu si diaboli pompam eierasti, quicquid ex ea attigeris, id scias esse idololatriã. Et concludit, hæc accedentibus ad fidem proponenda, ingredientibus inculcanda, vt accedentes deliberent, obseruantes perseuerent, nõ obseruantes sibi renuncient. Ex his cõstat eandẽ post lapsum à baptismo pœnitentibus, quæ anteà baptizandis, abrenunciationem proponi solitam. Vbi ergo semel eieratũ dicit, *semel*, pro prorsus & omnino accipi notat Rhenanus scholiastes, ita vt semel fecisse sufficeret. Huius quotidianus lector Cyprianus li.1.epist.2.& 5. Interesse debet inter eos qui ad seculum, cui renunciauerant, reuersi gentiliter viuũt. Nam seculo renunciauimus, cùm baptizati sumus, sed & nunc verè renunciamus seculo, quando tentati & probati à Deo, nostra omnia relinquentes, Dominum secuti sumus. Serm.2. Quid ad Zabulum, cui renunciaueras, iterum redis? De lapsis, Qui seculo renunciasse se meminit, nullũ seculi diem nouit. &, Stare illic potuit Dei seruus, & loqui, & renũciare Christo, qui iam diabolo renũciarat & seculo. De mortalitate, Cõsiderandum & identidem cogitandum renunciasse nos mundo, & tãquam hospites & pere-

Semel, pro prorsus & omnino.

Renunciare seculo.

grinos hîc interim degere. De oratione Dominica, Qui credidit, contestatur inter prima statim natiuitatis suę verba, renunciasse se terreno & carnali patri, & patrem solum nosse se & habere cœpisse, qui sit in cælis. Et, qui iam renunciauit seculo, maior est & honoribus eius, & regno. Et, qui seculo renunciauimus, & diuitias eius & pōpas fidei gratia spirituales abiecimus, cibum nobis tantummodò petamus & victū, cùm sic instruat Dominus, Qui non renunciauerit omnibus quæ sunt eius, non potest meus esse discipulus. Ad Quirinum lib. 3. cap. 11. Eum qui fidem assecutus est, exposito priore homine, cælestia tantùm & spiritualia cogitare debere, nec attendere ad seculum, cui iam renunciauim⁹. Sed inter tot huius hac de re verba, illud vel maximè obseruandum, ne, quod scribit lib. & epistola 4. seculo verbis solis, & non factis renunciemus, Quo verbo valde delectatus est Augustin⁹, cap. 17. de fide & operibus, & ad finem libri. Epistol. 89. quæstione 4. in Psal. 30. & passim de Baptismo contra Donatistas lib. 4. & 5. verùm hîc suo loco non omittetur. Quod autem in libro de duplici martyrio Cypriani titulo legitur, quanquam vereor vt Erasmi sit Cyprianum imitari affectantis, valde rem hanc elucidat. Sic autem inter alia de baptismo, zabulo denunciasti perpetuas inimicitias, renunciasti omnibus eius pompis ac voluptatibus, eiurasti in verba redemptoris, cùm tot tamen vitiis seruias, tibi places, quia nondum libellatus aut thurificatus.

verbis tantùm, ſed factis quoque renunciari. Hanc autem renunciationem, cum baptizatis & pòſt lapſis ac pœnitētibus fuiſſe continentiam vouentibus communem, idem teſtis eſt, tractatu 2. de habitu virginum, quo vbi ſuprà loco eas à nimio corporis ornatu dehortatur, ſic indignatur, Qui Chriſti ſunt, carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt, Gal. 6. Et quę ſe carnis concupiſcentiis & vitiis renunciaſſe profitetur, in iiſdem quibus renunciauerat, inuenitur? aliud te eſſe iactas, aliud affectas. Et, Quæcunque terrena ſunt in ſeculo accepta, & hîc cum ſeculo remanſura, tam contemni debent, quàm mundus ipſe cōtemnitur, cuius pompis & deliciis iam tunc renunciauimus, cùm meliore tranſgreſſu ad Dominum venimus. Et hîc ad virgines profeſſas ſermonem habet, Nam ait paulò antè, Si Chriſtum continentia ſequitur, & regno Dei virginitas deſtinatur, quid illis cum terreno cultu & ornamentis, quibus dum hominibus placere geſtiunt, Dominum offendūt? Cælebs cogitat quæ Dei ſunt, quomodò placeat Deo, vt ſit ſancta corpore & ſpiritu, 1. Cor. 7. Sic virgo nō eſſe tantū, ſed & intelligi debet & credi, vt nemo cū virginem viderit, dubitet an virgo ſit. Hîc inquàm, alloquitur quæ ſic innuptæ erant, vt nec nupturirent. Nec enim puellas nupturientes dedecet aliquis in habitu ſplendor, nedum cōptus aut ornatus, qui ſanctimoniales, aut quas vocant nouitiolas, minus deceret. Hinc ob hu-

Ornatus nimius corporis Christiano indecens.

Virgo intelligi qua debeat.

ius inquam abrenunciationis inter facienda vitæ monasticæ vota, quæ Magister vbi suprà singularia vocat, sed peræquè solennia repetitionem, Monachismum quidam secundi baptismi titulo dignati sunt, non recentiores modò, sed & veteres. Sic enim Hieronymus Paulam suã super obitu Blesillæ filiæ ex septimestri coniuge paucorum æquè dierum viduæ ac monialis consolatur, Reuera si seculare desiderium, &, quod Deus à suis auertat, delicias vitæ huius cogitantem mors immatura rapuisset, plãgenda erat. Nunc verò cùm propitio Christo, ante quatuor fermè menses SECVNDO *quodammodò* propositi se BAPTISMO lauerit, & ita deinceps vixerit, vt calcato mundo, semper monasterium cogitarit: non vereris ne tibi Saluator dicat, Irasceris Paula, quia tua filia, mea facta est filia? &c. Cuius rationem B. Bernardus non procul à fine libelli de præcepto & dispensatione longè pòst ita reddidit, Audire & hoc vultis à me, vnde inter cætera pœnitentiæ instituta, monasterialis disciplina meruerit hanc prærogatiuam, vt SECVNDVM BAPTISMA nuncupetur? Arbitror ob perfectam mundi abrenunciationem, ac singularem excellentiam vitæ spiritalis, qua præeminens vniuersis vitæ humanæ generibus, initiandis scilicet, vt paulò pòst ex Dionysio videbimus, huiusmodi conuersatio, professores & amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit, imò diuinam in homine reformat imaginem, confi-

Monasterialis disciplina secundum baptismũ.

gurans nos Christo INSTAR BAPTISMI, & quasi denique SECVNDO BAPTIZAMVR, dum per id quod mortificamus mēbra nostra quæ sunt super terrā (col.3.) rursus Christum induimus (Gal.3.) complantati denuò similitudini mortis eius (Rom.6.) Sed & quomodò in baptismo eruimur de potestate tenebrarum, & in regnum transferimur claritatis ęternę (Col.1.) ita & in sancti hui' SECVNDA quadā regeneratione propositi, de tenebris ęq; non vnius originalis, sed multorum actualium in virtutum lumen euadimus, reaptātes nobis illud Apostoli, Nox præcessit, dies appropinquauit, Rom.13. Idem de duplici baptismo, & de relinquenda propria voluntate sic sermocinatur, Scitis fratres (firmissimè enim tenetis catholicam veritatem) quòd in baptismate abrenūciantes Diabolo pater cælestis adoptet, &c. Irritum fecimus hoc fœdus primum, tibi peccauim' Domine, Satanę nos denuò malis operibus obligantes, iugo iniquitatis collavltronea submittentes, & subiicientes miseræ seruituti. Itaque rebaptizari nos conuenit, secundū fœdus inire necesse est, & opus professione secunda, nec iam sufficit abrenunciare Diabolo & operibus eius, mundo pariter abrenūciandum & propriæ voluntati. Ille seduxit nos & tradidit, in priori nimirùm baptismate, quando nihil nostra nobis adhuc voluntas nocuerat, satis erat abrenunciare Diabolo, cuius profectò inuidia peccatum pariter &

Secundus baptismus.

Rebaptizatio quadam.

mors per vnum ingrediens hominem in omnes pertransiit. Cęterùm postquàm mundi fallentis illecebras & infidelitatē propriæ voluntatis manifestè sumus experti, de cætero iam in SECVNDO, vt ita dixerim, cōuersionis nostræ BAPTISMATE, meritò prorsus & non ad insipientiam nobis, non resarcire tantummodò fœdus primum, sed etiam roborare soliciti, ipsis quoque affectibus pariter abrenūciamus. Hæc ille, quæ ad omnes quoque pœnitētes, nedum monachos pertinent. Sic ad Petrū venerabilem huius contemporaneum Cluniacensem Abbatem Petrus alter Pictauiēsis monachus in Panegyricon eidem nuncupatum, præfatur, Vos autem pater charissimè, filioli vestri, quem Christo Domino, in SECVNDO BAPTISMATE genuistis, indesinenter memorē Deus omnipotēs hîc & inæternū custodiat. Hęc nō sineoffendiculo legūtur, ab iis pręsertim qui ad viuū omnia exigūt, quasi sic ęquetur baptismati monachism⁹, cū cōtrà possintvel ex his loquēdi formulis, *Quodāmodò, Instar, Quasi, vt ita dixerim*, discere similitudinē esse, ob eā quæ suprà, causā, non æqualitatē. Renouari enī ab initiandis monachis solitā iam tū fuisse renunciationē hanc, idē si modò idē, Hieronym⁹ testatur in regula Monialium, quæ eius titulo circunfertur, cap. 30. cuius verbis nihil obstare video quin ad hodiernas ita vtamur, Nihil ad vos de pompis seculi attinet aut diaboli, vt quibus in baptismate abrenunciauistis,

Monachismus, secund⁹ baptismus.

quod & poſtmodùm confirmaſtis ſub pollicitatione iuramēti, in veſtræ religionis ingreſſu. Fit & in Baſilij Aſceticis ſiue monaſticis Ruffino interprete, cap. 3. 5. Fumano, & Duſano, cap. 8. renūciationis, præter primam omnibus initiandis in prima confeſſione communem, monachorum propriæ mentio, qua ſeipſos abnegantes, non ſolùm vitæ ac conſuetudini præteritæ renunciant, ſed & omnibus quæcunque ſcopum pietatis & perfectionis Euāgelicæ impedire poſſunt, carnis atque mundi affectibus & deſideriis, patribus denique ac fratribus carnalibus, &c. Teſtis eſt & multò anterior Dionyſius in Eccleſiaſtica Hierarchia, ca. 6. Part. 2. & 3. Sacerdos (inquit) ad eum accedens, interrogat primùm, an renunciet diuiſibilibus omnibus (ſecularibus atque mundanis nos à Deo diuidentibus, & in diuerſa rapientibus) nō ſolùm vitiis, ſed etiam phantaſiis, ſeu affectibus. Hæc autem abrenunciatio ſupremam monachorum philoſophiam indicat, dum in ſcientia operatur viuentium (nos vni Deo coniungentium) mandatorum. Eſt enim non medij ordinis (plebis ſanctæ) ſed omnibus (initiādis) celſioris. Ideóque multa quæ impunè à medio (plebeio) geruntur ordine, monachis omninò interdicuntur (vt connubium, proprietas) qui vnum ipſum ambire debent, & ad ſacram monadem (ſeu vnitatem diuinam) cogi ac colligi, quin & ad ſacerdotalem (quantùm fas eſt) vitam formari, vt in plurimis monaſticæ cōgruā

Monachorū præſtantia.

ac similē. Nullus quippè ex ordinibus reliquis (initiandis) sacerdotali magis propinquat, quã monachus. Hîc clarissimè monasticum ordinē vt plebeio superiorem, ita sacerdotali inferiorem facit, & proinde ita paulò antè intelligendus D. Bernardus, qui pro sua modestia oues pastoribus nunquàm prætulisset aut æquasset, de statibus loquor, non de personis. Quo minus audiendi sunt, si qui religionis sic ad se nomen contrahũt, & se vnos ita religiosos appellant, vt sacerdotes, hoc est, Christi Apostolorúmque eius & discipulorum successores, hoc esse negent, sed seculares atque mundanos, in vno enim significatu mundum & seculum indifferenter & passim vertit interpres, in epistolis præsertim Apostolicis. De quo vocum abusu non sine querimonia nec immeritò monuit Ecclesiastes Erasmicus, lib. 3. Proinde cùm quę scriptura præcipit de morte spirituali, abnegando mundo, mortificãdis secularibus desideriis, ad omnes Christianos pertineant, ad communem omnibus Christianis renunciationem redeo, ex Hieronymo, vnde cœpit hæc de monachis parecbasis, præcipuam ecbasim repetens. Sic autem habet ad id Psal. 118. Vidi non seruãtes pactum (iuxta aliam literam) pactum fuit Israëli cum Deo per Moysem, Omnia quæcunque dixerit Dominus, faciemus, Exod. 24. Sed & nũc nos paciscimur in baptismo, vt abrenunciemus diabolo & angelis eius, pro trãsgressoribus ergò huius pacti, propheta tabescit, Apo-

Sacerdotalis ordinis dignitas.

Religiosi qui sint intelligendi.

Mundus & seculum, idē.

ſtolus dicit, Quis vritur, & ego non vror? 2. Cor.11. Idem, Matth.5. admonet quoſdam coactius licet diſſerere, in baptiſmate ſingulos pactum cũ diabolo inire, & dicere, Renuncio tibi diabole, pompæ tuæ, vitiis tuis, mundo tuo, qui in maligno poſitus eſt, 1. Ioan.5. Hoc ergò ſi pactũ ſeruauerimus, beneuoli ſcilicet, ac conſentiẽtes ſumus *aduerſario noſtro*, & nequaquam in carcere recludendi. Sin quicquam trãſgreſſi fuerimus eorũ quæ diabolo ſpoponderamus, trademur iudici, mittemur in carcerẽ, &c. Et ex eiuſdẽ & Primaſij, & aliorũ ſcholiis, 1. Tim.6. expoſuimus illud Pauli, *bonam confeſsionẽ*, in baptiſmo, abrenunciando ſeculo & pompis eius, *coram multis teſtibus*, ſacerdotibus atq; miniſtris, virtutibúſq; cæleſtibus & diuinis. Et ſi eius eſt volumen de vera Circuncisione, veniamus ad abrenunciationem illã, qua in ipſis fidei noſtrę cunabulis dicimus nos abrenunciare mũdo & pompis eius, ex quo iuxta carnẽ noſtra natura eſt, quoniam quicquid eſt in mundo, concupiſcentia eſt carnis, oculorum, & ambitio ſeculi, 1. Ioan.2. &c. Superior autem coacta expoſitio Origenis eſt, Homil.12. in Numer. cap.21. more ſuo allegoricè ſcripturam tractantis. Quo enim loco Iſraëlitæ miſerunt ad Regem Seon, promittentes ſe non habitaturos in terra eius, nec cum eo moraturos, nec in eius agrum aut vineam declinaturos, aut de lacu eius aquam bibituros. Videamus (ait) quando hæc promiſimus, aut hæc verba diabolo

Pactum cum diabolo inire

denunciauimus. Recordetur vnusquisque fidelium, cùm primùm venit ad aquas baptismi, cũ signacula fidei prima suscepit, & ad fontem salutis accessit, quibus ibi tũc vsus sit verbis, quid diabolo denũciarit, non se vsurum pompis aut operibus eius, non vllis omnino seruitiis, aut voluptatibus pariturum, non vltrà disciplinæ diabolicæ, magicæ, aut vlli⁹ omnino doctrinæ, quæ cõtra Dei pietatem doceat, poculum sumpturum, nec ad opera aut sensus diabolicos declinaturum. Homil. 26. in Iosue 22. Quid nobis prodest exisse de Ægypto, & ei⁹ nobiscum opprobria in eremo circũferre? hoc est, Quid nos iuuat in baptismo seculo renũciasse, & morum nostrorum sordes pristinas, ac carnaliũ vitiorũ immunditias retinere? Homil. 4. in Iudic. 4. Postquàm seculo renunciasti, & iis quæ in seculo sunt, noli retrò aspicere, aut quæ propter Christũ vt stercora duxeras, requirere. Homil. 2. in Psal. 38. sic diabolum inducit relapsis inter cætera exprobrantem, Ecce qui mihi & operibus meis renũciauit in baptismo, meis rursum operibus se inseruit, legibus paruit. Nec multò post Origenem Arnobius in Psal. 23. ad id, [*Nec iurauit in dolo proximo suo.*] Quia per baptismatis donum proximus homini efficitur Spiritus sanctus, per hunc autem promisit se renunciare diabolo & omnibus operibus eius. Iurare ergò, est ius constituere, quo renunciata abstinẽtur, & promissa seruantur. In 49. Reddas mihi votũ, quod in baptismate positus deuouisti,

Ægypti opprobria circumferre.

Spiritus sanctus homini per baptismũ proximus efficitur.

quo te renunciaturum diabolo spopondisti, & mea promisisti seruaturum te esse mādata. Eadem in 55. Tunc vota tua reddes Domino, quę in baptismo positus promisisti, Renunciare te diabolo, & omnibus pompis & criminibus eius. Sic in 64. Decebit Siō animam esse, si reddiderit vota in Hierusalē, si quod votum Deo fecit, se renūciaturam diabolo & pompis eius, impleuerit. Sic in 75. Omnes iusti memores esse debent quid & cui vouerint, Nam in baptismatis consecratione vouerūt seipsos Deo tradere, & omnibus operibus diaboli renunciare. Hoc reddite Domino Deo vestro, ante oculos hoc habentes, quia etiam principū auferet spiritus, cùm à voto discedunt. Idem obseruare est in confessione Constantini Magni, fiebant enim & ab Imperatoribus confessiones, & maiore quidem apparatu, vt quò longius emanarent, hoc plures fidei nomen dare non dubitarent, quam vidissent principem amplexum, & quia in aliis tales ferè sumus, quales eos videmus esse qui præsūt, fecit hæc quoque Regum de fide professio vulgo animum, vt eis esse quā simillimi vellent, impunitate præsertim data, & præeunte principe. Ita passim in antiquis bibliothecis videri constitutiones Iustiniani, Caroli Magni, Friderici, admonet Constantinianę Scholiastes Sichardus, quibus tanquam signo dato ad Christianismū vocarentur, quibus hoc per principum alioqui tyrannidē non satis tutò anteà licebat. Sic igitur Constantinus de sui

Confessiones fidei à principibus fieri solita.

conuersione ac baptismo, Deinde per manus impositionem clericorum vsque ad præsulem veni, ibíque abrenunciās Satanæ pompis, & operibus ei⁹, & vniuersis idolis manu factis, credere in Deum, &c. spontanea voluntate coram omni populo professus sum. Cuius contemporaneus noster Hilari⁹ in Psal. 67. A facie patris orphanorum fugient, non relinquentes eos orphanos, qui agnoscētes patrem in cælis, diabolo patri renunciauerint. In 118. litera Heth. Portio mea Dominus, dixi vt custodiam legē tuā. Rarus quisque, cui hæc fiducia sit, vt portionē suam esse Deum audeat dicere. Renunciādum est seculo, omnibúsq; rebus eius, vt nobis Deus portio sit. Qui autem hîc sic seculum, clarius quàm vlli suprà, explicat, Cæterùm (inquiens) si nos ambitio detineat, cura pecuniæ occupet, libidinum captent illecebræ, negotia rerum familiarium demorentur, portio nobis Deus nō erit, secularium rerum & vitiorum possessione detentis. Et ad literam Nun, Seculo renunciasti, quid tibi cum seculi rebus? quid quereris captus in seculo? quid iniuriam laquei in regione non tua? Nec enim iniustè cæli volucribus in possessione terrenæ habitationis retia tenduntur, auis effectus es, cur non in naturæ tuæ elemento moraris? in cælestem scientiam homo eruditus est, quid tibi cum terrenis operibus & gestis? Et hoc paulò posterior Basilius in fine exhortationis ad baptismum, Non solùm mundo & concupiscentiis eius, sed & communibus

Seculum quid sit.

mutuísque officiis, iustis alioqui & licitis, ad hæc & vitæ propriæ renunciauimus, si quid eorum à debita Deo obedientia properanda nos retrahat, sic demùm futuri discipuli Christo digni.' Est apud eundem locus tam similis primo superiorum Tertulliani locorũ, vt inde videri possit mutuò sumptus, si tamen Græcus hic præter Græcorum morem Latina attigit, nam eius collega Nazanzenus agnoscit se Romanæ linguæ expertem, Epistola 68. Sic autē habet libro de Spiritu sancto, cap. 11. præuaricatores esse qui hunc negant, & fidem abnegasse, ac professionem irritam fecisse. Quid enim & quando professi sunt? Professi sunt se credere in patrem & filium & spiritum sanctũ, cùm renunciantes diabolo & angelis eius, salutiferam illam vocem ediderunt. Et cap. 27. De Ecclesiæ traditionibus non scriptis, post aliquã multas huiusmodi, Reliqua item quæ fiunt in baptismo, veluti renunciare Satanæ & angelis eius, ex qua scriptura habemus, aut informamur? nōnè ex priuata & arcana hac traditione? &c. Citat Gratianus, Dist. 11. ca. Ecclesiasticarũ. Augustini titulo ex dictis Basilij, qui liber inter Augustinianos, quod equidem viderim, nō extat. Rhenanus Tertulliani Scholiastes indicauit antè à Burghardo Vormatiensi citatum, lib. 5. quem de vniuersali Ecclesia inscripsit, cap. 227. Sed ne hoc quidem occurrit in decretorum libris eius nomine non ita nuper impressis. Sic Basilij frater Nyssenus in vita Moseos,

Nazanzen' Romanæ lingua expers.

Baptismi cæremonia vnde.

enarrãs Iudæos Ægypto egreſſos,& rubro mari elapſos,repertam aquam amaritudine nimia nequaquam potabilem, ligno à Moſe in eam immiſſo in dulcedinem conuertiſſe, Exod.15. huic (ait) hiſtoriæ res ipſa quam ſpiritualibus accidere Iudæis videmus,optimè congruit,Nã qui voluptatibus in baptiſmo renunciauit,quibus in priore vita ſeruiebat,amarum Chriſti iugum ei primò videtur, ſed reſurrectionis myſterium, quod per lignum, per crucem videlicet,in qua Chriſtus mortuus eſt, creditum & toto corde admiſſum,ſuauiorem Chriſtiani vitã reddit, omnibus quæ dulcedine ſenſum perfundunt,ſpe futurorum iucundiſſimè conditã. Eandem allegoriam ſequens Ambroſius, Hexæmeron,lib.1.cap.4.Deſerit qui abluitur, intelligibilem Pharaonem mundi principem, dicens,Abrenũcio tibi diabole,angelis,operibus & imperiis tuis,nec iam ſeruiet ei, vel terrenis huius corporis paſſionibus,vel deprauatæ mẽtis erroribus, &c. Libro, de his qui initiantur myſteriis,& de Sacramentis,1.cap.2.Ingreſſus es regenerationis ſacrarium,repete quid interrogatus ſis,recognoſce quid reſponderis.Renũciaſti diabolo & operibus eius,mundo & luxuriæ eius ac voluptatibus, tenetur vox tua in libro viuentium,pręſentibus angelis locutus es, hoc eſt,ſacris miniſtris,non eſt fallere,non eſt negare. Ingreſſus igitur, vt aduerſarium tuum cerneres, cui mox renunciandum putares, ad orientem conuerteris,qui enim renunciat diabolo,

Aqua amaritudo in dulcedinem per lignum conuersa allegoria.

bolo, ad Christum conuertitur, eum directo cernit obtutu. Et, Venimus ad fontem, ingressus es, considera quos videris, quid locutus es, repete diligenter: Quando interrogauit te presbyter, Abrenuncias diabolo & operibus eius, quid respondisti? *Abrenuncio*, Abrenuncias seculo & voluptatibus eius? *Abrenuntio*, Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis, vbi vel quibus promiseris cõsidera. Ergò abrenunciasti mũdo, abrenunciasti seculo, esto solicitus, &c. Et circiter finem lib. 9. Commẽtariorum in Lucam, Non potest esse quis Domini, nisi prius mundo renunciauerit, Omnes quidem verbis renunciamus, nõ omnes affectu. Nam cùm sacramenta suscipimus, renunciamus. Quàm grauia vincula, promittere Deo, non soluere, vouere, non reddere, Eccles. 5. maior fidei quàm pecuniæ contractus. Et ad id Col. 2. Consepulti Christo in baptismo. Et, Si mortui estis cum Christo ab elementis huius mundi, Illic (ait) in baptismate homo elementis abrenunciat, vt Christo socie tur. Commonet igitur vt perseuerent in abrenunciatione pompæ & præstigiis Satanæ. Omnis qui baptizatur in Christo, moritur mundo, cunctis enim superstitionum erroribus abrenunciat, vt solam Christi fidem colat. Nec ita post Ambrosium Chrysostomus, Homil. 1. ad Ephesios, Quid (ait) gratius possit esse verbis, quibus renũciamus diabolo, & Christi militiæ accenturiamur? quid eâ quæ lauacri regenera-

Contract*us* fidei.

tionem præit, professione elegantius? Hom. 6. ad Coloss. Videte ne isto quoque damnemur, posteaquam diximus, Renũciamus Satanæ, & coniũgimur tibi Christe. Et paulò pòst, inter Christiani baptismi ritus, esse serpentem (inquit) audias, mox docet, vt dicas, Renuncio tibi, vt idem sit ac si dicas, non audiam te. Ad hęc ne per alios quoque te capiat, inquis, Et pompæ tuæ, & seruituti tuæ, & angelis tuis. Omniũ verò sæpissimè cęremoniam hanc inculcat D. Augustinus, cuius locos, quò facilius inueniantur, digeram iuxta Tomorum seriem: In 1. de Quantitate animæ cap. 3. Bene præcipitur in mysteriis, vt vniuerso huic mundo renunciet, qui, vt videmus, corporeus est, quisquis se talẽ reddi desiderat, qualis à Deo fact' est, similem Deo, non enim alia salus animæ, aut renouatio aut reconciliatio autori suo. De moribus Ecclesiæ catholicæ, cap. vlt. Ablutos & sanctificatos non nisi fideles, & eos qui huic mundo renunciauerint, Paulo intelligi, 1. Cor. 6. 7. qui mundo vtuntur, tanquam non vtantur, quod tũ iam probatum, cùm ad idolorum cultum cogebantur; Quot enim tũc pecuniosi homines, patres familiàs, Rusticani, negotiatores, milites, primates, Senatores, vtriusque sexus hæc omnia vana relinquentes, quibus vtique quamuis vterentur, non detinebantur, mortem pro salubri fide ac religione subeuntes, demonstrauerunt infidelibus à se potius illa omnia, quàm se ab eis possideri? In 11. Epist. 89. quæst. 4. Hac (re-

Cæremoniarum baptismaliũ indicia.

linquendi omnia) lege & conditione, non ij tantùm qui mentis excellentia gloriosissimæ perfectionis consilium receperunt, vt vendita sua pauperibus distribuerent, & humeris ab omni seculi hui⁹ sarcina liberioribus, leuē Christi sarcinam ferrent, sed etiam quisquis infirmior, & huic consilio minus idoneus, meminit tamen se veraciter esse Christianum, cùm audierit sibi proponi, quòd nisi hæc omnia dimiserit, dimissur⁹ est Christum: Eo autem animo ad fidem accessit, vt huic seculo, & sine dubio omnibus quæ sunt eius, renunciaret, vt Christi discipulus esse posset, ac proinde diuitiis suis, aut sic, vt eas omninò non diligens, totas distribuat indigentibus, aut sic, vt pius Christum diligens, non speret in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, & spem ab eis in hunc transferat, & ita illis vtatur, vt facilè tribuens, & communicans, in cælo thesaurizet, 1. Tim. 6. Oportet hic, inquàm, paratus sit, vt parentes, fratres, filios, vxorem, sic & opes relinquere, si talis conditio proponatur, vt eas nisi dimisso Christo habere non possit. Nam si aliter huic seculo renunciat, quando accedit ad fidei sacramentum, verbis solis renunciat, & non factis. Epistola 105. Circumstipantur (Pelagiani) & diuinarum autoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate paruulorum, vbi apertissimè demonstrātur infantes, cū ij per eos à quibus gestantur, renunciare

Diuitiis renunciādū.

Infantū baptismus, & pro eis sponsores.

respondēt, à diaboli dominatione liberantur. Et 107. inter XII. sententias Catholicorum contra eosdem hæreticos, hæc est VIII. *Scimus etiam paruulos secundum ea quæ per corpus gesserunt, recepturos vel bonum vel malum. Gesserunt autem non per seipsos, sed per eos, quibus pro illis respondentibus, & renunciare diabolo, & credere in Deum dicuntur.* In III. de Agone Christiano, cap. 1. 6. *Mittitur princeps mundi foras, Ioan. 12. quando ex toto corde huic mundo renunciatur, diaboloque, & corruptelis, pompis, & angelis eius.* In IIII. iam citatum est ex libro de fid. & operibus. De salutaribus documentis, cap. 52. *In sacramento baptismi nostri iurauimus abrenunciare diabolo, pompis eius, omnibus peccatis.* In VI. cap. 3. & 4. concionis ad Catechumenos, *Renunciemus dánosæ & pessimæ huic hæreditati, in qua sunt panni diaboli, pompæ scilicet, & angelis eius, &c. Hæc est vox omnium sanctorum veri iudicis consiliariorum, generi humano vt pupillo quasi iurisperitorum patrocinātium, Quod fecimus, faciat. Quid obsecro facturus est? Renūciet diabolo, & pompis, & angelis eius. En hæreditas damnosa, cui renunciare compellimur. Vigilet quisq; ne non ex toto renuncians post professionem, recitari eius verba audiat, & aduersarium in conspectu iudicis ita exultantem, Post renunciationē quid inuasit pannos meos? quid apud eum impudicitia, ira, auaritia, superbia, quid cætera mea, quibus renunciauerat, fa-*

Renunciatio quarum rerū facienda sit.

ciebant? Denique fugientem à te ad me, cum meis, quibus renunciauerat, apprehendi, &c. Idem tractatus est popularis, siue sermo 4. de Tempore 1. in vigilia Natalis Domini, tom. x. In VII. & antè indicatum est inter Cyprianica, contra Donatistas. In VIII. super Psal. 80. ad id, Inimici mentiti sunt ei. Renuncias? Renuncio. Et redit ad quod renũciatur. Vtique quibus rebus renũcias, nisi factis malis, diabolicis, à Deo damnatis, furtis, rapinis, periuriis, homicidiis, adulteriis, sacrilegiis, sacris abominãdis, curiositatibus? His omnibus renuncias, & rursus his inflexus superaris? In IX. frequenter de Symbolo ad Catechumenos, lib. 2. cap. 1. 2. 3. Hoc audistis, hoc & vos professi estis, renunciare vos diabolo, pompis, & angelis eius. Hanc professionem vestram in curiam profertis angelicã, Optimi iam Dei tyrones, fortes Christi milites, dum arma sacramentorum suscipitis, pugnam aduersus diabolum indicitis, dum eius operibus renunciatis, vehementius in vos eius furias prouocatis. Lib. 3. cap. 1. 2. Pompæ diaboli sunt illicita quæque desideria, carnis, oculorum, seculi, quæ turpant animam, nõ exornãt, postquàm autem renunciando diabolo excludit pessimum inuasorem, introducat optimum possessorem, Credat in D. Patrem, &c. Lib. 4. cap. 1. Diabolo renunciare professi estis, in qua professione non hominibus, sed Deo & Angelis eius conscribentibus dixistis, Renuncio. Renunciare autem decet non solùm vocibus, so-

Pompa diaboli, qua.

no linguæ, aut sonantibus labiis, sed moribus, actu vitæ, & operibus pronunciantibus. De rectitudine catholicæ conuersationis, Memento te quale tunc pactum cum Deo fecistis, cùm renunciare vos diabolo & omnibus eius operibus in baptismo promisistis, qui quidẽ potuit, per se, pro se huic respondit; qui non potuit, fideiussor pro eo ad eius vicem promisit, qui de sacro fonte suscepit. Requirite apud vosmetipsos, si post promissionem opera maligni, cui renunciastis, secuti estis. Abrenunciastis diabolo, & omnibus pompis & operibus eius, id est, dolis, sortibus, auguriis, furtis, fraudibus, fornicationibus, ebrietatibus, mendaciis. Hæc sunt vera opera & pompæ eius.

Hactenus de operum malorum quidem fuga, bonorum autem cura. Sequitur de recta intentione, & de bonorum & malorum, vt etiam profani loquuntur, finibus. Sunt autem duo: Prior animæ post cuiusque mortem separatæ, beatitudo, quem philosophi vidisse magis putauerunt, quàm viderũt: Posterior, corporis resuscitati, siue totius hominis in anima & corpore resurrecturi, gloria; de qua infideles vix ac ne vix quidem somniarunt. Vterque contra eos qui hominis finem in actu virtutis hac in vita ponunt. Sunt autem hominis, vt mercenarij, dies, Iob. 7. 14. & si in hac tantùm vita speramus, miserrimi omnium hominum sumus, 1. Cor. 15. Beati autem omnes qui expectant eũ,

Fines bonorũ & malorum.

Esa.30.qui confidunt in eo, Psal.2.& alibi nusquam non. Quanlibet ergò pij, iusti, sobriique simus, adhuc tamen sumus *Expectantes beatam spem*, vel beatificam, siue beatos nos effecturã, vel quod idem est, speratam pro his à nobis æternam beatitudinem, Et in huius enim retributionem ac præmium cum Mose fideles omnes aspiciunt, Hebr.11. & propter eiusdem retributionem cum Dauide cor suum inclinant ad faciendas Domini iustificationes in æternũ, seu vsque in finem, Psal.118. Citat & valde illustrat locum hunc B. Augustinus tractatu 17.in Ioan.quem etiã hîc enarrant Beda, Anselmus, & de Cons.Dist.5.can.Ieiunium (inquiés) magnũ & generale est, abstinere ab iniquitatibus, & illicitis seculi voluptatibus, vt abnegãtes impietatem, & seculares cupiditates, temperãter, iustè, piéque hîc viuamus. Huic perfecto ieiunio mercedem subnectit Apostol.expect.beat. spem illam, &c. In hoc igitur seculo quasi quadragesimam abstinẽtiæ celebramus, cùm bene viuimus, & ab illicitis abstinem'. Sed quia hæc abstinentia sine mercede nõ erit, expectamus beatam illam spem, &c. In illa spe, cũ fuerit de spe facta res, accepturi mercedem, interim spe salui facti, Rom.8. Nos ergò in præsẽti vita retributionem ne quæramus, sed hãc à malis abstinentiam obseruantes, & in bonis nos operibus exercentes, vt solliciti, sic certi expectemus æternam beatitatem, *Et aduentum*, quẽ vt impietas reformidat, ita pietas de sua erga Deũ fide

Ieiuniũ magnum & generale.

& opere secura præstolatur & expectat. Et vos (inquit) similes hominibus expectantibus Dominum suum, quãdo reuertatur, Luc. 12. qui diligunt aduentum eius, 2. Tim. 4. vbi quia dixi Digress. 24. de hoc hominum Domini aduentum expectantium discrimine, hîc tantùm & appositè quidem addiderim, quod Augustinus ad finem, Psal. 97. Venturo fortè iudice homine, cui non potest patere conscientia, contremiscunt homines etiam innocẽtes, si ab eo vel expectant præmium laudis, vel timent pœnam damnationis: quando veniet qui falli non potest, securi mites gaudeant, illuminabuntur ab eo, non damnabuntur, sed iniqui cõtremiscãt. At si iusti gaudent, iniqui tremiscunt, Ecce nõdum venit, quid opus est vt tremant? Corrigantur & gaudeant, In potestate tua est quomodo expectes venturum Christum. Ideò venire differt, vt cùm venerit, non te damnet. Ecce nondùm venit, in cælo est, tu in terra, aduentũ differt, tu consilium noli differre. Aduentus durus est duris, mitis piis. Vide modò qui sis: si durus, licet tibi mitescere: si mitis, gaude venturum. Christianus enim es. ita, inquis, Credo quòd oras, & dicis, Adueniat regnum tuum. Optas, vt veniat quem times: ne veniat, corrige te, vt non ores contra te. Expectantes ergò ἐπιφάνειαν apparitionem, siue, quod August. vbi paulò ante in Ioan. reuelationẽ, manifestationẽ habet glossa interlinearis, siue, quod aliàs vertit noster interpres, illustrationẽ, 2. Thess. 2. Aduẽtũ

Aduentum suum cur differat Christ⁹

ergo non qualemcunque, sed cum splendore, veluti cùm sol emergit, ac proinde, *gloriæ*, siue gloriosum. Est autem vulgaris idiotismus, cuius etiam nobis spem dedit, in quo magna se præmia, magnos bonorum operum fructus daturū pollicitus est, quando qui prius in humilitate, vt nos erudiret, apparuit, cum gloria, vt mundū iudicet, apparebit. Duorum hîc Christi aduentuum mentionē Græci Latinique faciūt, Chrysostomus homil. 58. in Matth. ex hoc textu, Diuinę, ait, scripturę duos aduentus Christi testātur, quorum alter iam factus est, quod significauit Paulus dicens, Apparuit gratia Dei, &c. & alterum significans, subiunxit, Expectātes apparitionem magni Dei, &c. Prior in infirmitate ac subiectione gratiam habuit, & remissionem, seu peccatorum veniam, mitis, humilis, abiectus. Posterior, suam pro cuiusque meritis retributionem, maiestate ac gloria plenus, Cū (inquit) venerit filius hominis cum virtute & potestate magna, in gloria & maiestate sua, patris, & angelorum, in & super sedem maiestatis suæ, Matt. 16. 19. 24. 25. Marc. 8. 13. Luc. 9. 21. Cùm autem Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos cum ipso apparebitis in gloria, Col. 3. Iustum quippè est apud Deum, iis qui tribulant, tribulationem: iis qui tribulantur, requiem retribui: In reuelatione Domini Iesu de cælis cum angelis virtutis eius: in flamma ignis dantis vindictam iis qui Deum non nouerunt, & Christi Euangelio non obediunt, qui pœ-

nas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis eius, cùm venerit glorificari in sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt. 2. Thess. 1. Ecce (ait Pater de vtroque filii aduentu, apud Prophetam tot antè annorum centenariis) ecce seruus meus intelliget, exaltabitur, eleuabitur, sublimis erit valde, sicut obstupuerunt super te multi: Sic erit inglorius, siue deformior est, inter viros (præ cæteris viris) aspectus eius, & forma eius inter filios hominum, Esa. 52. Sed huius aduetus, hoc est, iudicij nouissimi hypotyposim quā amplissimam dedimus. Digress. 2. in 11. ad Tim. & de eodem (speramus) siquidem Deus dederit, Aduentualium concionum primam ex nostris futuram. Ad literam interim redeo, Expectamus ergo illustrem illum aduentū *magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi*, Sic enim tum omnibus innotescet Christi non tantùm diuinitas, sed etiam deitas, cōtra veteres & nouos Arrianos, qui ex Deo Christo diuinū hominē faciunt, vt qui ad illum vsque diem nunquā confessi sunt eum esse Deum, tūc in iudicio velint nolint cōfitebuntur Deum esse, & magnum quidem, verum, benedictū, & super omnia benedictū Deū, 1. Ioan. 5. Rom. 9. & cū Thoma Apostolo dicant ac exclamēt, Dominus meus & deus me', Ioan. 20. Ecquis enim ille Deus, qui acquisiuit Ecclesiam sanguine suo? Act. 20. qui animā suā pro nobis posuit, 1. Ioā. 3. nisi IESVS CHRISTVS? Et hæc enim nomina cùm verbi sint in-

Diuinus homo ex Christo & Deo.

carnati,& articulus græc⁹ magno Deo præmiſſus, τοῦ μεγάλου θεοῦ,& in Saluatore noſtro omiſſus, cùm legatur, καὶ σωτῆρος, non καὶ τοῦ σωτῆρος, cogunt coniunctim accipere,nō diuiſim,& ad vnum idémque ſubiectum,hoc eſt,vnam eamdémque Chriſti perſonam,non ad duas diſtinctas perſonas totidem prædicata referre. Et nomen ἐπιφανείας,nuſquam niſi filio in nouo teſtamēto tribuitur. De aduentu item ad iudiciū loquitur,de quo filius dicit. Pater nō iudicat quē quam,ſed omne iudiciū dedit filio,Ioā.5. Accedit magnus ac vt vniuerſalis propemodùm cōſenſus veterum Orthodoxorum aduerſus Arrianos & Eunomianos ex hoc loco vti aperto triumphantium,Vbi eſt (ait) ſerpēs Arrius?vbi Eunomius coluber?Magnus Deus Saluator dicitur,non primogenitus omnis creaturæ, non verbum Dei & ſapientia,ſed IESVS CHRISTVS, quæ vocabula aſſumpti hominis ſunt. Non quod alium Ieſum Chriſtum, alium verbum dicimus,vt noua hæreſis calumniatur,ſed eundem & ante & poſt ſecula,& ante mundū, & poſt Mariam,imò ex Maria,magnum Deum appellamus Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum. Proinde alterius eſt Scholion,quod in cōmentariolis qui eius titulo circunferūtur, magnum Deum Spiritum ſanctum interpretatur, fortaſſe locum captans, in quo Spiritusſanctus manifeſtè Deus diceretur. Primaſius quoque, Magnum Deum Chriſtum dixit Apoſtolus,de quo dixerat Angelus,Hic erit magnus, Luc. 1.

Epiphaniæ nomen in nouo teſtamēto non niſi filio tribuitur

Magn⁹ De⁹.

Ieſus Chriſtus, vocabula aſſumpti hominis.

Sic etiam Anselmus, Cognoscetur magnus Deus, qui in priore aduētu visus est paruus homo, & qui magnus Deus reprobis sentietur, nobis saluator esse dignabitur, vt sit hic ordo & sensus, Expectemus aduētum gloriæ Iesu Christi magni Dei & Saluatoris nostri. Nec verò aliter Græci, Sic nimirùm, Vbinā gentium impij sunt, qui filiū vel Deū dicere non sustinent, aut patre minorē dicūt? Audiāt Apostolum hęreticā hāc blasphemiā redarguētem. Nā hoc loco apertè Deū, & magnū Deū profitetur, magnū inquā, nō relatiuè, quasi ad aliquē paruū aut inferiorē Deum, Nec enim, magnus, de Deo ad aliquid dicitur, Nam sic per comparationem, non per naturam magnus esset, sed absolutè, omninò, incomparabiliter magnū, qui natura & per sese magnus sit, Cui ęqualis, quoque maior nemo possit intelligi. Et adhuc alibi idem Chrysostomus, homil. 6. ad Philip. 2. (repetam autem paulò altius) Quemadmodum & Ioannes ostendit Christum nihil esse patre minorē æqualem se facientem Deo, cap. 5. ita Paulus rapinam non arbitratum, æqualem esse Deo. Dixit enim, Cū in forma Dei esset, non rapuit vt æqualis esset Deo. Atqui si Deus esset, quomodò rapere necesse habuisset? Quomodò nō insensatè hoc carpitur? Quis enim dixerit, qui cū homo esset, rapuit vt homo esset? Quo enim modo quisquā rapiet id quod alioqui est? Non (inquiunt Ariani) sed quòd cùm inferior Deus esset, nō rapuit vt magno & maiori Deo æqua-

lis esset. Estnè modicùs & magnus Deus? Itanè ethnica in Ecclesiā dogmata inducitis? & paru⁹ enim & magnus eis Deus est, si verò & apud nos, hactenus ignoraui, Nam in scripturis magnum vbique Deum, paruum nusquam inuenies. Si enim paruus, quomodò & Deus? Si nō est homo natura paruus & magnus, & si quid eius vnius naturæ non fuerit, homo non est, quonammodo erit Deus paruus & magnus? Qui non naturæ eius est, Deus non est. Vbique enim scripturarum dicitur, Magnus Dominus, & laudabilis valde, Psal. 47. Ecce & de filio, nā cum vbique Dominum vocat, Magnús (inquit) es tu, & faciēs mirabilia. 85. & iterum. Magnus Dominus noster, & magna virtus eius. 46. Sed filius (inquit) paruus est. Sed tu hoc dicis, nam scriptura contrarium, Sicut de Patre ita & de filio loquitur. Audi namque quid Paulus dicat, Expectantes (inquit) b. s. & apparitionem gloriæ magni Dei. At nunquid de Patre si loqueretur, apparitionem dixisset? Vt verò & vos magis argueret, ad apparitionem adiecit, magni Dei. Num igitur de patre dictum est? Nequaquam. Subiunctio enim illa non admittit, quæ dicit, Et apparitionem magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Ecce & filius magnus est. Quo ergo modo magnum & paruum dicis? qui magni consilij Angelus est, Esa. 9. magnus non est? qui fortis Deus & potens est, Psal. 23. non magnus, sed paruus est? quid ergo impudentes & improbi dicemus Deum esse paruum? Hæc ibi.

Paru⁹ Deus nusquam legitur.

Et homil.42. editionis 2. in Matthæũ. cap.22. Primum mandatum magnum est, Deum patrẽ diligere, secundum est simile, Dei filium diligere ac cognoscere. Dei ergo Filius magnus est, sicut Pater, quicquid enim Pater potest, filius potest. Pater enim diligit filium, & omnia dedit in manu eius, Ioan. 3. Sed quia omnia filius dã te Patre potest, ideò pater magn⁹, Deus, & primus: Filius autem, magnus quidem Deus, non tamen primus, sicut Apostolus, Expectantes (ait) aduentum magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Vt hic quoque ex hoc Pauli loco vrget Christum Deum esse, & Deum magnũ; quãquàm cũ sic vnum trinúmque Deum credamus, vt primum dicere non soleamus: quod Patrem sic Deum primum ait, vt & Christum primum esse Deũ neget, inter eius libri offendicula, quæ arguunt incertum, vt & interim citatur, autorem, non Chrysostomum, etiamsi & huius nomine eadem legitur homilia penultima ex 27. variis in Matthæum locis. Hunc ergo Pauli locum cùm Græci Latinique veteres sic acceperint, non erat cur vnus Erasmus vnũ sequens Ambrosiũ, secus acciperet, & tam pertẽni torrenti, tanto inquàm, patrum catholicorũ consensui, tam alieno loco atque tempore sese opponeret, quasi non vtrunque, Dei & Saluatoris, ad Christũ pertinet: Sic autem habet Ambrosius, hãc esse dicit beatã spẽ credentiũ, quia expectãt aduentũ gloriæ magni Dei, quod reuelari habet iudice Christo, in quo Dei patris

Filius Dei magnus De⁹ est sicut Pater.

Erasmus taxatus.

videbitur poteſtas & gloria, vt fidei ſuę pręmiũ conſequatur. Hic certè diuiſum accipere, & prius ad Patrẽ, poſterius ad Chriſtũ referre videtur. Et ne non huius contradictionis ſuffragatorẽ Eraſmus haberet, Caietanus, quanquã aliter, negat Dei hîc nomen ad aliquam perſonam reſtringẽdum (puta ad Patrem, filium, vel Spiritumſanctum) ſed vt in reliquis ſcripturæ locis, vel abſolutè poſitum, vel cum terminis ſeu attributis eſſentialibus (cuiuſmodi ſunt magnus, potens, fortis, bonus, miſericors, ſapiens, &c.) intelligitur indiuiduum deitatis, hoc eſt, Deus, ſic & in præſenti loco ſignificatur DEVS communis Patri, Filio, & Spirituiſancto. Et ſimul, inquit, erit apparitio magnitudinis Dei, & gloriæ hominis Ieſu Chriſti, quatenus ſaluator noſter eſt, Et ad illam enim vſque horam nimium multis vertetur in dubiũ; tum Dei magnitudo, quòd ſit in omnibus, & ſuprà & per omnia magnus, tum Chriſti, ſiue per Chriſtũ ſalus, an is ſit ſaluator noſter, tunc autẽ vtrunque omnibus apparebit ac manifeſtum erit: At non ſic veteres, inter quos Idacius Clarus contra Varimandum Arrianum, qui quo paragrapho agit de cõmuni magnitudine Trinitatis, Magnus (ait) pater, magnus Filius, magnus Spiritusſanctus, de Patre quidem & Spiritu ſancto aliunde probat, De Filio hoc ad Titũ loco vtitur. Eodem vtitur ita Cyrillus de Recta fide ad Reginas, Ipſius ex cælis apparitionem glorioſam expectamus, & ipſe eſt magnus *Idacius Clarus.*

Deus & ſaluator noſter Ieſus Chriſtus. Quis dicit non eſſe verum Deum Emanuelem, cùm B. Paulus de illo dicat, magni Dei & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti? Eodem vtitur Aquinas contra Arium, qui dixit filium non æqualem Patri. Equidem vt perlibéter agnoſco per quos profecerim, nolim hos Arianiſmi reos peragédos ſuſcipere, ſed non poſſum non tum ægrè ferre, tum etiam improbare, non maluiſſe eos in hoc & ſimilibus locis priſcorum Orthodoxorum contra veteres Arianos victorię participes eſſe, quàm aliter exponentes, nouis Arianis, quos & quidem nimium multos ſub Chriſtianorũ nomine latitare neuter ignorabat, in errore malè ſemel concepto peius pergendi anſam ſuggerere, hoc eſt nimirùm ciſternam, ſiue foueam, in quam ſimplices incidant, fodere ac aperire, quod lex vetat Exod. 21. vel potius ab aliis olim iam obrutam & obductam rurſus aperire. Quid igitur hîc Eraſmus? Sermonem hunc planè ancipitem eſſe. Cur non ergo dubia in fauorem religionis potius cõuertis? Imò (ait) magis pro illis facere videtur, quàm pro nobis. Etiamnè in articulo tam capitali? Cohorrui legés, horreſco referens, Et quibus quęſo, ita videtur? vni omnium, quos equidem viderim, Eraſmo, non etiam Ambroſio, Abſit, ac ne Caietano quidem. Addit ex loco prorſus ancipiti, & ex æquo ad vtrumlibet ſenſum pertinente, contra hæreticum nihil agi. Atqui locum hunc è contrario pro Chriſti diuinitate apertum

Ariani noui

apertum tot anteà Græcis & Latinis videri dicique probauimus. Et vninè cõtra tam alioqui multos adhærere? Postremò (ait) Ariani quidã & hunc locum accipiunt de Filio, nec tamen credunt, quod credimus, magnum enim Deum fatentur, verum negant, & hæc est illorum impietas. Citasset illos Arianos. nihil enĩ ab Ario scriptum extare vel ipse testis Erasmus, qui alicubi extare nimisquam sanè curiosè desiderat. Sed qui eodem cum Ario seculo scripsit Chrysostomus, hic quoque Erasmo contradicit, & Christum ab Arianis Deum non tantùm non verum, sed nec magnum fictum esse, sic vbi paulò anteà concionatur. Ea (inquiens) refero quæ ipsi sæpenumerò dicunt, vt eò illos magis fugiatis. Cùm paruus esset (inquies) non rapuit, vt æqualis esset magno. Quid enim, dic mihi (sed ne putetis hæc nostra esse verba) si paruus erat, vt ipsi volũt, & multò paterna virtute inferior, quomodò sanè potuisset rapere, vt æqualis esset Deo? Inferior enim natura vtique rapere non poterit vt sit in magna, homo videlicet vt angelo: equus, etiamsi velit, homini iuxta naturam æqualis. Hęc Chrysostomus. Quem suus ibidẽ Theophylactus & Scholia græca ita sequuntur. Maiorem aliquem aut paruum esse. Deum, gentium esse deliramenta, non scripturarum dogmata. Deinde si iuxta vos Arianos, & vestrum sermonem, paruus est, quomodò rapuisset, vt magnus fieret? Nec enim potuisset, etiamsi voluis-

Chrysostom eodem quo Arius seculo scripsit.

ſet. Sequitur in litera operatio diuinæ per Christum gratię, Dominicę .i. paſſionis beneficium, ſecundò fructus eius multiplex, ex iis quę facta ſunt, in memoriam reuocatio, ea quæ ſunt futura, confirmans. Quem (ait) idcirco debemus expectare, & ſalutem ab eo ſperare, quia inter duos aduentus non ſolùm nos erudiuit, ſed etiã *dedit*, nõ aliud pretiũ, ſed *Semetipſum pro nobis*, qui tenebamur à Diabolo captiui, nobis datus, nobis natus, Eſa. 9. 53. oblat⁹ quia voluit, poſuit pro orbe toto, & tradidit in mortem animam ſuã, &, Filius hominis venit animam ſuam dare in redemptionem pro multis, Matt. 20. Marc. 10. &, Qui dedit ſemetipſum pro peccatis noſtris, tradidit ſe pro me, Gal. 1. 2. Eph. 5. pro nobis, pro Eccleſia oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. &, poſuit animam ſuam pro nobis, 1. Ioan. 3. Dedit item pater & tradidit filium, & quidem vnigenitum pro nobis omnibus, Ioan. 3. Rom. 8. Nec verò dubium, quin & eundem Spiritusſanctus dederit & tradiderit. Vnde Act. 2. Petrus ait, Hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum. Tradiderunt quoque Iudas, Iudæi, Pilatus, vt paſſim legitur in Euãgeliis & Actis Apoſtolicis. Datum quoque traditúmque in cœna & cruce Dominicum corpus, Luc. 22. 1. Cor. 11. & calicem ſibi à Patre datum dicit Filius, Ioan. 18. Cur in hac traditione Deus pius, homo reus, niſi in re vna quam fecerunt, cauſa non vna eſt ob quam fecerunt? ait Auguſtinus Epiſtola 48. Et de

Filius à ſeipſo tradit⁹ & datus, & à Patre item, & à Spiritu ſancto.

Chriſtus à quàm multis traditus.

Trinitate lib. 2. cap. 5. Quæro quomodò Pater tradidit, si Filius se tradidit, vtrunque enim legitur. Credo, respondebit, si hæc probè sapit, quia vna est voluntas, & inseparabilis vtriusque operatio, lib. 13. cap. 11. Nec Filius Patre sibi non parcente pro nobis velut inuitus est traditus. Omnia ergo simul & Pater & Filius, & amborum Spiritus pariter & concorditer operantur. Iustificati tamen sumus in Christi sanguine, & reconciliati Deo per mortem filij eius. Ad quam carnis, inquam, vsque mortem, ait idem lib. 4. capite decimotertio, quàm nulla peccati pœna mediatoris spiritus accesserit, demonstrauit, quia non eam inuitus deseruit, sed quia, quando, quomodò voluit. Hinc ait, Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi, nemo tollet eam à me, sed ego eam à me pono, & iterum sumo, Ioan. 10. Et hoc maximè mirati sunt tunc præsentes, sed & Pilatus, cùm post magnum clamorem continuò spiritum tradidit, ac emisit, Matth. 27. Marc. 15. Luc. 23. Ioan. 19. Hoc inquam, miraculo fuit, quòd sic expirauit, quia longa alioqui morte suspensi cruciabantur, quibus vt iam morerentur, & de ligno ante sabbatum tollerentur, crura confracta sunt. Et homil. 7. in 1. Ioan. Traditor est Iudas, traditor ergo & Deus Pater, Absit, inquis. Nó dico, sed Apostolus dicit. Si Pater Filium, Filius seipsum tradidit, Iudas quid fecit? Facta est traditio à

Christi mors spontanea.

Traditio Iudæ, Patris & Filij, quã differãt.

Patre, à Filio, à Iuda. Vna res facta eſt, Sed quę res diſcernit Patrem tradentem Filium, Filium ſeipſum, diſcipulum magiſtum ſuum? quia hoc Pater & Filius in charitate, Iudas fecit in proditione. Videtis non quid faciat homo, ſed quo animo & voluntate faciat, conſiderandum. In eodem facto Patrẽ, in quo Iudam, inuenimus, illum & eius charitatem benedicimus, hunc & eius iniquitatem deteſtamur. Quantùm enim generi humano præſtitum eſt tradito Chriſto, nunquid cogitauit Iudas vt traderet? Deus cogitauit ſalutem noſtram, qua redempti ſumus, Filius pretium quo redempti ſumus, Iudas pretiũ quo Dominũ vẽdidit, & quod, vt venderet, accepit. Diuerſa intẽtio diuerſa facta fecit: cũ ſit vna res, ex diuerſis eam intẽtionibus ſi metiamur, vnum amandum & glorificandum, alterum damnãdum & deteſtandum inuenimus. Idem in Pſal. 65. Si Pater Filium, Filius ſemet tradidit, Iudas quid fecit? Pater Filium, Filius ſe ad mortem tradendo pro nobis, bene fecit, Iudas tradendo magiſtrum præ auaritia, malè fecit. Non enim quod nobis pręſtitum eſt de paſſione Chriſti, malitiæ Iudæ deputabitur: habet is mercedem malitiæ, Chriſtus laudem gratiæ. Et ad id Pſal. 95. Secundum malitiam eorũ reddet eis, & diſperdet eos. Quod Deus malis hominibus ſecundum eorum malitiam, ſecundũ id quod de illis nobis præſtat, retribuat, videte quãta nobis præſtat de immaniſſimo ſcelere Iudæ traditoris, is quippè tradidit ad paſſionẽ

Intentio rem diuerſificat.

Filium Dei, per quã gentes omnes redemptæ sunt ad salutem, nec tamen pro salute gentium merces est Iudæ reddita, sed pro ei' malitia debitum supplicium ei retributum. Nam si traditio Christi, non tradentis animus considerandus, hoc fecit, quod fecit Deus Pater, quod & Christus. Et tamen gratias agimus Deo Patri, qui vnicum pro nobis tradidit, & Filio, qui se pro nobis tradendo eius voluntatem impleuit. Iudam autem detestamur, de cuius facto tantũ nobis beneficium præstitit Deus, & rectè dicimus, Reddidit ei Dominus secundum iniquitatẽ eius, secundum malitiã eius disperdidit eũ, Non enim pro nobis Christum is tradidit, sed pro argento quo vendidit eum, quamuis Christi venditio & traditio, sit nostra redẽptio. Hæc Augustinus, quæ partim renarrantur in Sentẽtiis Theologicis lib.3. Dist.20. & lib.1. Dist.48. ex eiusdem Enchiridij, cap.101. per maleuolos Iudæos bona patris volũtate Christus pro nobis occisus est. Quod tãtum bonum fuit, vt Petrus quando id fieri nolebat, Satanas ab eo diceretur qui occidi venerat, Matt.16. Marc.8. Ita Deus quasdam voluntates suas vtique bonas implet per malorum hominũ voluntates malas. Voluit ergo tota Trinitas Christi pœnam, passionem, mortem, salutis nostræ causam vtique bonam, & à Iudæis illatam, Iudæorũ tamen impiam voluntatem, culpam, & iniquam actionem non voluit, nec probauit. Et breuiter idem de doctrina Christiana lib.1. cap.15. Cre-

Voluntas Dei bona sæpe per voluntatem hominis malam impletur.

dita Domini à mortuis resurrectio, magna spe fulcit fidem nostram, multùm enim ostendit quàm voluntariè animam pro nobis posuerit, qui sic eam in potestate resumere habuit. Idem prius obseruauit Eusebius Demonstrationis Euangelicæ lib.3.cap.4. de diuinioribus Christi gestis, non communi reliquorum hominũ more mortuum exponens, non morbo consumptũ, non laqueo, non igne, nec ad aliorum morem, qui ob scelera sua crucis supplicio affici solent, cruribus ferro succisis, nec omnino quicquam ab vllo hominum, qui alios necare consueuerunt, passum, violentæ mortis genus vllum pertulisse, sed vbi corpus sponte inimicis insidiantibus præbuit, tum ilico à terra erectũ, deinde in ligno magna voce clamantem, Patri spiritum commẽdauisse, ità solutum liberũque per seipsum à corpore secessisse, quod & cùm familiares acceptum honestè sepeliuissent, tertio ipsum die recepit, nimirum quod spõte reliquerat. Nam & crucifixus (ait non minus eleganter quàm breuiter ad finem tractat. 4. Cyprianus) præuento carnificis officio, spiritum sponte dimisit, & die tertio rursus à mortuis sponte surrexit. Et hoc prior Origenes tractat. 35. in Mat. notat emphasim vocabulorum, tradere, emittere, & commendare spiritum, Pilati quoq; & Centurionis admirationẽ, quòd Iesus crucifixus quidẽ, sed præter consuetudinẽ Romanorũ crucifixos percutientiũ, seruatus, non percussus, nõ depositus, nõ interfectus, Iudæorũ scilicet metu, vt diutius pendens amplius cru-

Mors christi nõ violenta.

ciaretur,poſt tres horas receptus eſt, qui fortè biduũ in cruce victurus erat, vt videretur Dei fuiſſe beneficium, quòd expirauit,& orationis Chriſti magis meritum,ac animę ponendę poteſtas,quã crucis violentia. Idem Celſo cõtrà blaſphemãti aliquoties reſpondet lib.2.3.8. nõ inuitũ cõprehenſum,ſed tẽpore ſuo & opportuno ſpõte in hominũ captũ ſe venientiũ manus veniſſe,ſuper eos proceſſiſſe,Ioan.18.vinctum quoque ad ſponte vincula ſubiiſſe, nos ita docentem pro fide ac pietate debere mala hęc ſuſcipere,ad quæ volẽs is & vltrò docuerat, quíque pro admirabili ſibi tradita poteſtate, non pro humano debito(quod is ſcilicet deberet) animã ſe poſiturũ,ſiue à corpore ſeiuncturum, ſed & reſumpturũ prædixerat,Vnde carnifices quoque anticipans atque præueniens,qui eum in crucẽ ſuſtuliſſent,& crucifixis,ne diutius torquerentur,crura cõfregerant,corpore exceſſit, vt volẽs ſcilicet anima corpus reliquerit,& vbi nõnulla extra id adminiſtraſſet, rurſus ad illud ipſum pro arbitrio rediret. Abutitur Celſi Iudæus Baccho apud Euripidem ſic dictitante, *Expiratio Christi,Dei beneficium.*

Soluet me dæmon ipſe,vbi mihi libuerit.

Verùm quòd Ieſus,ſeipſum licet vinctum non ſoluerit,ſoluẽdi ſe tamẽ poteſtatẽ habuerit,omnia deniq; ſibi illata volẽs,non coact⁹,ſed ęquo animo tulerit,ex noſtris Euãgeliis intellexiſſet, ſi fidẽ iis pręſtitiſſet.Et ad id Hier.12. Dedi ſeu tradidi dilectã animã meam in manum inimicorum eius,homil.8.quorum?Iudæorum,principum aduerſus eum congregatorum. Et hoc

ſcripturæ loco, vt & ſuperioribus (ne nobis excidat) vtuntur Idacius & Cerealis Epiſcopi catholici contra Varimadum & Maximinũ Arianos, Chriſtum inde minorem patre dicentes, quòd hic illũ tradidiſſe legatur, cùm & Fili' voluntariè diſpẽſationem aſſumptæ carnis adimplẽs, clara cõteſtationis voce fideles ſuos per ſe pérque Apoſtolum docere dignatus ſit, Semetipſum dediſſe ac tradidiſſe, & animã ſuam propria poteſtate poſuiſſe & aſſumpſiſſe. Et quod Chriſto tam ſępe fuit in ore, Vado, Venio, Ioã. 7. 8. 13. 14. 16. Amphilochus Epiſcopus Ichonienſis inter patrum de duabus in Chriſto naturis teſtimonia, in Antidoto ſiue hæreſeologia, ſic citatur, Non conturbetur cor veſtrum, neque formidet, quia tradendus ſum Iudæis, non enim inuita res, ſed ſpontanea paſſio, Vado & venio, vtrunque ſicut homo. Vado ad patrem per mortem homo, Venio ad vos rurſus per reſurrectionẽ homo. Sic & Hilarius, Quod (inquit) & in crucem actum vnigenitum Dei filium, naturalem & æterno patri coæternum, & morte damnatum, frequenter, imò ſemper prædicamus, non ex naturæ neceſſitate potius quàm ex humanæ ſalutis dono, & ſacramento fuiſſe ſubditus intelligendus eſt, & voluiſſe ſe magis paſſioni ſubiici, quàm coactum, quæ paſſio voluntariè ſuſcepta eſt, paſſus ergo eſt Deus, quia ſe ſubiecit voluntarius paſſioni, Sequitur enim, Volũtariè ſacrificabo tibi. Suſtinuit conſolantẽ, cõmęrentéque

Paſſio Chriſti voluntaria.

non habuit, non quòd consolatione eguit volēs pati atque mori, sed secum super populi impietate mœrere, &c. Sed hic pennas sumit volaturus, non alienas, non nouas, sed proprietatis vsurpatione præsumptas, ac post passionis voluntariæ sacramentum, & naturæ & potestatis pennas ad cælum se habuerit efferendi, susceptum opus etiam pro obedientiæ obsequela festinat implere, sed ita vt meminerimus esse in eo voluntatis officium. Spiritum enim Iesus posuit, cùm voluit, nec expectauit, vt animam impressũ vulnus emitteret, Ius animæ eius manus irreligiosa non habuit, ait enim, de gladio maligno eripe me. Quanquam enim exanimi iam corporis latus miles transfoderit, vsus ministerio sæuitiæ, ceterũ potestas spiritus emittendi, causam violandæ in se animæ non reliquit. Hæc ille pro sua grandiloquentia, lib. 10. de Trinitate. in Psal. 53. 68. 137. 139. 143. Breuius Nazianzenus oratione 1. in natalem Saluatoris, 4. in sanctum pascha, Et traditus (ait) dicitur, sed & seipsum tradidisse, & à Patre resuscitatus & resumptus esse, sed & seipsum resuscitasse, & iterũ rediisse. Illa bonæ voluntatis, hæc verò potestatis sunt. Et iuxta Damascenum, li. 3. cap. 18. Quando voluit diuina eius voluntas vt humana mortem eligeret, voluntaria ei passio facta est, non enim secundum quod Deus solùm voluntariè seipsum in mortem tradidit, sed & secundum quod homo. Vnde & contra mortem nobis audaciam præstitit. Sic Ambro

Christus non solum secundum quod deus in mortem se tradidit, sed etiã secundum quod homo.

sius, Luc.3. de Enoch rapto nõ mortuo, Gen.5. Heb.11. manifestum Dominicæ pietatis & diuinitatis indicium est, manifestum enim est Christum potuisse non mori, sed voluisse, vt sua nobis mors prodesset. Et Enoch quidem rapt⁹ est, ne malitia mutaret mentem eius, Sap.4. Dominus autem, quem malitia seculi mutare nõ poterat, ad cælum vnde venerat, naturæ suæ maiestate remeauit, Luc.4. Simul intellige non ex necessitate fuisse, sed voluntariam corporis passionem, nec à Iudæis captum, sed à se oblatum. Etenim quando vult, capitur: quando vult, labitur: quando vult, suspenditur: quando vult, non tenetur. 22. Cæterùm quàm constanter se morti obtulerit, consequentia declarant: quærentibus occurrit, timentes confirmauit, trepidos prouocauit, &c. & bene tradidit spiritum, qui non inuitus amisit, quod enim emittitur, voluntarium est, quod amittitur, necessarium. Cur etiam post mortem non antè percussus inuenitur, nisi fortè vt voluntarius magis quàm necessarius exitus eius fuisse doceatur? Sed cui datus aut traditus? adhuc enim cui non audiuimus, nisi Iudæis capitalibus eius inimicis, imò & Satanæ traditum dicere scriptores non refugiunt. Sic enim pergit hic ad finem, 1. Cor.1. Redemptio (ait) nostra hæc est, Obtulit se Christus diabolo cupienti, vt peccati ipse contradictionem auferret, & sic captiuos eius erueret. Obscura sanè causæ redditio, Nec clarius, sed ad superiora Augustini disputata confor-

mius, ad Eph. 5. Si verum est Christi mortem Deo in odorem suauitatis & libenter fuisse acceptam, non peccauerunt qui eum secundum Dei voluntatem crucifixerunt. Sed non ita est, quia Christus Deo dicit se obtulisse, dum occidi se passus est, In patris sui voluntate perdurans, quia qui iustè occiditur, diabolo se offerens voluntatem eius facit, vt occidi mereatur (hic negare videtur quod antè aiebat, Diabolo oblatum, sed multa iis Commentariis infarta sunt quàm corruptissima. Pergit autem.) Ita & Christus dum Dei voluntati adhæret, diabolo displicuit, ideóque illum occidit, quia Deo se obtulit iustitiam exequendo. Itaque immeritus qui occiditur, placet Deo, non quia occiditur, sed quia ad mortem vsque iustitiam conseruauit, hanc enim mortem suscepit Deus Christus ad vitã vnde & odor suauitatis appellatur Deo. Quærit & ibidẽ, Quomodò & Deus eum tradidit, & Deo se ipse obtulit, quasi hoc, quantũm ad verba, contrariũ videri possit. Deus tradidisse dicitur, quem occidi permisit, sicut dicit Dominus Pilato, non haberes aduersũ me potestatem, nisi data esset tibi desuper, Ioan. 19. Data enim est, sed non nolenti potestas, hoc est, permissũ est illi facere quod voluit, & hoc est tradere, dum enim dissimulat, tradit, nam si permittere noluisset, occisus non esset. Permisit ergò eũ occidi, sed ab his qui eũ sponte, non coactè volebant occidere. Non ergò immunes à pœna, quibus hoc permissũ quod volebant.

Damnatio enim in eo competit, quòd voluerunt. Quod ideò tamen Deus permisit, quia sciret aduersum diabolum pro multis futurum: Dignum enim fuit, vt quod inimicus futurorũ impræscius contra se quasi pro se facere putabat, permitteretur ei, vt impræscientiam suam sibi imputans, facti sui pœnitẽtia torqueretur. Quòd autem Christus se obtulit, aut eum Pater tradidit, vnum est, quia vna amborum voluntas. Sed quoniam Christum aduersario traditũ obiter tantùm dixit, non etiam exposuit, Ne rectè dictum, non rectè intellectum lectorẽ perturbet, idem aliunde firmandum & exponendum. Sic igitur Origenes, Homil. 4. in Matth. 17. traditum Filium à Patre non tantùm in manus hominum, sed & principi huius seculi explicat, Exempli causa, Iob primùm traditus à Deo est in manum diaboli, Ecce (ait) tibi trado eum, & omnia quæ possidet, Iob. 1. 2. tãtùm animam eius serua. Accipiens autem diabolus bona eius in potestatem, tradidit prædonibus, &c. Vide ergò ne fortè sicut bona Iob tradit in manus prædonũ diabolus, accepta prius à Deo potestate, sic & aliqua operatione princeps potestatum aëris, tradidit eum in manus hominũ, Iudæ, Iudæorum, Gẽtilium. Considera tamen quòd Pater non simpliciter eum tradidit potestatibus contrariis, sed propter misericordiam suam, vt saluaret genus humanum: Contrariæ autem potestates in manus hominum tradiderunt, non pro aliquorum salute, sed quantum

Christus quomodo principi huius seculi traditus.

ad ſe, quia eorum nemo ſapientiam Dei in myſterio abſconditam nouit, 1. Cor. 2. & inimica eius mors eum ſibi, ſicut & omnes homines in Adam morientes, ſubiiceret. Sed & homines qui eum occiderunt, ſecundum volũtatem poteſtatum, qua Dei filium volebant morti ſubditum fieri: voluntatem enim habebant non iuxta diuinam iam ordinatam. Non ergò ab hominibus (primùm) in manus hominum traditus eſt, ſed à poteſtatibus, quibus eum pro nobis omnibus tradidit, vt in eo quòd traditur, & fit ſub eo cui traditur, deſtruat eum qui mortis habebat imperium (diabolum) Heb. 2. Et pro nobis ergò Pater Filium tradidit, vt ſuſcipiẽtes eum principes (ſeculi huius inuiſibiles) & tradentes in manus hominum, irriderentur ab eo & ſubſannarẽtur à Domino, ſic quippè omnia in Regni proprij & principatus ſui diſſolutionem agentes, nobis vtique, diruptis eorum vinculis, & proiecto eorum iugo, Pſal. 2. & inimica communi deſtructa morte, nõ huius ſolùm morti, ſed & reſurrectioni factis cõformibus. Et ad finem tractat. 12. Cui dedit animam ſuã redemptionem pro multis? Nec enim conuenit dicere, Deo. Ne fortè ergo maligno, vt in nobis dominanti, donec ei daretur pro nobis redẽptio anima Ieſu, decepto videlicet ac exiſtimanti, quaſi poſſet eius dominari, &c. Vt hic ſuo more in magnis ambulat. De hoc & Nazianzenum audiamus in ſanctum Paſcha ſic orantem, Iam rem & doctrinã ſcrutemur à mul-

tis neglectam, sed à me diligenter inuestigatã, Cui enim pro nobis sanguis,& cuius rei gratia effusus est pretiosus & salutaris Dei,pontificis sacrificij?Etenim detenti eram⁹ à maligno,sub peccati iugum missi,prauitatis mercedem volu ptatem accipiebamus. Si igitur solutio nullius est alterius,quàm eius qui detinetur,quæro cui hic effusus sit,& quã ob causam? Etenim si improbo,proh quanta iniuria, si non solũ à Deo, sed & Deum, redemptionis pretium latro accipit,tam immensam tyrannidis suæ mercedem propter quam iustius erat vt nobis parceretur. Sin Patri,primò quæro,quo pacto?nec enim detinebamur ab eo. Secũdò qua ratione sanguis eum oblectaret,qui nec Isaaci sanguinem à patre oblatum suscepit,sed victimam immutauit, & pro humana hircum subiecit?,Gene.22.aut, constatnè quod pater Filij sanguinem suscepit, cùm neque peteret,neque indigeret?Cæterùm propter dispẽsationem effusus est,& quia Deũ res humanas per hominem sanctificare oportebat,vt nos,vi tyrannum superans,eriperet,ac per Filij intercessionem ad se congregaret, idque in honorem patris ita disponentis,cui cuncta tulit accepta. Et, Christi quidem res ita se habent, súntque vt plurimùm silentio colẽdæ. Vt hic tantus quoque theologus de rebus tantis & diligenter,vt ait,à se vestigatis lentè,submissè, ac reuerenter loquitur,resoluendo magis cur datus sit Christus,quàm cui: sed nõ dubium quin Deo,in sacrificium ei pro nobis ac-

ceptiſſimum,vbi ſuprà ad Eph.5.Satanæ ſicubi legitur,ſobriè magis quã ſubtiliter exponatur, nec enim memini alibi quàm apud Origenem legere, apud quem eſt ſuperiorũ quidam velut epilogus,initio tractatus 35.in Matth.26.Ideò, inquit,imperſonaliter Euangeliſta poſuit, *Tradetur*,non dicẽs à quo, quod verbum poteſt ad omnes reſpicere qui tradiderunt eum, non eodem omnes propoſito:Deus propter ſuã in genus humanum miſericordiam,cæteri ſecũdum ſuam quiſque malitiam,Sap.2.Iudas ob auaritiam,fur nimirũ,& qui in eũ intrauit diabolus, propter timorem ne auelleretur de manu eius per doctrinam ipſius,non aduertẽs ſcilicet nos ereptum magis iri per mortem ipſius, quã per doctrinã vel mirabilia. Sacerdotes & ſeniores propter inuidiã,& qui id ſciebat,Pilatus,mundano perdẽdę Cæſaris amicitiæ metu.En vt eadem actio quatenus ex diuerſa radice procedit, diuerſimodè de bono vel malo iudicatur. Habet ergò diuinam opus hoc virtutem,vt cũ reliquis Leo Magnus,Serm.1.de Paſſione ſic concionatur,Quòd enim Dominus maieſtatis ſuę potẽtiam comprimit,& vim in ſe perſecutoris admittit,ex illa volũtate eſt,qua dilexit nos, & ſe pro nobis tradidit, cooperãte in hoc ipſo patre,qui proprio filio non pepercit, ſed pro nobis & illũ tradidit.Vna enim Patris & Filij volũtas & diuinitas,de cuius diſpoſitionis effectu nihil vobis gratiæ,Iudæi,nihil tibi,Iuda, debemus.Saluationi quidẽ noſtrę nõ hoc vobis vo-

Satana an ſit traditus chriſtus.

Actio eadem pro radicis diuerſitate diuerſimodè iudicata.

létibus impietas veſtra ſeruiuit,& per vos factũ eſt,quicquid manus Dei & conſiliũ decreuerũt fieri, Act.4.Mors igitur Chriſti nos liberat,vos accuſat.Meritò ſoli non habetis,quod omnib⁹ perire voluiſtis, &c. Et tanto poſt Leonem 1. tempore Innocentius III. myſteriorum,lib.1. cap.38.Dedit Filio calicem Pater,non iudex,amore,non ira,voluntate, non neceſſitate,gratia,non vindicta.Et lib.5.cap.2. Dum dicit ſacerdos,Hæc dona,hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata,traditionem trinam cõmemorat,quam Deus fecit ex dono,Iudas pro munere,Iudæus in ſacrificium:Singuli ad mortem diuerſa operantia,vnum operatum,quo Filius ex Patris decreto,ex Spiritusſancti cõſilio,ex proprio beneplacito, ſemetipſum paſſioni expoſuit.Indiuiſa ſunt opera Trinitatis,tota & indiuidua Chriſtum in mortẽ tradidit, vt tota per eum nos à morte redimeret.Donum dãtis eſt, munus accipientis:ſacrificium offerẽtis, Pater dedit,Filius obtulit,Spiritusſanctus accepit,hic Apoſtolus,Hebr.9. Chriſtus per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit Deo immaculatum, Singuli tamen obtulerunt, dederunt, acceperunt.Sed ad diſtinctionem dicitur Pater dediſſe propter autoritatem,Filius obtuliſſe propter humanitatem,Spiritusſãctus accepiſſe propter benignitatem.O liberalis gratia,liberalitas gratioſa! quod nobis Deus dedit in donum,hoc accepit à nobis in munus. Atque hic huius ſit digreſſionis terminus, Chriſtus ſemetipſum in

Hæc dona, hæc munera &c. enarratum.

mortem

mortem dediſſe & tradidiſſe legitur & intelligitur, aduerſarios, cùm vtique poſſet, nõ reprimendo, neque vim à corpore ſuo repellendo, ſed nocumentis atque læſuris cedendo ac ſuccumbendo, mortẽ ab aliis illatam, vt ait Athanaſius, ferendo, non inferendo, tolerando, non reſiſtendo. Hæc ſtulta mundi ſunt & infirma, quæ Deus elegit, vt ſapientes & fortes cõfunderet, 1. Cor. 1. Iniuriæ & paſſio Saluatoris, neſcientibus hæc ad virtutem proficere, quia hæc ideò pati ſe permiſit, vt mortem vinceret: Iniuſtè enim pati, & poſſe reſiſtere, & nolle, gloria eſt patientis, damnatio occidentis. Quo etiam modo dediſſe eum Pater dicitur & tradidiſſe, hoc ipſo quòd eũ, cùm in forma Dei eſſet, paſſus eſt exinanire ſeipſum, & formam ſerui ſuſcipere, & ad crucis vſque mortem peruenire, ait Origenes, Rom. 8. Phil. 2. non ei parcendo, nihil indulgendo, non ei auxiliatus in bello, Pſal. 88. & hoc enim Celſus Saluatori obiiciebat, quòd in paſſione nihil eſſet à Patre adiut⁹, nec ipſe ſibi opem ferre potuiſſet, quaſi non & hoc quoque à prophetis cum ratione prædictũ eſſet, fore quandoque vt hic pro humano genere pateretur atque moreretur, quando id mortalibus conduceret, vt reſpondet idem Origen. lib. 1. in eũdem Celſum. Et in Praxean Tertull. Sic filium Pater dereliquit, dum hominem eius tradidit in mortẽ, dum non parcit, alioqui non reliquit Pater Filium, in cuius manibus Filius ſpiritum ſuum poſuit, denique poſuit, & ſtatim

obiit, Spiritu enim manente in carne, caro mori omnino nō poteſt, ita relinqui à Patre, mori fuit Filio. Hoc autem ſenſu non tantùm Pater dedit eum ac tradidit, ſed etiam percuſſit, humiliauit, vulnerauit, & attriuit, propter iniquitates & ſcelera populi ſui, Eſa.53. non tantùm non eum ab huiuſmodi paſſionibus protegendo, & derelinquendo, hoc eſt, perſequentium poteſtati exponendo, ſed etiam talia ei patiendi voluntatem inſpirando, quæ æterna ſua voluntate ad humani generis liberationem præordinauerat. In quo eius oſtenditur tum in peccatum ſeueritas, quod impunè miſſum facere noluit, tum in homines bonitas, vt quibus cùm ſatisfacere nequirent, ſatisfactorem dederit Filium, qui etiam quà Deus, eadem qua Pater, ſe voluntate & actione & in nos dilectione tradidit: quà autē homo, voluntate à Patre & Spiritu cælitus infuſa dedit ac tradidit. Hactenus Aquinas, Part.3.quæſt.47.artic. 1.& 3. & poſt eum Dionyſij Carthuſ. Sūma Orthodoxæ fidei, lib.4.artic.58. Tribus verbis tā alioqui multa expedias, Dedit & morti Chriſtum Deus tradidit, dum tradendum ordinauit, inſpirauit, expoſuit, & traditum ad tempus dereliquit, non adiuuit, nō eruit, triduo pòſt ab eodem qui ſic dederat & tradiderat, vitæ reddendum & ſuſcitandum. Sequitur tandem eius dationis & traditionis fructus duplex, nempe libertas, vt *nos redimeret ab omni iniquitate*, vt nulla iā nobis dominetur. Primus homo ex peccato ſuo cum ſua

Pater quomodo filiū ſuum dicatur percuſſiſſe humiliaſſe, &c.

Seruitus peccati & diaboli.

ipſe poſteritate in ſeruitutem tum peccati, vt quod qui facit, eius ſeruus ſit, Ioan. 8. tum Diaboli, à quo enim quis vincitur, eius ſeruus efficitur, 2. Petr. 2. redactus eſt. Hîc ſecundi hominis oſtenditur potẽtia & magnitudo, quòd ſeipſum dando, non hũc vel illum, ſed omnes: nec ab aliquo peccato liberauit, ab alio non item: ſed ab omni prorſus exemit & vindicauit, tam originali, quàm actuali, & omnibus & ſingulis quę pro ſua quiſque voluntate nos ſuperaddimus: Sed & à carnis quoque fragilitate, & Diaboli potentia & ſuggeſtione. Neutri enĩ, quod hic Bruno exponit, non redempti obniti poteramus, nam qui primũ hominẽ in tanta virtute creatũ ſubuertit, quantò magis nos tot miſeriis paſſibilitatis & mortalitatis preſſos ſubuerteret? proinde nihil prodeſſet, certè nõ ſatis eſſet, etiamſi à peccatis nos mundaret, niſi & à periculo carnis & Satanæ liberaret, data illius infirmitati, huius tyrãnidi reſiſtendi poteſtate. Addendũ & ex Theod. Ea quoque de cauſa mortem noſtri cauſa à Chriſto ſuſceptã, vt eius eua ſa tyrãnide, ab eius acerba nos ſeruitute liberaret, Ideò, inquit, Noli timere, quia redemi te, Eſa. 43. Et hîc quoque ingẽs patebat cãpus, niſi iam nobis aliquoties decurſus, ad id. 1. Tim. 2. Qui dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Et iterũ in 2. ad Timoth. Digreſſione 4. de longa latáque differentia mortis Dominicę & martyrum. Poſtremò tractatus de Mediatore, cap. 13. 14. quo ſenſu Chriſtus ſit redemptor

Redemptio noſtra à quo ſit.

& redemptio, quo tota Trinitas redemisse dicatur, vt enim traditionem, ita & redẽptionem tota simul operata est, Augustinus de Trinitate lib.3.cap.11. quid de his decidi Sanctis quoque possit, quòd Christus & inquãtùm Deus, sit redemptor, potestatis nimirùm vsu, licet ita sæpius vocetur secundum humanitatem, humilitatis vtique effectu, obedientiæ exhibitione, susceptis in eadem & impletis sacramẽtis redemptionis nostræ causis & meritis. Ex Sententiis Theologicis, lib.3. Dist.19.E. & aliis scriptoribus. Neque tamen non hîc aliquid dicendum illic reliquimus. Redimere hîc dictũ notat Anselmus, quia eius eramus. Nam aliena dicimur emere, nostra redimere. Nescis, inquit de vita beata, lib.1.cap.3. Ambrosius, quòd te primorũ parentum culpa mancipatum seruituti redemerit Christus, nõ emerit? Ergò seruus es qui creatus es, & à Domino redemptus, quasi Domino & redemptori seruitutem debes. Et circiter initium cap.12. Luc. Aduersarius tanquam captiua mancipia vilioris pretio æstimationis addicit, Dominus vt speciosa seruitia, quæ ad imaginẽ & similitudinẽ sui fecit, idoneus operis sui ęstimator, magno nos pretio, 1.Cor.6. quod ęre scilicet nõ ęstimatur, sed sanguine pretioso, 1.Pet.1. de vana nos cõuersatione, de maledicto legis, Gal.3. & de perpetua impietatis morte redemit. Sic breuiter Tertullianus de Carne Christi, Si ab alio Deo est homo, ô Marcion, magis vtique adamauit, quando alienum

Emere, & Redimere.

magno redemit, nisi dilexisset, non redemisset. Et de fuga, Dominus virtutum hominem de terris, imò ab inferis mercatus in cælos. Quis est qui depretiat, & mercedem ei' tam magno comparatam commaculat? Sic Arnobius in Psal. 122. Recordemur nos seruos, quia creati ab eo sumus, & redempti probamur. In 53. Hilarius, Omnem humani generis salutem oblatione sanctæ & perfectæ hostiæ redempturus. In 118. Res. Venundati sub peccato per redemptionem in Sanguine Domini liberamur, hoc legislatio, omnes spiritus prophetiæ, patriarcharum spes, Angelorum voces, & toto tempore diuinus sermo testatus est, ob quod redimi se deprecatur Dauid. Sed hæc eadem Dei eloquia, vt piis spebus redemptionem denunciãt, ita impiis (desperantibus) non relinquunt. In 129. Est vnigenitus Dei Filius, Deus verbũ, Redemptio nostra. Ad id 135. Redemit nos de manu inimicorum nostrorum, non tunc cùm Iudæos à dominatu Ægyptiorum exemit, nam & pòst inimicis subditi sunt, & hodiè iure alieni imperij coërcentur, sed redemit nos, cũ se pro peccatis nostris dedit, per sanguinẽ, passionem, mortem, resurrectionem suã, ab inimicis, Diabolo, angelis eius, filio perditionis, principibus aëris, mundi potestatibus, inimica morte. De vocum autem discrimine, vnde orsi sumus digressionem, Origenes, Hom. 6. ad id Exod. 15. Populus tuus quẽ acquisisti, Si Dominus creator est omnium, videndũ est quomodò acqui-

Acquisisse nos quomodo dicatur Christus, aut redemisse.

sisse dicatur, quæ sua esse dubium non est. Dicitur & alibi, Nōne hic ipse Deus tuus est, qui fecit, creauit, acquisiuit te? Deut. 32. Videtur autem id quisque acquirere, quod suum nō erat. Inde dicunt hæretici de Saluatore, quòd eius non erant quos acquisiuit, dato enim pretio homines mercatum, quos creator fecerat, ac certum est vnumquenque quod suū est, non emere, Et pretio tamen emptos ac redemptos dicit Apostolus. Audi ergo quid Propheta dicit, Ecce in iniquitatibus, seu propter iniquitates vestras venditi estis. Et gratis venundati estis, Esa. 50. 52. Vides Dei quidem creaturam omnes esse nos, sed pro suis quemque peccatis vēditum, & à proprio creatore alienatum. Dei ergò sumus, quatenus ab eo creati sumus. Diaboli verò serui facti sumus, quatenus peccatis ei nostris venundati. At veniēs Christus redemit, cùm seruiremus illi domino, cui nosmetipsos peccando vendidimus. Ita videtur tanquā suos quidem recepisse, quos creauerat, tanquam autem alienos acquisisse, quia alienum sibi Dominum siue errando, siue peccando quæsiuerant. Et rectè quidem dicitur redemisse, qui pretiū sui sanguinem suum dedit, quid autem tale vt nos mercaretur Satanas etiam dedit? quo censu, qua pecūnia, quo numismate emit quos seruos sibi effecit? omni genere peccati, &c. Et tractatu 2. in Matth. 16. Ergò homo quidem non potest dare commutationem pro anima sua: Deus autem pro animabus omnium commu-

tationem dedit preciosum sanguinē filij sui. Et ad Ro.3.attentius adhuc obseruat quid sibi velit redemptio. Sic enim dicitur, quod datur hostibus, pro iis quos captiuos detinēt, vt eos pristinæ libertati restituāt. Detinebatur autē apud hostes humani generis captiuitas, peccato tanquā bello superata. Venit Dei Filius, & semetipsum hostibus tradidit, & sitientibus eis sanguinem suum fudit. Hæc est credentibus facta redemptio. Quam obiter sub mysterio designatam dicit Prou.13. Redemptio animæ viri, propriæ diuitiæ eius. Quæ sunt requitas? Inuenies sapientiam, iustitiam, sanctificationem: hæc autem cū Christū esse dicat Apost.1.Cor.1. Christus est animæ diuitiæ, ideoque eius redēptio. Nā corporales diuitiæ, animæ magis credendæ sunt pernicies, quàm redēptio, nisi ex corporalibus ad spirituales trāsferātur, & in bonū op⁹ conuersæ, iustitiæ fiant atque misericordiæ. Sic breuiter in Iulianum Oratione 1. Naziāzenus, Tunè contra magnam Christi hæreditatē, quā is vt Deus cōdidit, & vt homo acquisiuit? Quid enim aliud ille, inquit Eusebius, quàm pro animis nostris pretium? Et, dereliquit eum fortis suus, cùm eum voluit pro vniuerso mundo pretium, quo animæ redimerentur, exhiberi. Is verò diuinum æternúmque decretum, & quas ob causas à patre relinquendus esset, intelligens, multò etiam amplius seipsum demisit, pro redimendis animis nostris pretium factus, & omnis humani generis à priore illa

Diuitiæ spirituales.

ſub inuiſibilibus dominis, impuris ac malignis dæmonibus, intolerabili ſeruitute, redemptio ac liberatio. Demonſtrationis Euangelicæ lib. 10. cap. 1. & 8. Et recentior quidem, ſed in huius myſterij contemplatione totus velut liquefactus D. Bernardus ſuper Cantica Serm. 20. 22. ad cumulũ pietatis tradidit in mortem animã ſuam, de proprio latere fundens & proferens pretium redemptionis, quo Patrem placaret, & nos ei recõciliaret, per quod planè ad ſe verſiculum traxit, Pſal. 129. Copioſa apud Deum redemptio. Prorſus copioſa, quia non gutta, ſed vnda ſanguinis per quinque partes corporis emanauit. Et Auguſtinus omnium tam minimè omittendus, quàm maximè catholicus, obiter enarrãs id Col. 1. In quo habemus redemptionem in remiſſionem peccatorum, De Trinitate, lib. 13. cap. 15. In hac, inquit, redẽptione tanquam pretium pro nobis datus eſt Chriſti ſanguis, quo accepto, Diabolus (& hîc habes quod paulò antè quæritabamus, Diabolo datum) ligatus eſt, nõ ditatus, vt nos ab eius nexibus ſolueremur, nec ſecum eorum quenquam quos Chriſtus ab omni debito liber ĩdubiè fuſo ſuo ſanguine redemiſſet, peccatorum retibus inuolutum traheret ad ſecundæ ac ſempiternæ mortis exitium, ſed hactenus morerentur ad Chriſti gratiam pertinentes electi, quatenus pro eis mortuus eſt, carnis tantùm morte, non ſpiritus. Hanc autem redemptionem tam latè patẽte, vt & infãtulis ſaluifica ſit, ſed baptizatis.

Diabolo datus Christi ſanguis.

Idem vndecunque captans contra suos, hoc est, fidei aduersarios Pelagianos scribit Hilario Epistola 88.89. quęst. 4. adeò vt Cęlestius vnus eorum in Ciuitate Carthaginensi Presbyter à fidelibus fratribus ad iudicium episcopale perductus, confiteri coactus sit baptizandis paruulis redemptionem esse necessariam, quo, inquit, non parum sibi pręscripsit. Vnde enim redimendi, nisi à Diaboli potestate; in qua esse nō possent nisi originalis obligatione peccati? aut quo pretio redimentur, nisi Christi sanguine, de quo apertissimè scriptum est, quòd in remissionem effusus sit peccatorum. Et Epistola sequenti, quæ est patrum Concilij Carthaginensis quinti, opinor, ad Innocentium 1. Rom. pont. & extat in tomo 1. Conciliorum ante Innocentianā Epistolam. 2. de actis aduersus eundem Cælestium & Pelagium. Paruulos hi propter salutem quæ per Saluatorem Christum datur, baptizandos negant, ac sic mortifera eos doctrina in æternum necant promittentes etiā si non baptizentur, habituros vitam æternam, nec ad eos pertinere, de quibus ait Dominus, Venit Filius hominis quærere & saluare quod perierat, Luc. 19. quia, inquiunt, non perierant, nec est quod in eis saluetur, vel tanto pretio redimatur, quia nihil in iis vitiatum, nihil tenetur sub Diaboli potestate captiuum, nec pro eis fusus esse sanguis in remissionem legitur peccatorum, licet per Christi baptismū etiam paruulorum fieri redemptionem libello

Paruulis baptizandis redemptio necessaria.

ſuo Cæleſtius in Eccleſia Carthaginenſi iam confeſſus ſit Et concludunt, Quicunque negat paruulos per Chriſti baptiſmum à perditione liberari, & ſalutẽ percipere ſempiternam, Anathema ſit, Hæc illi. Dũ ergo noui hodiè reformatores ſic contra Pelagianos originalẽ in Infantulis labẽ aſſerunt, vt eos cũ Pelagianis ſine baptiſmo in Dei regnũ inducant, annon hîc ſemipelagiani ſunt? aut qua illi audacia ac temeritate pronunciant, quod non vnus Auguſtinus ſexcenties, ſed & omnis vel penè omnis retro Eccleſia pernegauit? Paulò latius progreſſi ſumus, dum exponere volumus quo ſenſu Deus quæ ſua ſunt, acquirere, quo à malo multiplici Chriſtus quos vili peccati mercede Diabolus emerat ſanguinis ſui pretio dicatur redimere, nec prius tamen ad literã regrediemur, quàm huius redemptionis non tãtùm ſufficientiã, ſed & neceſſitatẽ audiamus ex omniũ dulciſſimo & facundiſſimo Baſilio in Pſal. 48. *Audite vos*, inquit, *qui in virtute veſtra confiditis*, qua humana natura ad ea quæ perficiẽda cupitis, ſatis ſit, *Et in multitudine diuitiarum veſtrarum gloriamini*, imò in incerto diuitiarum ſperatis, 1. Tim. 6. pretio vobis redemptionis eſt opus, vt à ſeruitute in libertatem aſſeramini, qua victi per inſidias Diaboli, quondam priuati fuiſtis, qui vos captiuos retinens, non prius à tyrannide ſua dimittet, quàm digno aliquo vel conuenienti pretio perſuaſus, permutare velit. Pretium autem oportet non ſimilis eſſe

Reformatores noui taxati.

generis cũ captiuis, ſed dignitate multò præſtā-tius, ſi ex iugo ſeruitutis captiuos emiſſurus ſit, Ideóque fratrē nemo redimere poteſt. Nullus enim homo Diabolo perſuaſerit, vt eum miſſum faciat quem ſemel in ſeruitutē redegerit, quî enim de propriis peccatis inidoneus aliquo munere placare, pro alio id facere tentabit? Quid in orbe adeò magnum aut pretioſum poſſidet, vt dignam habeat animæ permutatiònem, præſertim qua nihil in terris ſit diuinius aut Deo ſimilius? an vires corporis, an externas opes, an artes aut ſcientias? Nihil horum ſanè tam perfectum, vt ad ſalutem ſufficiat, quòd omnis anima humana cõmunis omnium inimici iugo & ſeruituti ſubdita, libertate diuinitus accepta ſpoliata, captiua peccati eſt, omni autem captiuæ opus eſt redemptionis ad libertatem recuperandam pretio. Fratrem ergo frater, nec ſeipſum quiſquam redimere poterit, quia multò meliorem eſſe conuenit redemptorem, quàm captiuum, aut iam ſeruientē. Sed nec vllus omnino facultatē habet homo Deũ pro peccato propiciare, peccati nimirũ reus, & peccato obnoxius, Omnes enim peccauerunt, & egēt gloria Dei, Rom. 3. *Nõ dabit ergo Deo placationē ſuã*, ait Dauid, *nec pretiũ redemptionis animæ ſuæ*. Non ergo fratrem in redemptionē requirit, ſed eum qui noſtram ſuperet naturam, non hominem tantùm, ſed hominem Deum. Frater erat Iſraëlis Moſes, non eũ tamen redimere valuit, aut à peccato populum liberauit,

Fratrem quomodo nemo redimere poſſe intelligatur.

Dei licet aduersus eam iracundiam deprecatus,& aliquandiu propiciatus, Exod.32. non inquàm, valuit natus in peccato, placationem dare, ne pro seipso quidē. Quin & post tot ac tāta quæ vidit signa hæsitauit, contradixit, & Deum coram populo non sanctificauit, ideóque nec terram promissionis ingressus, Numer.20.27. Deut.32.33. Pronunciat ergo Dauid, *Frater non redimit*, & cum grauitate Deo interrogatiuè infert, *redimet homo?* quod Moses vir vtique tantus non potuit, alius poterit? Non dabit ergo vel homo Deo pro seipso, vel Deus propiciationem suam? Quid enim tanti momenti inuenire homo possit, quod det pro redemptione animæ suæ? Inuentū ergo est vnum pro omnibus simul hominibus dignum, sanguinis pretium, quē D.N. Iesus Christus pro nobis effudit, qui se solus Deo propiciationem dare potuit, quémque Deus propiciationem per fidem in sanguine ipsius elegit ac proposuit, Rom.3. Hoc pretio empti redemptique sumus. Si ergo frater, ac proinde homo nos redimere nequiuit, qui redemit, homo non est? Noli statim quia Dominus in carnis similitudine nobiscū versatus est, hominem eum tantùm putare, diuinitatis ignorans virtutem, is non habuit opus sese sua causa Deo offerre, aut placationem suā siue pro seipso dare, quia peccatum non fecit. Redimere autem seipsum, nisi veniat is, qui captiuitatem dimittat, seu populos captiuitate liberet, nō quidem in pretio, nec in muneribus,

Mosis diffidētia punita.

Sanguinis Christi pretium, inæstimabile.

Esa.45.& 52.Sine argento redimemini, sed in proprio ipsius sanguine,qui nos nō fratres existentes,sed inimicos ei ob peccatum factos(nō homo item nudus, sed Deus)post libertatem nobis concessam, fratres nos appellat suos, Ioā.20.Hebr.2.ex Psal.21.Igitur qui nos redemit,siquidem eius naturam consideras, neque frater est,neque homo: sin eius per gratiam ad nos descensum,nos fratres nominat, qui se ad humanitatem vsque demiserit, quíque pro orbe toto,non pro se placationem dederit, non opus habens propiciatione,cùm ipse sit propiciatio. Vnde sequitur in Psalmo, Verumtamen Deus redimet animam meam de manu inferi. Hæc Basilius,quibus aliud in priscis aut modernis Dominicæ redemptionis significantius nō temerè inuenias. Est apud Esa. 63. locus huic sanequàm concors,Ex siue in omni eorum tribulatione non legatus (secundum LXX.) non angelus,sed ipse Dominus saluauit eos,in dilectione & indulgentia sua, siue eò quòd diligeret eos,& parceret eis,ipse redemit eos, portauit, suscepit, exaltauit omnibus diebus seculi. Sed & Dauid totidem verbis quot Paulus,Redimet,inquit, Israël, ex omnibus iniquitatibus eius,Psal.129.Vbi Augustinus, Sanguis innocens fusus deleuit omnia peccata nocentium, pretium tantum redemit omnes captiuos de manu captiuitatis inimici.Israël vendere se potuit,& fieri venūdatus sub peccato:redimere se non potuit:Is redimere potuit, qui se non po-

Fratres Christi quomodo simus.

tuit vendere, qui peccatum nō commisit, redēptor est à peccato, non hoc vel illo, sed omnibus, &c. Sequitur eiusdem fructus alter, Sanctificatio scilicet in bono, *& mundaret*, purgaret, purificaret, Fide. Act. 15. sanctificaret mundans lauacro aquæ per verbum vitæ, Eph. 5. ab omnibus iniquitatibus, Ezech. 36. abluēdo sordes peccatorum nostrorū in baptismo, de quo cap. sequēti, & sic faceret, vel ita, per baptismatis scilicet emendationem, factum *populum sibi acceptabilem*, Ambrosio, Augustino de vnitate Ecclesiæ cap 13. De peccatorum meritis & remissionib. lib. 1. cap. 27. abundantem, Hieronymo egregium, Græci περιούσιον exponunt abundè dilectum, familiarem, præcipuū, nihil commune cum reliquis habentem, quasi famulum ab hero electum, qui circa Domini procurandas opes & substantiam versetur, nihil conseruis similem. Glossa interlinearis & Anselmus peculiarem, id est, proprium. Aquinas & Lyra, per baptismalem gratiam, rectam fidem & intentionem, sic vt essemus populus eius, id est, ei consecratus & peculiaris, iuxta illud, Qui aliquando non populus eius, nūc autem populus eius, Et, vocabo non plebem meam, plebem meam, Ose. 9. Rom. 9. 1. Petr. 1. Hieronymus sæpe secum considerans quid sibi vellet verbum Græcum, & à sapientibus seculi interrogans sicubi fortè legissent, nec inueniens qui ei exponeret, compulsum se ait ad vetus instrumētum recurrere, vnde arbitrabatur Apostolū

περιούσιος.

Hebræum ex hebræis sumpsisse, & quod ibi legisse se nouerat, hîc posuisse. Quod autem reperit & allegat, non semel in Mose occurrit, Exod. 19. Si audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculiũ, (thesaurum electum) de (præ) cunctis populis, mea est enim omnis terra, Deut. 4. Vos tulit Dominus & eduxit de Ægypti fornace ferrea, vt haberet populũ hæreditarium, Et cap. 7. & 14. Quoniam populus sanctus es Domino Deo tuo, te elegit D. D. tuus, seu in te complacuit D. D. tuo, vt sis ei peculiaris, seu in populum περιούσιον, ex omnibus populis qui sunt super faciem terræ. Et 26. Dominus elegit te, vt sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi. Et Psal. 134. vbi nos habemus, Elegit Iacob sibi Dominus, Israël in possessionem sibi, Aquila & quinta editio περιούσιον expresserunt. LXX. & Theodotio περιποιησμὸν trãsferentes, commutationem syllabæ fecere, non sensus. Hebraicum Segula, Symmachus ἐξαίρετον, id est, egregium vel præcipuum, alibi Latinè loquens, peculiarem interpretatus est. Vnde quod est apud Latinos, panem nostrum quotidianum, melius in Græco haberi ἐπιούσιον, nec multùm differre, præpositione tantum mutata, non verbo: Cùm enim, Erasmo addente, οὐσία substantiam significet, hoc est, facultates & possessionem, περὶ, circum, quod in bonis nostris & in nostro, vt aiunt, ære, id possessionem, hęreditatem, seu hęreditariũ

Peculiaris populus.

& peculiare dicimus. Cùm item eminentiã aliquoties significet & οὐσία essentiam, eò respexerunt qui egregium verterunt, quasi dicas, reliquis antecellentem. Sic etiam accipi posse ἐπιούσιον in oratione Dominica, panem illum videlicet eximiũ, qui de cælo descendit, Ioã. 6. quasi super vniuersas substantias, non vulgaré istum post paululum concoquendum, & abiiciendum in secessum, Mat. 15. Marc. 7. Nec multùm sensu differre, quicquid enim egregiũ est & præcipuum, idem extra & supra omnia est. Cùm igitur quod inter primos Prophetas Moses de vetere populo toties dixerat, prophetatũ nouissimus de nouo fore prædixerit, pollicente ita vtriusque Deo, Mal. 3. Et erunt mihi in die qua ego facio in peculium, rectè magnus Deus noster & Saluator Iesus Christus redemit nos, vt Christianum populum peculiarem sibi faceret, &, quod ait alter eodem vtique spectans, 1. Pet. 3. genus electum, gentem sanctam, populum acquisitionis, siue acquisitum, quémque sibi vt proprium vindicat, quòd ei velut in lucrum accesserit. Addit autem *Sectatorem*, ζηλωτήν, æmulatorem Ambrosio, Hieronymo, Augustino locis paulò antè citatis, ne aliter, & pro carnis ingenio viuentes, beneficium Dei irritum & inane faciamus. Oportet ergo primùm bona sint opera, nam ad bene operandum datur baptismi gratia, Quid enim maneremus in peccato, vt abundaret gratia? Absit. Rom. 6. Ea ergo ne in vacuum recipiatur,

Operum bonorum necessitas.

tur,

tur,2.Cor.6.& hunc ordinem hic notat, Dominus prius ab imperio Diaboli & fragilitate carnis eruit,dehinc ab omni delicto mũdat,& hoc vtrunque in baptiſmo, pòſt per bonorũ, vt ait,operũ poſitionẽ Deo facit magis ac magis acceptos. Ad hoc enim,inquit Ambroſius, redemit nos Chriſtus,vt puram vitam ſectantes,repleti bonis operibus,regni Dei hæredes eſſe poſſimus,Nec verò ſufficit bene vtrunque operari, Maledictus enim qui facit opus Domini negligenter,Hier.48. iuxta. LXX. Græci ergo Græcæ vocis emphaſim obſeruantes, ſecundò notant non ſimpliciter à nobis opera bona exigi,ſed cum zelo, id eſt, magna cũ animi promptitudine & alacritate, cum ingenti ſtudio,& feruore quodam & quidem ardentiſſimo,vt in capeſſenda virtute vehementia quędam nobis adſit prorſus laudabilis.Tertiò,Dominicæ quidem benignitatis proprium fuiſſe, nos tot antè malis oppreſſos,& adeò deſperabiliter languentes eripere,qua ſola factum eſt vt præcedentia delicta nobis remitterentur, Rom.3.quæ verò ſequuntur,opera, & illius & ſimul noſtra ſunt:ſic vt ad ſolum Deũ & Chriſtum eius noſtra ſpectet redemptio,ad nos verò,noſtrarúmque partium ſit opera recta ſectari,& in eis per eius gratiam perficere ac perſeuerare. Proinde cùm & eorum quæ à nobis ſunt neceſſitatem vbique veteres Orthodoxi tam diligenter vrgeant,non ſine magno bonorum damno noui hodie reformatores contrà

Zelus in bonis operibus requiſitus.

pronunciant. Quartò, quia hic inter mundantia reponit, & diuinorum præceptorum operationem & virtutē, vetus Theophylacti versio, nobis alia quærendi autor præter fidem & baptismum mundantia, contenti erimus vno omnium purissimo Augustino. Est igitur omnis anima immunda, nihil aliud quàm vitiis & erroribus inquinata, Libro vno de Vita beata. In secūdæ diei disputatione, & immūdi omnes, quos non mūdat Christi Fides. In Enchiridio, cap. 75. Idem verò tractans quomodò purgentur hæretici resipiscentes, contra Cresconium, lib. 2. cap. 12. Ideò (ait) vobis (Donatistis) mundari non videntur, cùm ad nos à vobis transeunt, quia non denuò baptizantur, quasi solo baptismo, quem repeti non oportet, cùm idem atque vnus est, homines ab errore mundentur.

Mundantia quæ sunt.

MVNDANTVR & verbo veritatis, ab illo qui ait, Iam vos mundi estis, propter verbum quod locutus sum vobis, Ioan. 15. & sacrificio contriti cordis ab illo de quo dictum est, Sacrificium Deo spiritus contribulatus, &c. Psal. 50. & eleemosynis ab illo qui ait, Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis, Luc. 11. (Sed de hoc loco suprà ad finem cap. 1. huius, quæstiuncula 3.) & ipsa quæ nobis superueniet omnibus charitate, 1. Cor. 12. 13. ab illo qui per Apostolum dixit, Charitas cooperit multitudinem peccatorū, 1. Petr. 4. Quæ vna si adsit, omnia illa recta fiunt, sin desit, omnia frustra fiūt. Et cùm aliàs aliquoties, tum libro de x. chordis

cap.11.scribit quotidiana peccata, quæ propter humanam fragilitatem non possunt nõ in animam subrepere, vt quæ per linguam adeò facilè committantur, verbum durum, immoderatũ risum, modi in alimentis plusquam necesse sit, accipiendis, in vxoris amplius quàm liberorum procreãdorum cogat necessitas, vsu, excessum: hæc & talia, non contemnenda, quia minora, sed cauenda, quia plura, & quorum si non magnitudinis, at certè multitudinis timẽda sit ruina, misericordię exercitiis, eleemosynis, ieiuniis orationibus mundari, non vnius Augustini, sed omnium patrũ catholicus est consensus. Mundant igitur & suo modo opera, nedum Fides, sed fidei prius mundantis, & Dei in nobis cooperantis gratiæ opera, etiãsi mundare & sanare in spiritualibus rebus, eodẽ teste, idẽ valeat, lib.2.contra Parmenianũ, cap.14. Sed sicut spe salui facti, Rom.8. ita spe mũdati per Dei gratiam sumus in perfecta salute ac munditia.

Peccata quotidiana quomodo mundanda.

Opera etiã mundãt, nedum fides.

Hæc loquere & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.

HOC fragmento Paulus Titum inducit ad gratię, vel potius totius superioris doctrinæ prædicationem: Et primùm quidem ad prædicandum hortatur, mox

etiã prædicandi modum pręſcribit. Tria autem poſuit, quorum primum ad doctrinam videtur eſſe referendum, *Hæc*, Deum ſcilicet apparuiſſe per gratiam, & venturum cum gloria, *Loquere*, iis qui neſciunt, & quæ ad credenda ſpectant, ignorantes doce, *& exhortare*, tum doctrina, tũ exemplo, ad agenda, iam ſcientes ad melius inducendo, vt præparent ſe dignos ſecundo aduẽtui, Omnis ſermo tuus in hac exhortatione cõſiſtat, vt ita viuant. quãquàm Hieronymus notat verbum παρακάλει aliud quoddam in Græco ſignificare, quippe παράκλησις conſolationẽ magis quàm exhortationem ſonat, quod tamen verbum ſuprà, Iuuenes ſimiliter hortare, &c. ita vt in Latino legitur, vt & hîc reliquit. Conſolatur autem audientem, qui toties rogat, hortatur, obſecrat, & ſeipſum humiliat & ſubiicit, vt eum quem conſolatur, lucrifaciat. quod verò tertium eſt, *argue*, vt reliqui, vt idẽ legit, *increpa*, conſolationi videtur contrarium, vt qui conſolationem contempſerit, increpatione dignus ſit, & mereatur audire, obliti eſtis conſolationis, quæ vobis vt filiis loquitur, Hebr. 12. Alteram quoque legimus, 2. Tim. 4. tum conſolationem, tum increpationẽ, Inſta, inquit, argue, increpa, conſolare, vbi increpatio antè aſſumitur, pòſt conſolatione ſeueritas temperatur: hîc contrà antè vult diſcipulos conſolari, & ſi non profecerint, tunc corripi, *cum omni imperio*, ſic enim intelligendum eſt, vt ſpecialiter ad increpationem, & non ad duo ſuperiora in com-

mune referatur, nec enim dicere conuenit, Loquere, ſolare, vel hortare cum imperio. & conſentiunt reliqui vtriuſq; linguæ interpretes, cõtẽptores nimirũ & reſiſtẽtes, quíque non ita vt docet & exhortatur, viuunt, admonitos obedire renuentes, acriter atque ſeuerè increpandos, negligentes, & rebelles cum Epiſcopali ſeueritate arguendos, cum fiducia diuinæ autoritatis: Et Epiſcopus enim vt Dei miniſter loquitur, 1. Cor. 4. Eſt autem vbi parcè in exhortando loquatur, infirmitatem propriam conſiderando, Omnium, inquit, me ſeruum feci, primæ Corinthiorum nono. Et, nos autem ſeruos veſtros per Ieſum, 2. Corinth. 4. Eſt vbi imperioſè conſiderando autoritatem commiſſam, An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? ſecundæ Corinth. decimotertio, breuiter cum manſuetudine ad bonos, cum auſteritate ad obſtinatos. Omniũ optimè Græci diſtingunt, eſſe peccata quę modeſtia, diſſuaſione, dehortatione tantùm indigeant, vt homines, exempli gratia pecunias contemnant, admonitione & perſuaſione opus eſt: eſſe item quæ imperio & ſeueritate opus habeant, furta, homicidia, ſtupra, veneficia, magica, &c. non ſimpliciter, ſed cum imperio arcenda & compeſcenda, Quę quoniã gladio materiali potius magiſtratus, quàm ſpirituali ſacerdotis (quanquàm & hoc quoque) reſecanda ſunt, melius volunt qui ſic exponũt, Non quòd iubeat paſtorem eſſe imperioſum,

Epiſcopalis ſeueritas vbi exercenda.

Peccata alia aliter tractãda.

ſed quòd velit hæc diligenter populo mandari atque iniungi. Oportet, inquit Theodoretus, eum qui eſt in diuinis diſciplinis eruditus, nec ignauè nec remiſsè, nec vlla cũ timiditate hoc facere, ſed cum libertate docere, & vbi opus eſt, increpare. Et qui hîc caput tertium inchoat Ambroſius, Quæ ſpes, ait, credẽtium ſit admonet Paulus, vt manifeſtet Titus, vt ſciant qui arguuntur, cui bono præparãtur, nec aſperè accipiant, certi quia pro ſua ſalute corripiuntur. Sic enim Gregorius, lib.2.cap.7. Moralium, & poſt eum hoc loco Anſelmus, Imperij nomine Paulus hîc autoritatem ſuadet vitæ, non dominationem potentiæ. Cum imperio quippè docetur, quod prius agitur quàm dicatur, nã doctrinæ fiduciam ſubtrahit, quando conſcientia linguam præpedit, non tam ergo poteſtatem valere locutionis, quàm bonæ inſinuat actionis. Vnde de Domino ſcriptum, Erat docens ſicut poteſtatem habens, non ſicut Scribæ & Phariſæi, Matt.7. Marc.1. Singulariter namque ac principaliter ſolus ex poteſtate bona locut⁹ eſt, quia ex infirmitate mala nulla operatus, ex diuinitate quippè potentiam habuit, id quod nobis per humanitatis ſuæ innocentiam miniſtrauit. Iam quòd Timotheus cum patientia, Titus cum vehementia concionari iubetur, bis compoſuimus, 2. Tim. 4. & ad initium vltimi Commentarij in cap.1. huius, Scholia Græca cauſantur Cretenſes, quòd moribus eſſent aſperioribus, fuiſſe durius arguendos. Anſel-

mus post Gregorium, & Aquinas, Titum naturaliter fuisse valde mitem, vt præ nimia lenitate sermo eius inefficax esse potuerit, nisi cum autoritate imperij feruentior esse iuberetur. Quòd imperij tamen nomine (sicut præmissum est) autoritas vitæ præcipuè designetur, ex eo declaratur quod protinus additur, *Nemo te contemnat*, id est, talem te exhibe tum vita, tum verbo, qui contemni à nemine possis, autoritatem enim verbi ac doctrinæ, vita facit, quanquàm quia superiora tria verba ad doctrinam pertinent, propior literæ sensus est, vt velit Titum non tantùm non vitæ simplicitate despici, sed sic opportunè omnia loqui, vt ne nimia in obiurgando humilitas contemptibilem eum reddat suis subditis, & sic autoritatis pontificiæ siue Ecclesiasticæ contemptum generet. Sic enim Græca Scholia submonent, Paulum etiam velle Episcopum alicuius esse potestatis ac autoritatis. Existimet aliquis idem nunc scribi, quod, primæ ad Timotheum quarto, adolescentiam tuam nemo contemnat. At Hieronymus iuxta Græci sermonis differētiam aliud putat significare hîc περιφρονείτω, aliud illic καταφρονείτω, præpositiones enim sensum facere diuersum, quibus etiam, nedum verbis & nominibus Paulum non fortuitò, nec vt libet, sed pro varietate causarum, vti ex his pauculis perspicuum est, Mu-

Titus, lenis ac mitis natura.

Autoritas pontificia.

Præpositionum vis & energia.

lier ex viro, vir per mulierem, 1.Cor. 11. ex eo, per eum, in ipſo ſunt omnia, Rom. 11. Paulus Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, Gal. 1. Exiſtimat itaque καταφρόνησιν propriè ad contemptum pertinere, cùm quis inter equuleum laminásque diſtētus, nec iudicis comminationem, nec circunſtantis populi fremitũ pertimeſcens, pro martyrij confeſſione dolorem contemnit, & vniuerſa ſupplicia deſpicit, Cui contrarius eſt & malus contemptus, de quo Habac. 1. Videte contemptores, & inſpicite mirabilia, & diſperdimini. Timotheo itaque ſcribit ſic, Nolo te talem exhibeas, vt poſſis meritò ab aliquo cõtemni. At περιφρόνησις ſonat, Stoicis præſertim, qui ſubtiliter inter verba diſtingunt, cùm quis ſibi confidens ſe alio meliorem eſſe deſpicit quem inferiorem putat, & ſuper, id eſt, plus ſapiens, humiliorem exiſtimat contemptu dignum. Tale quid intumeſcens ſuperbiæ vanitate, cælum ſolémque deſpiciens apud Græcos quidam dixiſſe deluditur. Socrates in Ariſtophanis nebulis Eraſmo indicãte, ἀεροβατῶ καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον, quod Latinè vertit Hieronymus, Scando per aërem, & pluris me eſſe noui quàm ſolem. Tito ergo dicitur, Nemo eorũ qui in Eccleſiis ſunt, per te ſegniter ſic viuat, vt ſe meliorem eſſe putet. Qualis enim diſcipuli ædificatio, ſi ſe intelligat magiſtro maiorem? Vnde non Epiſcopis ſolùm, Preſbyteris, diaconis magnoperè prouidendum, vt cunctum populum cui præſi-

dent,conuersatione & sermone præcedant,sed & gradus inferior, exorcistæ, lectores,æditui, & omnes omninò qui domui Dei seruiūt,quia vehementer Ecclesiam destruit, laicos meliores esse quàm clericos. Habes hîc obiter ordinum in Ecclesia veteri,præter scriptos à Paulo, mentionem,testimonium,ac differentiam. Et verò cum eodem quod & alibi idem queritur, obseruemus ac gemamus, clericos post tanta beneficia vertisse in contemptum priuilegia dignitatis,ad id Hier.2. Sacerdotes non dixerunt vbi est Dominus,& ad id Thren.4. Quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus?Cùm quorundam (ait) qui agere religiosè credebantur, existimatio ante acta minuitur,nam cùm quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato, ante humanos oculos eius reuerentia despecta pallescit, &c.

Clerici laicis præstare debent.

CAPVT III.

Admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire, ad omne opus bonum paratos esse. Neminem blasphemare, non litigiosos esse, sed modestos, omnem ostendentes mansuetudinem ad omnes homines.

HVcusque Paulus Titum instituit super Ecclesiæ regimine, iuxta gradus speciales & singulos status. Iam instituit generaliter, & quoad omnes: vt se omnes inquàm, & singuli gerere habeant erga prĩcipes primùm, mox vt ad æquales, tum etiam erga hæreticos. Primùm ergò monendos omnes præscribit, qualiter ad superiores se habeant, quidque iis debeant, Subiectionis nimirùm reuerentiam, & iussionis obedientiam. Dixi, inquit, de quo tuos vtriusque sexus, cuiusuis ætatis & conditionis admoneas, ne quod conclusi cum summa interim autoritate & imperio monendos, opineris commissum tibi populum, tibi tantùm subiici debere, non etiam mundi huius Regibus, principibus, & secularibus eorum magistratibus, hæc remouet dicẽs, *Admone illos*, quósnam? generatim omnes, ne iterum putes seruos tantum Dominis subesse suis debere, non etiam ingenuæ cõditionis homines, & à seruili conditione alienos, tamen

principibus ἀρχαῖς principatibus, ſic enim magis ſonat. Notat Hieronymus & poteſtatem ſignificare. Maioribus ergò primùm, vt Regibus, quia prima & maxima ſunt populorùm capita, tum *& poteſtatibus*, minoribus, vt ducibus, conſulibus, tribunis, & ſimilibus, qui ſub illis poteſtatem ſuper alios habent, vt vulgus vocat, officialibus *ſubditos eſſe*, parêre, ſoluendo tributa & cenſus eis debitos, *dicto obedire*, q. d. ad ſolum eorum verbum imperata facere, ne oporteat eos violentia cogi. Ambroſius & Hieronymus, *dicto* omiſſo, ſimpliciter verterunt *obedire*, Græcis πειθαρχεῖν propriè eſt magiſtratibus parêre. Et quia poterat his qui tormenta formidant, occaſio ad negandum dari, dum iuxta hoc Apoſtoli dictum, aſſererent ſe principatibus ſubeſſe, & quod iuberent, facere, ſubiecit, *ad omne opus bonum*, vt ſiquidem bonum eſt quod præcipit vel Imperator, vel præſes, iubentis obſequare voluntati: Sin malum eſt, & contra Deum ſapit, vt vel idoli culturam, vel quodlibet nefarium, reſpondeas, obediendum Deo magis quàm hominibus, Act. 4. 5. Quod & ſuprà de ſeruis, vxoribus, filiis, apud Dominos, maritos, parentes, obſeruauimus, quòd his illi in iis tantum debeant eſſe ſubiecti, quæ contra Dei mandata non veniunt. Hæc cùm Hieronymus admonet, cum ſuperioribus copulat, & hucuſque finit, quaſi aliud proprium & ſpeciale præceptum ſit, quod ſequitur, *paratos eſſe*,

Reges prima & maxima populi capita.

Subiectio quatenus præſtanda.

vt quæcunque euenire possunt, sibi in animo præfigurent, & cùm acciderint, nihil quasi nouum sustineant, sed eis præparata sint omnia. Verùm aliter, quod & idem monet, tum legũt tum exponunt alij, Ambrosius & Primasius, vt ad malum tardi sint, ad bonum verò parati, ad malum nunquam, non nescij quid singulis persolui oporteat. Græci quoque, Quia tunc temporis impij rerum potiebantur, admonet, magistratibus etiam infidelibus parẽdum, id licet indignum se quidã iudicarent, sed necessariam distinctionem subiunxit, & qui debeat haberi in ea subiectione, modum, húnc scilicet, vt ad omne bonum eis se subiicere parati sint, nec enim iis in omnibus vtcunque parendum, & vectigal quidem & tributum conferẽdum, & honorem qui eis cõuenit, tribuendum: ad impietatem verò, aut quod alioqui animæ noceat, aliquid iniungentibus apertè contradicendum, certè non obediendum. Qui aliter, ad malum scilicet prompti & expediti sunt obedire, minimè quo vult modo Paulus, superiorib⁹ subesse & parêre parati sunt, Nec enim promptitudo sola necessaria est, sed etiam discretio, vt eis in illicitis minus sit obtemperandum. Vnde hîc (exempli gratia) negat Aquinas milites teneri in bello iniusto, apertè inquam, iniusto, alioqui ne hoc scholion simpliciter scriptũ, nec expositum offendat, ordo naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas atque consilium penes principes sit,

In illicitis non obediendum superioribus.

Militibus ob seruanda.

exequendi autem iussa bellica ministerium mi lites debeant paci salutíque communi. Quod si humana cupiditate geritur, non nocet Sanctis, in quos non habet quisquam potestatem, nisi desuper datam, Ioan.19. Non est enim potestas nisi à Deo, siue iubente, siue sinente, Ro. 13. Vir ergò iustus sub Rege fortè sacrilego mi litans, rectè potest sub illo bellare, ciuicæ pacis ordinem seruans, cui quod iubetur, vel nõ esse cõtra Dei præceptum certum est, vel vtrum sit, certum non est. Ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, & innocentem mili tem ostendat ordo seruiendi, in can. Quid culpatur, 23.q.1. ex Augustino cõtra Faustum, lib. 22.cap.75. Declarat & id in Psal.124. Iuliani exemplo non iniqui tantùm, sed & Apostatę ac idololatræ, cui tamen Imperatori infideli milites seruierũt Christiani: vbi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi eum qui in cælo erat. Cùm volebat vt idola colerenr, vt thurificarent, præponebant ei Deum. Cùm dicebat, Producite aciem contra illam gentem, statim obtemperabant, Distinguebant Dominum æternum à temporali, huic tamen etiam propter illum erant subditi. Redeo ad Paulum qui tale quod & hîc ad Rom.13. scribit, Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt, Itaque qui pote stati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui auté resistunt, damnationem sibi acquirunt. Nam

Iuliani apostata milites Christiani.

Principes timori sunt operis mali, non boni. Vis ergò potestatem nõ timere?bonum fac, & laudem habebis ex ea. Dei enim minister est tibi in bonum. Sin malũ feceris; time, Nõ enim sine causa gladiũ portat. Dei, inquàm, minister est, vindex in iram ei qui malè agit. Ideóque necessitate subditi estote, non solum propter irã, sed etiam propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis, Ministri enim Dei sũt, in hoc ipsum seruientes. Reddite ergò omnibus debita, Cui tributum, tributum : cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Breuius, 1. Pet. 2. Subiecti estote omni humanæ creaturæ (siue ordinationi) propter Dominum, siue Regi, quasi præcellenti, siue ducibus (præsidibus, prætoribus) tanquam ab eo missis ad vindictam malorum, & laudem bonorum. Omnes honorate, Regem honorificate.

Digressio x.

Iuda Galilæi dogma perniciosum Iudæis.

Hoc autem præceptum & hîc & ibi propterea putat æditum Hieronymus, quia Iudæ Galilæi, cuius etiam, Act. 5. fit mentio, dogmatum adhuc vigebat, & plurimos habebat sectatores, qui inter cætera hoc quasi probabile præferebat ex lege, nullum debere Dominum nisi solũ Deum vocari, eósque qui ad templum decimas deferrent, Cæsari tributa non reddere. Et hic præposteræ libertatis prætextus exitio

fuit vltimo Iudæorum genti, nomini, & nationi, dum inter eorum ſectas Macchabæis principantibus ſubortas, quarta, eodem Iuda autore, tanto licentiæ magis quàm libertatis amore flagrauit, & ſic ſolum Deum Dominum habendum credidit, vt facilius quanlibet exquiſita pœnarum genera perferret cum ſuis cognatis, quàm mortalem aliquem appellaret Dominum. Declarauit hoc Eleazarus trium Hieroſolymæ obſeſſæ tyrannorum longè ſeditioſiſſimus, poſtrema ad reliquias obſeſſorum Iudęorum concione, ſibi videlicet ſuíque ſimilibus omnino decretum, nec Romanis, nec alij cuiquam, niſi Deo, ſeruire, ſoli quippe vero & iuſto hominum Domino, ſic vt ſe potius cum coniugibus, liberis, famulis, & familiis omnibus non vna morte interficerent, quorum miſerandam pertinaciam ſecuti Sicariorum reliqui, Hieroſolymis Alexādriam & Thebas profugi, omni tormentorum genere in eos excogitato, & à Romanis victoribus exercito, nec ad vnum quidem vel puerum ceſſerunt, vt Cęſarem Dominum faterentur vel nominarent. Hæc Ioſephus Antiquitatum lib.18.cap.2. De bello Iud.lib.7.cap.28.29. Simili obſtinatione ferunt auorum noſtrorum memoria Attrebati quoſdam maleferiatos Belgas odio nominis Francici ſculptis per muros & parietes publicos furcis, appenſis albis crucibus, quaſi Regem (erat autem Rex tum Ludouicus XI.) Francóſque ſuſpendio dignos arbitrarentur,

Iudæorum vltimum exitium.

Eleazari ſeditio.

Dominū vel appellare Cæſarem nec morte compelli potuere Iudæi.

Attrebatēſiū obſtinatio.

cùm ob perfidiam capite damnati securim ceruici districtā vel vnico verbo euadere possent, mori maluisse, quàm dicere, Viuat Rex. Gaguinus lib.x. Quod vt obiter, ita sine contumelia dictum sit, nulla enim mihi cum quoquam illic simultas, cum multa contrà nobilitate nonnulla affinitas. Et verò viuat eius gentis princeps Rex Catholicus, & rectè viuat, hoc est, iuxta Horatium, curet, quod & facit, esse quod audit. Vt ad rem redeam, Superior Iudæorum hæresis in tantum creuerat, vt etiam Pharisæorum, & multam populi partem conturbaret, ita vt ad Dominum quoque nostrum referretur hæc quæstio, Licet Cæsari dare tributum, an non? Quibus prudenter cautéque responderit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: quæ sunt Dei, Deo, Matt.22. Marc.12. Luc.10. Quàm igitur falsa, Hunc inuenimus prohibentē tributa dare Cæsari, dicentem se Regem esse, Omnis autem qui se Regem facit, contradicit Cæsari, Luc.23. Ioan.19. Cùm Dominus pro se & Petro tributum censúmque pependisset, Mat.17. & interrogatus à Pilato, num Iudæorum Rex esset, apertè negasset Regnum suum hinc & de hoc mundo esse, Ioan.18. Eadem Paulum & cō ministros vanitate calumniabantur Thessalonicæ Iudæi, sic, Hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, Regem alium dicentes esse, Iesum. Act.17. Non enim habemus Regem, nisi Cæsarem, Ioan.19. Dominico ergò tum exēplo tum responso Apostolus congruens, docet credentes

Christi exemplo magistratibus parendum.

tes

tes debere mundi poteſtatibus eſſe ſubiectos. Et hanc quoque monitionem tūc neceſſariam fuiſſe notauit Aquinas, Primū quidem ad tollendum Iudæorum,qui ſuprà,errorem, qui dicerent non eſſe obediendum mandatis hominum. Secundò vt nullam in Eccleſia facerent inquietudinem.Quod minus obſeruantes turbulenti quidam mota inter Regnum &Sacerdotium controuerſia, mirum quot quantáſque turbas vtrinque dederunt. Atqui tot poſt Paulum, tot ante hanc camarinam annorum centenariis,& Chryſoſtomus vt nihil vnquàm futurum tale ſuſpicans,ſimpliciter illud,*Omnis anima* enarrarat,etiamſi ſiue Apoſtolus ſis, ſiue Euangeliſta, ſiue propheta, ſiue ſacerdos,ſiue monachus, quem illic ſequũtur Theodoretus, Theophylactus,Oecumenius,&qui non Græci?Et Gregorius 1. idem & magnus ingenuè agnoſcebat Imperatori à Deo conceſſum non militibus ſolùm, ſed ſacerdotibus quoque dominari,Regiſtri lib.2.Epiſt.64.Et vtroque tantò poſterior Bernardus ad Henricum Senonēſem Archiepiſcopum, Epiſt.42. ſic colligit, Si *omnis anima*, & veſtra, quis vos excipit ab vniuerſitate? ſi quis tentat excipere, tentat decipere,Nolite acquieſcere conſiliis,&c. Sed hoc egeret proprij operis,neque obiter tractari, vel debet vel poteſt,& nihil neceſſe nunc eſt Sacerdotium cū Imperio committere,multò minus collidere,cōponere certè aliter aut melius non poſſimus,quā quo agnouit modo ſumma vtra-

Principibus & pontificibus vt conue nire possit.

que poteſtas, Chriſtianos nimirùm & prĩcipes pro æterna vita põtificibus, & pontifices viciſſim pro rerum temporalium curſu principibus indigere, quod eſt Nicolai 1. Papę ad Michaëlẽ Imperatorem, in can. Cùm ad verum. Diſt. 96. proinde principes ſacerdotibus terrena poteſtate ſic dominentur, vt & eis excellenti conſideratione propter eũ, cuius & ſerui ſunt, & angeli, reuerentiam impendant. Quod eſt Gregorij 1. ad Mauricium Imperatorem conſilium in can. Sacerdotibus. 11. q. 1. ex Regiſtri lib. 4. Epiſt. 31. Hîc tantùm agemus, quod Apoſtolus, poteſtates ex diuina ordinatione procedere, proin eis ſiue obediatur, ſiue reſiſtatur, non hominibus tantùm, ſed Deo quoque reſiſti vel obediri, à quo eæ vel inſtituuntur vel deſtituuntur, quod eſt Lyrenſe ſcholion. Iſraëlitis igitur toties cõtra Moſem & Aaronem ſummos eius politiæ magiſtratus murmurantibus ij reſpondent, Vos murmuraſtis contra Dominum, nos enim quid ſumus, quia muſſitaſtis contra nos? nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed cõtra eum, Exod. 16. Et Numer. 16. de Rebellione Chore & complicum, Omnis globus tuus ſtat contra Dominũ, quis eſt enim Aaron, vt murmuretis contra eum? Principi ergò populi non maledicendum, Diis æquè, hoc eſt, iudicibus (ſub principe conſtitutis) non detrahendum idem voluit, Exod. 22. ſed iudicis, qui præfuerit, iudicio ſtandum, ſequendam eius ſententiam: ſuperbientem contrà morte puniendum,

Iudæi murmuratores.

Deut. 17. Et subdit constituendum Regem, siquidem constituere velint, eum quem Dominus elegerit. Samüelem ergò tot annos eis iudicem iam seniorem, vel potius eius filios iudices ab eo constitutos, sed degenerantes, fastidientibus, & Regem ab eo reliquarum gentium instar flagitantibus, dixit eidem Dominus, Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos, sicut me dereliquerunt, & Diis alienis seruierunt, sic faciunt etiam tibi, 1. Reg. 8. De Saüle autem Rege horum primo diuinitus instituto atque destituto, Ecce (ait inungens eum idem Samüel) vnxit te Dominus super hæreditatem suam in principem. 10. & 15. Nonnè cùm paruulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israël factus es, vnxítque te Deus in Regem? Nunc autem proiecit te Dominus, ne regnes, scidit à te regnum, & tradidit meliori te. Hinc Dominus Ose. 13. Dedi tibi Regem in furore meo, & abstuli in indignatione mea. Et Act. 13. Paulus, postulantibus Regem dedit Saülem, quo amoto, suscitauit Dauid, vt esset Rex, quod & hic agnoscens psallit Domino, Qui dat salutem Regibus, magnificans salutes Regis, docens manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, 2. Reg. 22. Psal. 17. 143. Et apud huius filium Salomonem peræquè à Deo creatum Regem, æterna & increata Sapientia Dei Filius, Per me Reges regnant, principes imperant, potentes &

Reges à Deo constituti.

Saul, rex vn-ctus.

Dauid rex.

Salomon rex.

legum conditores iusta decernunt, Prouer. 8. & Sap.6. Audite ergò Reges, & intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino vobis potestas, & virt⁹ ab altissimo. Regnare autem non bonos tātùm, sed & malos, Deo ita disponente, cōstitit ex schismate, sub huius, Salomonis inquam, filio Roboamo, rebellante huic Hieroboamo, cum domo Iuda & tribu Beniamin contra Israëlem rebellem pugnare paratis; misso Dominus propheta, Non ascendetis, ait, neque bellabitis cōtra fratres vestros Filios Israël. Reuertatur vir in suā quisque domum; à me enim factum est verbū hoc, 3.Reg. 12. quod & multò antè S.Iob dixerat ita, Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi, ad eum scilicet affligendum, qui Reges in solio collocat in perpetuū, & ij eriguntur, Iob, 34.36. Iudicibus quoque oppidatim constitutis Iosaphat Rex sanctissimus sic præcipiebat, Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit, 2.Paral.19. γνώμη sanè quàm aurea, & omninò dignissima, quā Senatus Lutetiæ amplissimi auditorium, quod laqueati tecti & inaurati vocant, non in parietibus modò pictam, sed & in cordib⁹ inscriptam habeat. Sic Esaias, cap.6. Deum Regali habitu sedere conspexit, vt agnosceret nisi à Deo regerētur Reges, eos, cùm sint homines, nihil re-

Regnant etiam mali.

Iudicibus animaduertēda monitio.

Senatus Parisiensis auditorium inaurati tecti.

gere posse rectores, vt concionatur Petrus Chrysologus (floruit is sub Martiano Augusto bonis adhuc & doctis temporibus) Serm. 131. Et Dominus De⁹ de Rege Cyro, profano quidem principe, sed populi sui liberatore tantò pòst futuro, apud eundem prophetam, cap. 44. & 45. Pastor meus es, omnem voluntatem meam complebis, cuius apprehēdi dexteram, vt subiiciam ante faciem eius gentes, dorsa Regum vertam, aperiam coram eo ianuas. Ante te ibo, gloriosos terræ humiliabo, portas conteram, vectes cōfringam. Dabo tibi thesauros, vocaui te, cognominaui te, accinxi te. Suscitaui eum ad iustitiam, omnes vias eius dirigam. Et quamobrēm, quæso? propter seruum meum Iacob, Israël electum meam, meam ille ædificabit ciuitatem, captiuitatem dimittet. Hoc autem annis pòst 210. Cyrum ex Esaiæ lectione resciuisse testis est Iosephus Antiquitat. lib. 11. cap. 1. admiratúmque prophetæ diuinitatem, correptum fuisse cupidine exequendi quæ scripta legerat, credentem in Deum quem Israëlitæ adorabant. sicut & in sacris scriptum est, Et suscitauit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum, qui iussit prædicari in vniuerso Regno suo etiam per scripturam ita, Omnia Regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cæli, vt ei reædificarem domum in Hierusalē, 2. Paral. 36. Esdr. 1. Et certè Regem hunc diuinitus seruatum vel ex profanis discimus, quod & agnoscebat, eisque scribens suggerebat eius quon-

Cyrus quomodo in Deū crediderit.

dam infantuli expositor Harpagus, nimirùm nisi Diis respicientibus, in tantùm fortunæ non peruenturum fuisse. Rectè, si Deo respiciente dixisset. Supra hominem certè fuit Cyri tum genitura, tum expositi conseruatio, tum regnantis qua aduersus hostes vsus est, fœlicitas: quancunque enim gentem is inuadebat, ea gens nullo pacto euadebat, ait Herodoti Clio, Iustinus lib. 1. & c. De cuius etiam successoribus testatur idem Scriptura, quòd conuerterit Dominus cor Regis Assur Darij ad Iudæos, vt adiuuaret manus eorum in opere domus Domini, quòd dederit in cor Regis Artaxerxis, vt glorificaret domum Domini in Hierusalem, 1. Esd. 6. 7. Et ita quidem Dominus de Cyro Christo suo, populíque sui, vt dixi, liberatore. Quid igitur de impio gentis eiusdem captiuæ tyranno? Quoties seruum eum suum, quoties columbam vocat? Hierem. 25. 27. 46. 50. Ego (inquit) feci terram & homines, & bestias & iumenta, & in fortitudine mea magna & brachio meo extento dedi ei qui placuit in oculis meis. Et nunc itaque omnia hæc dedi in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis serui mei, & assumam eum & adducam super terram hanc, & seruiant ei Reges magni, gentes multæ, adeóque omnes, & filio eius, & filio filij eius, donec veniat tempus terræ & ipsius. Et facta est terra in desolationem à facie iræ & gladij columbæ Domini. Eius ita-

Cyri res miranda.

Nabuchodonosor Christi seruus.

que somniorum, & Baltasari eiusdem filij visionis interpres Daniel, cap. 2. 4. 5. Mutat (inquit) Deus & ætates & tempora, transfert Regna atque constituit Dominus excelsus, & potestatem habet altissimus in regno hominum, quod cuicunque voluerit, dabit, & hominem vel humillimum super illud suscitabit atque constituit. Dei quoque optimi maximi, sempérque viuentis beneficio Rex magnus Artaxerxes regnum sibi patribúsque suis traditum, conseruatúmque, idem nimirum à Mardocheo, quod superiores ab Esaia & Daniele, edoctus, publico scripto professus est, Ester. 16. Regnorum autem tum institutionis, tum etiam translationis causam, præter eam quam superiores catechistæ catechumenis suis Regibus reddiderunt, vt hæc scilicet ij de Deo sentirent, scirent quòd homines essent, Filij quidem excelsi, adeóque Dij, sed sicut homines, morituri, Psal. 81. & sic sentientes, intelligerent, erudirentur iudicaturi terram, seruirent Domino in timore, disciplinam apprehenderent, electum Dei Filium oscularentur & adorarent, Psal. 2. 71. gloriam eius timerent, 101. confiterentur, cantarent in viis Domini, omnia denique oris eius verba audirent, 137. Præter diuini inquàm, nominis gloriam & populorum salutem, addit & hanc tertiam Sapiens, Principatus sensati stabilis erit, Rex insipiens perdet populum suum, In manu Dei potestas terræ: & execrabilis omnium

Artaxerxes rex.

gentium iniquitas, vtilem rectorem suscitabit in tempus super illam. In manu Dei potestas hominis, super faciẽ scribæ imponet honorem suum. Odibilis coram eo & hominibus superbia. Regnum à gente in gentẽ transfertur propter iniustitias, iniurias, & contumelias, & diuersos dolos, Ecclesiastici 10. Sed ne hæc quidem celauerat Baltasarum Regem Daniel propheta, ô Rex, inquiens, Deus altissimus Regnũ, magnificẽtiam, gloriam, honorem dedit patri tuo, præ quibus vniuersi populi, tribus, linguæ tremebant eum ac metuebant. Quos volebat, interficiebat, percutiebat, exaltabat, humiliabat (en non tantùm fortè potestas, sed & iniquitas, iniuria, & iniustitia.) Cùm autem eleuatum est cor eius, & spiritus ad superbiam obfirmatus (en superbiam & insipientiam) depositus est de solio Regni, à filiis hominum eiect⁹, cum bestiis habitauit, donec Deum cognoscceret, &c. Tu quoque filius eius, cùm scires hæc omnia, non humiliasti cor tuum, sed aduersus dominatorem cæli eleuatus, Deos qui non sentiunt, laudasti, Deum qui flatum tuum, & omnes vias tuas habet in manu sua, non glorificasti. Idcirco numerauit Deus regnum tuum, cõpleuit illud, diuisum est, & datũ Medis ac Persis, dictum simul & factum, euersis eadem nocte Baltasaro cæso Chaldæis seu Assyriis, & aliquantò pòst per Cyrum Persam Medis, multò item pòst Darium euersurus Dominus Deus Persicam monarchiam, Alexandro Philippi

Baltasarum rex à Daniele de Deo doctus.

Alexander

Macedonum Regis filio, cuius ad id Imperium destruendum opera vti decreuisset, inter alia Maiestatis suæ magnalia, mare Pamphylicum, vt Moysi olim Erythræum Exod. 14. eiúsque exercitui peruium fecit. Quòd cùm Iosephus Antiquitat. lib. 2. cap. vltimo, ab omnibus scriptoribus, qui Regis eius res gestas scripserunt, testatum esse autor sit, mirũ in eorum, qui quidem extent, adeò non extare, vt id minimè Iosepho credendum putet Crinitus honestæ disciplinæ, lib. 17. cap. 13. Non verò tam incredẽdum, nec sine numine, quod eidem adhuc in Dio Macedoniæ de subigẽda Asia deliberabũdo per somnium visum esse Deum, eodem quò pòst habitu Pontifex Iaddus Hierosolymis ei cum Sacerdotio & plebe obuiam iuit, hortatúmque forti animo esse, exercitum sine mora traiicere, ductu suo Persarum Imperio potiturum, idem tradidit lib. 11. cap. vltimo. Sed & Regem suum Deo, eiúsque templo, vrbi, sacerdotio, populo honorem ideo reddidisse; cum allata & ostensa ei Danielis prophetia, vbi à quodam Græco Persas debellandos is prædixit, cap. 7. & 8. Hũc ipsum esse, quem oraculum significabat, interpretatus, lætus abiit, multa prius Iudæis beneficia priuilegiáque largitus, Cuius etiam nominatim meminit, & res eius gestas perstringit, cap. 1. li. 1. Machab. Quartam porrò eandémque monarchiam postremam, Cæsaris nimirùm, Christus sub eodem natus, census, passus, mortuus, & agnouit, & suis tum

Macedõ in Pamphyliciũ mare peruiũ.

Somnij visũ mirabile.

verbo, tum exemplo, tunc agnoſcendum monſtrauit.. Habemus itaque Monarchas, Reges, Imperatores, principes, ac proinde magiſtratus eis inferiores, diuinitus inſtitutos,& vt tales, hoc eſt, Dei Vicarios & Miniſtros,dona & organa,reuerendos. Senſerunt idem vtcunque priſci gentiles. Æthiopes, & ab iis permulta mutuati Ægyptij,Reges ſuos Deos eſſe rati ſunt;aut certè tanquam Deos reueriti,non arbitrati eos ad tantum,támque celſum honoris gradum fuiſſe peruenturos,niſi numine quodam diuino. Rebus itaque bene ac præclarè geſtís,bene de hominibus eſſe meritos,ac proinde diuinæ quodammodo naturæ conſortes ac participes. Hi viciſſim rati ſe beatos fore legibus parendo, & tanta erga ſubditos vſi iuſtitia,omnium beneuolentiam aſſecuti ſunt, vt ſingulis & omnibus ſubditis maior Regis quàm vxorum & liberorum ſalutis ineſſet cura. Autor lib.2.& 3.Rerum antiquarum Diodorus. Neque de nihilo finxit Homerus, ſub Iouis clypeo ac patrocinio verſari principes,Reges Iouis eſſe filios,alumnos, confabulones,amicos & diſcipulos,& Iouis artem Regiam,vt eſt apud Dionem Chryſoſtomum in Oratione 4. de Regno, vt non minus verè quàm regiè Rex Aragonum Alfonſus auorũ noſtrorum memoria negauerit regios animos priuati cuiuſquam arbitrio regi, ſcribēte Crinito lib.18.cap.9.Itaque Ioannes 1.rom.Pont. in Epiſtola ad Imp.Iuſtinianum.C.De Summa

Monarchas & reges à Deo inſtitui

Æthiopes & Ægyptij reges ſuos Deos arbitrati.

Regum dignitas.

Trinitate.L.Inter claras vetus id, ex historia sacra mutuatus est, *Cor Regis in manu Dei*, Prou.21. Est autē dimeter Iambicus. Omniū verò maximè Christianorum principum, vt quorum dominatio ac præstátia, quod ad Theodosiū Imp. scripsit Alexandrinus Cyrillus, imago quædam sit diuinæ naturæ, ac Regni cælestis, inter eos qui terram incolunt, velut imitatio. Hæc de maiestate Regum & principum, hic vicissim locus exigebat, vt de officio nonnihil dicerem, nisi sic Commentarius in immēsum exiret, aut etiam iandudum actum agerem, emissa anno Dñi 1547. Epistola Christiani Principis institutoria, quid is Deo in primis debeat, quid Ecclesiæ tot abusibus, erroribus, hæresibus repurgandæ, quid familiaribus & amicis, quid prouinciarum prætoribus, quos Gubernatores vocamus, quid magistratibus iuridicūdo & cuíq; reddendo vacātibus, quid clero denique & populo tot bellis & tumultibus attrito, tot angariis & parangariis hactenus exucto & exossato. Hic pauca addam, ne quis eorum interesse putet res solùm profanas, non etiam sacras bene habere, quasi diuini Decalogi secundæ tantùm, quæ est erga proximum, nō etiam primæ, quæ erga Deum & Ecclesiam, tabulæ custodes sint, Seculi principes potestatis in Ecclesia culmē adeptos esse, vt per eam disciplinā Ecclesiasticam muniāt, & quod sacerdotes efficere sermone non præualent, hoc terrore potestas imperet, & cæleste regnum per terrenum

proficiat, quique intra Ecclesiam positi, contra eius fidem agunt, vigore magistratuum conterantur, & quam Ecclesiæ autoritas disciplinam exercere minus valet, ceruicibus superborum principalis potestas imponat. Cognoscant ergo ij Deo sese rationem reddituros, propter Ecclesiam quam à Christo tuendam suscipiũt, Cuius pax & disciplina per eos siue augeatur, siue soluatur, rationem ab eis exiget, qui eorum potestati eandem tradidit, vt etiam in iis locum habeat id, Hebr. 13. Obedite præpositis vestris, & subiacete (deferte, cõcedite) eis: ij enim peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Ex canonib. Ecclesiast. 23, q. 5. ca. quoniã vt habet canon sequens, res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad diuinã confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis, defendat autoritas, quæ clausula est Epistol. 31. Leonis 1. ad Pulcheriam Augustã Theodosij iunioris sororem, & in Imperio administram, virginem sanè sagacem & consultissimã. Et 38. Martiano Aug. gratias agẽs pro sua pia in Dei Religionem sollicitudine, qui vos, ait, ad hoc vt fides catholica ab insidiis inimicorum defenderetur, elegit, Et ad Imperatoris enim, & ad omnium salutem pertinet, vt Dei cultus nullo errore lædatur. 65. ad Eudoxiam Augustam, Clarissimè verò 75. ad Leonem Augustũ, Debes, ait, incunctanter aduertere Regiam potestatem non solùm ad mundi regimen, sed vel maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam,

Pulcheriæ Augustæ cõmendatio.

vt ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta, defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata, restituas, depellendo scilicet peruasores Iuris alieni, & antiquæ fidei Sedem Alexandrinam reformando, vt correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, Regiæ ciuitati, quę anteà admissa sunt, remittat, nō retribuat. Cōstitue ante oculos cordis tui, Venerabilis Imperator, omnes qui per totū orbem sunt, Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, supplicare, in qua re specialius ambiūt, &c. Vides quid summus Pontifex, quid totus tum clerus ab Imp. supplex ambiebat? Et qui non hodiè sacerdotes à suis quíque Regibus supplices ambiant, an verò nunc quàm tunc minor idem supplicandi ac ambiēdi necessitas? Sed nos si porrò pergimus, nō semel actum tertiò agimus, qui præter superiorē Epistolam gallicam, emiserimus, & alteram Latinam ineunte anno 1562. cuius argumentum est, Quòd Principem literæ deceant, etiam sacræ, imò tantò magis sacræ, quantò is fuerit Christi fidelior, Regem igitur nostrum, vel maximè, quia CHRISTIANISSIMVM. Hîc breuiter addam, quod ne tum festinantem fugit, in Asmoneorum seu Machabæorum tum vtique strennuorū & victoriosorū principum historia, ex descriptionibus & Commentariis Nehemiæ, mentionem fieri Bibliothecæ, quā is confecerat, & in quam de Regibus & Prophetis & Dauide scripta cōgesserat, li. & cap 2.

Literæ principem decēt.

Bibliothecæ veteres.

Occurrunt & 1.Esdræ.5.6. 2.Esdræ.6. Cyri & Darij Persicorum Regum librariæ, non dubiũ quin optimis omne genus libris refertissimæ. Et inter veteres veterum Ægypti Regum ritus, Diodorus vbi antè scribit, Sacro manè facto, Sacerdotem Regi quædam ex libris sacris clarissimorum virorum consilia actáque proferre fuisse solitum, quibus Rex monitus, imperio piè ac iustè illorum exemplo vteretur. Næ qui aliter vel sentiunt, vel cõsulunt, asinum vel bouem, quàm Regem, coronatum malunt, quod & inter Alfonsi Regis Catholica apophthegmata planè Regia, memini à me, vbi suprà, non omissum. Sed si principũ nihil interest rerum sacrarũ, cur de negotiis Ecclesiasticis in Codice, in Nouellis, in Authenticis tot Augustæ leges atque constitutiones, tot in nostris, & omnium Christianorum Annalibus edicta Regia, tot denique Senatusconsulta? Audio. Cùm horrenda per vniuersam Galliam exercerentur viuicõburia, Res erat scilicet Regia religio. Cùm agitur, & necessariò agitur de clero, monachismóque reformando, de pastoribus ad caulas suas amandandis, vtque verbo pascant, compellendis: Res est Synodica & Põtificia. Sic enim audiui & memini distinguere, & quidem Episcopos. Quasi verò principes tantùm sint alieni zeli, plerunque indiscreti, & sine scientia, ministri, ne dicam crudelitatis carnifices, non etiã vt Ecclesiæ filij, sic omnium eius sanctionum externi custodes, assertores, & vindices. Sed rẽ

olimiam egerunt, & nuper Tridenti admota velut extrema manu, peregerunt & Synodus & Pontifex: Num continuò pastores etiam illinc reduces, & canonum reformatoriorum, & residentiæ ac prædicationis præceptoriorum cõditores, post Synodum etiam à Pontifice confirmatam, vel plus solito in pascuis assidui, vel minus in Cathedris inauditi? Magna (vt anteà) absentia, & æquale propemodùm silentium. Deficere malunt quam desinere, & à reformatoribus, qui se sic superbissimè inscribunt (cùm nihil minus sint) exturbari, quàm à Regibus & principibus reformari, & vt sint in officio quisque suo, cogi: Sed de Regum, principum, magistratuum, tum honore, tum officio, si non satis, certè quã pro Cõmentario nimis. Sequitur in textu vt se quisque ad æquales habere debeat, primò quidem quoad mali vitationem, siue proximi offensam, *Neminem blasphemare*, ne de quoquam maledicant, non tantùm vel hero suo, vel Rege, vel Episcopo, aut alioqui superiore, quibus sæpe plebs detrahit, sed nec aduersum quidem principem fideles blasphemare debent, ne ab eo premantur & affligãtur, vt quietam, ait noster hic alibi, & tranquillam vitã agamus, in omni tum pietate, tum honestate, 1. Tim. 2. & inter sectarum notas, 2. Pet. 2. ponitur, magistratibus maledicere. Æquè pastoribus nõ maledicendũ, Nã & illud, Exod. 22. Principem populi tui nõ maledices, Paul' Act. 23. ad principẽ sacerdotũ applicauit,

Reformatores, scilicet.

Magistratibus maledicere, secta nota.

& idem præpositis parendum cedendúmque scribit, Hebr. 13. vt cùm hoc faciãt, hoc est, peruigilent, & non gementes, hoc enim non expedit vobis, è re vestra non esset, imò inutile esset ac noxium. Nunc autem neminem vult maledici, ne maledici quidem merentem aut remaledici, non iniurium, non iniuriosum, sed vel patienter tolerare, vel rationabiliter obuiare, ait hîc Lyrẽsis. Græci βλασφημίαν hoc loco exponunt conuitium aduersus fratrem, vt quisquis is fuerit, etiamsi malè faciat, & in aliquo labatur, neminem omninò maledictis insectemur, aut cuiquam conuitiemur: Oportet enim purum seruare os nostrũ à maledictis & conuitiis: aut enim vera sunt, ac ne sic quidem nostrà interest ea iudicare, sed iudici iudicanda relinquere, aut etiam proponere, Nam tu, inquit, cur fratrem iudicas? Rom. 2. 14. Matth. 7. Sin vera non sunt, vides quantùm subsit periculi. Qualiacunque sint, vide magis ne in te talia hæserint, aut etiamnum hæreant, aut certè hærere possint, ac proin eadem in te torqueri. Qui se stare putat, videat ne cadat, 1. Cor. 10. Præsertim cùm is qui cùm malediceretur, non maledicebat, 1. Petr. 2. eum qui fratri suo Racha dixerit, concilio: qui fatue, reum gehennæ ignis pronunciauerit, Matth. 5. Quid ergò? Benedicite maledicentibus vos, Luc. 6. benedicite inquã, & nolite maledicere, Rom. 12. &, Non reddẽtes maledictum pro maledicto, sed è contrario benedicentes, quia in hoc vocati

Blasphemia.

Maledicẽtia vitanda.

cati estis,vt benedictionis hęreditatē possideatis, 1.Petr.3.& alter,Benedicimus,laboramus, & maledicimur,1.Cor.4.1.Tim.4.Si quis inter vos frater maledicus est,cum eiusinodi nec cibum sumite,1.Cor.5.6.Neque maledici regnū Dei possidebunt,&c,nemo vestrum patiatur vt maledicus,1.Petr.4.Quæ vtinam attenderent, qui se hodiè Euangelicorum nomine venditāt, in quorum plerunque vel vna paginā plus reperire est conuitiorūm,quàm in toto Augustino, scriptore quanlibet alioqui & voluminoso & polemico,vt qui hos legūt,alij detestatos abiiciant sana grauitate,alij suauiter hauriāt maleuola voluntate.Sequerentur huius magis tum morem,tum consilium.Ego (inquit contra literas Petiliani,lib.3.cap.1.) quando cuique vel dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantū mihi Dominus donat,frenatis & coërcitis vanę indignationis aculeis, auditori lectorivè consulens,non ago vt efficiar homini conuitiando superior,sed errorem conuincendo salubrior, &c.Argutatur Aquinas,Blasphemiam esse criminis in Deum,non in proximum relationem, Respondeo,proximi vt honorem & dilectionem,sic improperium in Deum referri,Proinde blasphemiam hîc pro quauis maledictione occulta vel manifesta sumi.Et Apostolum specialiter de verbis monere,quod tunc, hoc est, in primitiua Ecclesia,paucis factis in fratrem peccabant.Si quis autē verbo non offendit,hic

Euangelicorum nomine tenus scripta maledictis plena.

perfectus eſt,Iac.3. Verbo autem fratrẽ dupliciter offendimus,primùm perſonam eius, cõuitiando,de quo hîc,ſecũdò res eius externas, collitigando, de quo mox litera nullo medio. Altius autem ſuſpexit D.Hieronymus,neminẽ blaſphemare ſimpliciter & abſolutè dictũ, nõ neminem hominem,non angelum,non aliquã Dei creaturã,Omnia quippè à Deo facta, valde bona,Gene.1.Si enim Michaël Archãgelus cum Diabolo diſputans de Moyſi corpore, nõ eſt auſus ei maledictione licet digniſſimo, iudicium inferre blaſphemiæ,ſed dixit, Imperet tibi Deus.Iud.quantò magis nos ab omni maledicto puri eſſe debem'?Merebatur certè Diabolus maledictũ,ſed per archãgeli os blaſphemia exire non debuit.Huic Hieronymi ſcholio ſimile eſt quod Ioſephus Antiquit. lib.4.cap. vlt.citat velut à Moſe ſcriptum,Diis alienis nemo malè loquatur,ſiue,null' blaſphemet Deos, quos aliæ ciuitates eſſe putant. Et lib. 2. contra Apionem,Noſter(ait)mos eſt propria cuſtodire,non aliena potius accuſare,& vt neque ridere,neque blaſphemare debeamus eos qui apud alios putantur Dij, apertè nobis legiſlator interdixit propter ipſam appellationem. Id verò vbi vel apud Moſem pictũ ſit,non video. Nam illud Exod.22.Diis(Elohim)nõ detrahes, poſt Onkeli Thargũ veteres& recentiores non tantùm expoſuerunt,ſed & verterunt,*Iudicibus*,idque ita intelligi exigit, tum quòd nullo medio ſequitur,Principi populi tui nõ maledices, tum

Maledicentia quã graue ſit peccatum.

Dij dicuntur & iudices, & magiſtratus.

quod paulò antecedit, de suspecto depositi furto ablati, *Applicabitur ad Deos*, ad conspectũ iudicũ, ante recuperatores. Sed & magistratus alibi clarissimè Dij vocantur, Psal. 81. Deus stetit in Synagoga Deorũ, in medio Deos diiudicās. Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes, ad quos nimirùm sermo Dei factus est, Ioan. 10 .i. diuinitus aliis imperandi demandatũ munus, & cōmissa Dei vice vitæ & necis in suos potestas. Quòd autem causatur Deos non maledicēdos, quia neque nominandos, Verũ: Non audietur nomē externorũ Deorũ ex ore vestro, Exod. 23. & confirmatur, Ose. 2. Zach. 13. nullā taliũ nominum fore amplius memoriā, siue mentionē, de quo nos in præfatione ad sacras Heroides, de lectione gentiliũ, &c. Ad Hieronymum redeo, quócum hoc tantùm nunc dixisse sufficiat quòd Christi discipulis blasphemare aut maledicere vlli non conuenit. Omniũ verò minimè Regibus, principib', magistratib'. De quo canō Apostolic', aliis 83. aliis 84. 1, penultimus, Quisquis βασιλέα Regē seu Imperatorē aut magistratũ cōtumelia affecerit, suppliciũ luito. Et quidē si clericus, deponitor: si laic', à cōmunione remouetor. Vbi Zonaras adnotat: magistratus dicto factóve lędere nō licere, vel, vt tũ, infideles: at eos cōtrà quā deceat agētes, reprehēdere nō prohiberi, reprehēsionũ verbis etiāsi fortè acerbiorib', vehemētiorib', & nōnihil ad reprehēsorũ cōtumeliā spectātib', Nō permittit enī canon iniuriā, hoc est, conuitiũ contra ius facere.

Principes licet reprehēdere, non maledicere.

Ex contrario intelligitur, quòd & Reges & primates iustè quis increpans, non est punitione dignus. Atque hic obrueremur exēplis SS. patrum Fabiani Papæ, Basilę, Athanasij, Maridis, Ambrosij, Chrysostomi, Gregorij, Bernardi, erga Numerianum, Constantium, Iulianum, Theodosium, Archadium, Mauritiū, Cæsares, Ludouicum Regem Iuniorem. Et cuius quæso nō sanctissimi cuiusque Pastoris in principes non impios tantùm, sed & pios, sui tamē, vt fit, interim oblitos? Extat in C. Theodosiano lib. 9. tit. 4. in Iustinianeo, li. 9. tit. 7. Lex vnica. Zonare quidem hic, sed aliunde citata, tit. 36. lib. 60. in cap. 13. Hexecōtabibli Imperatoriarum cōstitutionum, sic abbreuiata. Si quis malè Regis mentionem fecerit, pœnę non subiacet, nam si per leuitatem excessit, contemnendus: si per insaniam, miseratione dignus: si per iniuriam lacessens, id est per gratiam condonādum: Sed quæ de illo sunt, principi significari oportet. Dignissima verò, quæ huc tota transferatur. Eam tulere Imppp. Theodosius, Arcadius, Honorius AAA. Sic igitur habet. Si quis modestię nescius, & pudoris ignarus, improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit lacessenda, aut tumulētia turbulentus obtrectator temporum nostrorum fuerit: eum pœnæ nolumus subiugari, neque durum aliquid, nec asperum volumus sustinere: quoniam si id leuitate processerit, contemnendum est: si ex insania, miseratione dignissimum: si ab

iniuria, remittendum. Vnde integris omnibus hoc ad nostram scientiam referatur: vt ex personis hominum dicta pensemus, & vtrum prætermitti, an exquiri debeant, censeamus. Et de veteris quidem tum Synagogæ, tum Ecclesiæ pro principibus etiam impiis solenni precandi ritu, nos abundè in 1. Tim. 2. Sanctè ergò Apostoli, cùm viderent non debere Christianum suum cura rerum vitæ huius intricari: obedire nos rectoribus ac præfectis iusserunt, non solũ commodis & mitibus, sed asperis quoque & difficilibus. Nec parêre & honorare (REGEM, ait Petr⁹ princeps apost. HONORIFICATE. 1. cap. 2. & Salomon, Prou. 24. Time DOMINVM, fili mi, & Regẽ, & cum detractoribus, id his qui tumultuantur, deficiunt ab eo timore, cum mutantibus, inconstantibus, & iterantib⁹ iniquitates, supple, suas, cum declinantibus, rebellibus, rerum nouarum studiosis & seditiosis, non commiscearis, commercium non habeas, quoniam repentè consurget perditio eorum, & ruinam amborum quis nouit? incognita nimirùm eis vtriusque sæuitia seu seueritate. Tantùm de hoc versiculo obiter) non hos inquàm, solùm honorare volunt, sed & pro illis orare cælestem Patrem nostrum, vt sapienter populum regant, cuius administrationi præsunt. Id cùm disertis verbis præcipiunt, tum ipsi ac martyres deinde omnes præstiterunt. D. Cypriano, cùm esset tanquam crimen obiectum à præfecto, quòd in Cæsarem coniu-

raſſet, reſpondit, Longiſſimè abſumus nos Chriſtiani ab iſta culpa, qui Cæſari, etiamſi alia ſacra, alios Deos colenti, tamen quia princeps noſter eſt, bene & cupimus & precamur, & rogamus Deum noſtrum, vt mentem illius ad cogitationem verorum bonorum adducat. Plures vbi ſuprà, tũ huius ſancti martyris, tum aliorũ ſanctorũ loci nobis allegati. Et frequens pòſt in hiſtoriis Græcis ſummorum tum põtificũ, tũ principũ nominis in ſacris myſteriis occurriit vel expreſſio vel ſuppreſſio. Vt inter capita pacis & cõcordiæ inter veteris & nouæ Romę Eccleſias ineũdę, imperãte Michaële Palęologo, primum fuit, in ſacris hymnodiis, Papæ cum quatuor patriarchis memoriam celebrari, Autor Nicephorus Gregoras, lib. 5. & in fragmentis Pachymerij lib. item 5. Illo quoque teſte lib. 4. Arſenius patriarcha Byzantinus mandauit nomen Cæſaris Alexij per annum integrum vnà cum Imperatorum in omnibus Romanis prouinciis, hymnis aliíſque laudibus celebrari, & Imperatoris, ſacris licet interdicti, mentionem in Pſalmodiis non ſuſtulit, lib. 9. Andronicus contrà ſenior iunioris ex Eccleſiaſtico præconio amotionem proclamari, eiúſque nomen in Eccleſiis omnibus taceri, donec corrigeretur, à pontificibus obtinuit. At nepote in auum præualeſcente, patriarcha ſeniori inſultans, deliberabat quo pacto eius non iam Imperatoris, ſed monachi in Eccleſia mentio fieret. Teſtatur

Principũ in ſacris expreſſio vel ſuppreſſio.

idem lib. 11. cùm Basilius Comnenus, vltimus Trapezuntiorum Rex meretriculam Irenæ Reginæ cognominem deperiret, hoc eum astu & suæ cupiditati, & populi similitudine nominis decepti, votis satisfecisse, quòd in sacris canticis & festis solemnibus, Basilij & Irenes mentio fieret. Et libr. 4. Pachymerii, Arsenium suus cum primiceriis criminatur notarius, quasi matutinæ hymnodiæ initio, Psalmum, qui pro Imperatore caneretur, resecuisset. Nec magis nobis conuenit, quod additur, *Litigiosos*, ἀμάχους, non pugnaces, iurgiosos, aut contentiosos, contra res scilicet proximi externas. Si enim sumus filij pacis, & volumus super nos pacem requiescere, cum his qui pacem oderunt, pacem habeamus, Psalm. centesimo decimonono, & quantùm in nobis, cum omnibus pacati simus, Roman. duodecimo, non modestis tantùm, quæ enim virtus ferre mansuetum? sed etiam cum rixosis. Distinguit Aquinas inter hominum genera, & alios quidem nullis verbis contristari, omnibus assentiri, vnde meritò assentatores dicantur, quosdam verò verbis omnibus resistere & contradicere. Hi sunt litigiosi, quos hîc & alibi Paulus toties improbat: medium tenent, qui verbis prout conuenit, quandóque delectantur, quandóque tristantur, quod de se noster hic testatur, secundæ Corinth. secundo, *Assentatores* *Litigiosi.*

ſuper eodem homine modò peccante triſtatũ, modò pœnitente lætatum. Et de Litigioſis quidem clericis ad tædium vſque nos in digreſſionib.lib.2. cap.8.9.10.11. Hîc addendum quod nobis aliò properantibus, vt ferè fit, in mentẽ non venit, alioqui commodius illic memorandum, Epiſcopos quanlibet aliàs à litibus alienos, eis tamen componendis certas olim horas ſedere ſolitos; ſed, vt videre mihi videor, inuitos, & vt ita loquar, volentes nolentes. Et hanc enim Auguſtinus de multis laboribus occupationem vel moleſtiſſimam fuiſſe ita conqueritur li.de Opere monachorũ, cap.29. Dominũ, inquiens, Ieſum, in cuius nomine ſecurus hæc dico, teſtem inuoco ſuper animam meam, quoniam quantùm attinet ad meum commodum, multò mallem per ſingulos dies certis horis, quantùm in bene moratis monaſteriis conſtitutum eſt, aliquid manibus operari, & cæteras horas habere ad legẽdum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum alienarum pati de negotiis ſecularibus, vel iudicãdo dirimendis, vel interueniendo præcidendis: quibus nos moleſtiis Paulus affixit, non vtique ſuo, ſed eius, qui in eo loquebatur, arbitrio, quas tamen ipſum perpeſſum fuiſſe non legimus. Aliter enim ſe habebat Apoſtolatus eius diſcurſus, Nec dixit, 1. Corinth. 6. Secularia ſi iudicia habueritis, ad nos deferte, aut nos ad iudicandum cõſtituite, ſed eos qui in Eccleſia

Epiſcopi olĩ componendis litibus vacabant.

Litium componendarũ moleſtia.

contemptibiles sunt, hos, inquit, collocate. Ad reuerentiam, siue potius verecundiam, vobis dico. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratres iudicare, sed frater cum fratre iudicatur, & hoc apud infideles? Sapientes ergò qui in locis cōsistebant, fideles & sanctos, non qui huc & illuc propter Euangelium discurrebant, alium negotiorum examinatores esse voluit. Vnde nunquàm de eo scriptùm est, quòd aliquando talibus vacauerit, à quibus nos excusare non possumus, etiamsi contemptibiles simus, quia & hos collocari voluit, si sapientes deessent, potius quā vt negotia Christianorum deferrentur in (profanum seu infidelium) forum. Quem tamen laborem non sine Domini consolatione suscipimus, pro spe vitæ æternæ, vt fructum feramus cum tolerantia. Serui enim sumus eius Ecclesiæ, & maximè infirmioribus membris, quantalibet in eodem corpore membra simus. Et Epistola 47: Proculianum Donatianę partis Episcopum inuitans, vt mutua collatione schisma componant. Et homines quidē causas, ait, seculares apud nos finire cupiētes, quādo eis necessarij fuerimus, sic nos sanctos & Dei seruos appellant, vt negotia terræ peragant, aliquando etiam agamus negotium salutis nostræ, & ipsorum, non de auro, argento, fundis, pecoribus, pro quibus rebus quotidiè submisso capite salutamur, vt dissensiones hominum terminemus. Sed de capite nostro tam turpis ĩter nos & perniciosa dis-

ſenſio eſt, Quantumlibet capita ſubmittāt qui nos ſalutant, vt eos cōcordes in terra faciam⁹, de cælo vſque ad crucem ſubmiſſum eſt capùt noſtrū,in quo cōcordes nō ſumus. Ad has curas Eccleſiaſticas, quas nemo niſi expertus nouit, quàm moleſtas, accommodat verſiculum Pſalmi 118. Samech. *Declinate à me maligni, & ſcrutabor mandata Dei mei*, non ait, faciam, ſed ſcrutabor. Vt ergò ea perfectè diligentérque nouerit, malignos à ſe declinare deſiderat, ac etiam compellendo à ſe abigit, Nam maligni exercent ad facienda, at à ſcrutandis auocant, non ſolùm cùm perſequuntur, aut nobiſcum litigant, ſed etiam cùm obſequuntur & honorant,& tamen cū ſuis vitioſis & negotioſis cupiditatibus adiuuandis & occupemur, eíſque noſtra tempora impendamus, efflagitant, aut certè infirmos premunt, vt cauſas ſuas ad nos deferre compellant;Quibus dicere non audemús,Dic homo,quis me cōſtituit iudicem,aut diuiſorem inter vos? Luc.12.Conſtituit enim talibus cauſis Eccleſiaſticos Apoſtolus cognitores, in foro prohibens iurgare Chriſtianos. Et illis quidem qui non aliena rapiunt, ſed ſua cupidè repetunt, quando dicimus, Cauete ab omni cupiditate, non recedunt nec declinant à nobis, ſed inſtant, vrgent,precantur, tumultuantur, extorquent, vt eis potius ad iſta quæ diligunt,quàm ſcrutandis, quæ diligimus, Dei mandatis occupemur.O quanto turbarum turbulentarum tædio, & quanto diuinorum elo-

quiorũ desiderio dictũ est, *Declinate*, &c. Ignoscãt obediẽtes fideles, qui pro suis secularib. causis rarò nos quærunt, & iudiciis nostris facillimè acquiescunt, nec nos litigando conterunt, sed obtemperando potius consolantur. Certè propter eos, qui & inter se pertinaciter agunt, & quando bonos premunt, nostra iudicata cõtemnunt, faciũtque nobis perire tempora rebus eroganda diuinis, propter tales inquàm, liceat & nobis in hac voce corporis Christi exclamare, *Declinate*, &c. Constat ergò veteres iam tum pastores cognoscẽdis suorum litibus aliquam temporis portionem impendere fuisse solitos, sed valde (quod prædixim') inuitos, quòd sic alienis ab officio suo negotiis implicari, & à recta se vocatione diuertere ac discedere viderent. Quid autem & quantùm episcopis in iis liceat, longè pòst D. Bernardus præscripsit, dum sic Eugenio suo, Papę huius nominis III. De consideratione lib. I. ab iis sedis eius occupationibus exorsus, Quæso, inquit, te, Quale est illud de mane vsque ad vesperam litigare, aut litigantes audire? Quid seruilius indigniúsque summo præsertim Pontifici, quàm non dico, omni die, sed omni penè hora, insudare talibus rebus & pró talibus? Denique quando oramus, docemus populos, ædificamus Ecclesias, meditamur in lege? Et quidem quotidiè perstrepunt in palatio leges, sed Iustiniani, non Domini: iustenè etiam istud? Tu videris. Nã certè lex Domini immaculata, *Bernardus.*

conuertens animas, Pſal. 18. Illę non tam leges quàm lites, & cauillationes iudicium ſubuertẽtes. Tu ergò paſtor & epiſcop' animarum, qua mente, obſecro, ſuſtines coram te ſemper hác ſilere, garrire illas? Hic deſidero, qui Iuſtinianeas leges non probat, Decretales, Bonifacianas præſertim, videre potuiſſet. Pergit autẽ ſic, Et quid vis me facere, inquis? Vt tibi ab his occupationibus parcas, Impoſſibile fortaſſe reſpondebis, facilius cathedræ valedicere poſſe. Rectè hoc, ſi rumpere, & non magis interrumpere iſta hortarer. Audi Apoſtolum, quid de huiuſmodi ſentiat, Sic non eſt inter vos ſapiẽs, qui iudicet inter fratrem & fratrem? Et infert, Ad ignominiam vobis dico: cõtemptibiliores qui ſunt in Eccleſia, hos conſtituite ad iudicandum. Itaque ſecundum Apoſtolum, indignè tibi vſurpas tu Apoſtolic' officium vile, gradum contemptibilium. Vnde & dicebat Epiſcopus Epiſcopum inſtruens, Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſecularibus, 2. Tim. 2. Ego autem parco tibi, nõ enim fortia loquor, ſed poſſibilia. Putaſnè hæc tempora ſuſtinerent, ſi hominibus pro terrena hæreditate litigãtibus, & iudicium à te flagitantibus, voce Domini tui reſpõderes, O homines, Quis me conſtituit iudicem ſuper vos? In quale tu iudicium mox venires? Quid dicit homo ruſticanus & imperitus, ignorans primatum ſuum, inhonorás ſummam & præcelſam ſedem, derogans Apoſtolicæ dignitati? Et tamen nòn monſtrabunt, pu-

to, qui hæc dicerent, vbi aliquando quispiam Apostolorum iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum. Stetisse denique lego iudicandos, Act. 5. sedisse iudicantes non lego, Erit illud, non fuit. Itanè imminutor est dignitatis seruus, si non vult esse maior Domino suo, discipulus eo qui se misit, magistro, vt sępius inculcat omnium Dominus & magister, Matt. 10. Luc. 6. Ioan. 13. 15. Quis me constituit iudicem, ait ille, & erit tibi iniuria, nisi iudices vniuersos? Mihi non videtur bonus rerum æstimator, qui indignum putat Apostolis, seu Apostolicis viris, non iudicare de talibus, quibus datum est iudicium in maiora. Quidni contemnant iudicare de terrenis hominum possessiunculis, qui in cælestibus & angelos iudicabunt? Ergò in criminibus, non in possessionibus, potestas vestra, quoniã propter illa, non propter has, accepistis claues Regni cælorum, peccatores vtique exclusuri, non possessores. Quænam tibi maior videtur & dignitas & potestas, dimittendi peccata, an diuidendi prædia? Sed non est comparatio. Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & terræ principes, Quid fines alienos inuaditis? quid falcem vestram in alienam messem extẽditis? Non quia indigni vos, sed indignum vobis talibus insistere, vtpotè potioribus occupatis. Denique vbi necessitas exigit, audi quid cẽseat, non ego, sed Apostolus, Audet aliquis vestrûm habens negotium aduersus alterum, iu-

dicari apud iniquos,&nō apud sanctos? An nescitis quòd Sancti de hoc mundo iudicabūt? Si in vobis iudicabitur mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Angelos iudicabim⁹, quātò magis secularia? 1.Cor.6. Sed aliud est incidenter in ista excurrere,causa vrgēte,aliud vltrò istis incumbere,tāquam magnis,dignísque tali & talium intētione rebus. Hæc & innumera talia dicerem,si fortia,recta,syncera dicerē. Nunc autem quoniā dies mali sunt, sufficit interim admonitum esse,non totum te,nec semper dictioni dare,sed considerationi aliquid tui & cordis & temporis sequestrare, hoc autem dico,necessitatem intuens,non æquitatē,quanquam non est præter æquum necessitati cedere. Nam si liceret quod deceret,absolutè per omnia & in omnibus præferendam,& vel solā, vel maximè colendam eam quæ ad omnia valet,1.Tim.4. pietatem,id est,Dei cultum, irrefragabilis prorsus ratio demonstrat, Hæc ille, rebus olim iam licet collapsis,& in deterius labentibus. Sed vt omnia secula diuino beneficio suos semper habuerunt doctores illuminatos, clarissimè distinguens ordinarium pastorum munus ab extraordinario, & voluntatem à necessitate. Superiores quoque pastores & doctores æquè certum & semper sciuisse primas episcoporum in Ecclesia esse partes, populum verbo Dei pascere, hoc est, docere, & nunquam dum rogati coactíque interim temporalia iudicant, aliam regendæ Ecclesiæ formā,

Secula omnia suos semper habuerūt doctores.

Episcoporū primæ partes in ecclesia, quæ.

ab ea quam Christus per se & Apostolos suos, perpetuis temporibus valituram præscripsit, fingere vel inducere voluisse. Vim ergò habeāt & obtineant Regis CHRISTIANISSIMI CAROLI IX. eiúsque legatorum, & quod miretur quis, Episcoporum Galliæ, hoc est, eorundem Tridenti reorum & iudicum, reformandorum & reformārium postulata, iam antè cap. 1. allegata, nullo licet, quod hîc viderimus, responso illic dignata, vt sacris initiati in sua vocatione permaneant, nec in alio quàm Dei ministerio versentur, iuxta Canones tum innumeros alios, tum Apostolicum. 81. Dicimus, quòd non oporteat Episcopum aut Presbyterū publicis se administrationibus immittere, sed vacare, & commodum se exhibere vsibus Ecclesiasticis. Animū igitur inducito hoc non facere, aut deponitor. Nemo enim potest duobus Dominis seruire, Iuxta præceptum Dominicum, Matth. 6. Ita quidem pauciores habituri ex suis secularium rerum cognitores & iudices, sed iis quorum successores sunt, hoc est, Apostolis & Apostolicis viris similes plures, ac proinde meliores, minúsque litigiosos, sed vt in textu sequitur, *Modestos, ἐπιεικεῖς* humanos, æquanimes, benè temperatos, moderatos, ne vicem reddendo lites prouocent, quod est Hieronymi & Primasij scholion, neu, quod est Anselmi, in iram prorumpentes, aliquem blasphement, vel infidelem appellēt canem, aut diaboli filiū,

Caroli IX. Regis ad Tridentinū concilium postulata.

aut aliquid huiusmodi dicant faciantvè, mensuram debitæ seruent rationis; alioqui, monitore hîc Lyrano, contrà expedit de iniuriosis vindictam quærere, hoc est, iustitiam, si quando in eis ex tolerantia nutritur malè faciendi audacia, iuxta illud,

Veterem ferendo iniuriam, irritas nouam.

Est enim vbi stulto iuxta eius stultitiam respódeas, ne sibi sapere videatur: est vbi non respódeas, ne similis ei fias, Prou. 26. Ego, respondet Petiliano Augustinus ad initium lib. 3. si tibi vellem pro maledictis maledicta rependere, quid aliud quàm duo maledici essemus? Ostendit autem Paulus, iuxta superiorem Aquinatis partitionem, quo se modo Christi fideles habeant, in boni operatione, prius quidem in actibus externis. Est enim Modestia virtus, per quam quis in omnibus externis ita modum tenet, vt nec cuiusquam aspectum offendat, qualis describitur Onias summus Iudæorum pontifex, vir bonus, benignus, verecundus visu, modestis moribus, eloquio decorus, cuius etiam defuncti modestiam recordatus fleuit Antioch⁹, 2. Macab. 4. 15. Modestia, inquit noster, vestra nota sit omnibus hominibus, Phil. 4. Ea cum sequenti mansuetudine reponitur inter fructus spiritus, Gal. 5. Et cum in omnibus Christianis, tum in Ecclesiæ ministris commendatur, Obsecro vos, ait, per mansuetudinè & modestiam Christi, 2. Cor. 10. & Col. 3. Induite modestiam. Et Episcopum vult modestum, & cum

Modestia quid.

Oniæ commendatio.

cum modeſtia corripientem, non litigantem, 1.Tim.3.2.Tim.2.Vult quoque coapoſtolus eius fœminas modeſti eſſe ſpiritus, viros peræquè modeſtos, omnes item nos rationem fidei noſtræ reddere paratos, ſed cum modeſtia, 1. Petr.3.Nam quæ de ſurſum eſt, Sapientia, modeſta eſt, Iac.3. Et quoniam tantò ſui foris refrenandi maior difficultas, quantò quis in affectibus internis impetuoſior, qualis eſt iræ impetus, virtutem, quæ talem perturbationẽ moderatur, ſic opponit, *omnem oſtendentes*, ſiue ſummam exhibentes ac exerentes *manſuetudinem*, comitatem, vt non ſolùm in corde mites ſint, mãſueti, tractabiles, ſed & foris apertè ſe tales eſſe demonſtrent, in inceſſu, verbis, operibus ſuis omnibus, ſecundum tamen dictamen rationis, alioqui enim fuerit magis puſillanimitas, quàm manſuetudo, ait Lyra, vt quod & obſeruat hîc Theodoretus, non ſint hæc prius dictis contraria, dum infidelibus quidem iubet nos doctrinam leniter atque placidè tradere, eos verò qui crediderunt, ſi peccent, audacter arguere. Hæc autẽ virtus & auditoribus & præceptoribus cõmendatur: Illis quidem, Audiãt, inquit ille, manſueti, & lætentur, Pſal.33.& alter, Eſto manſuetus ad audiendum verbũ Dei, Eccleſiaſtici 5. Et, In mãſuetudine ſuſcipite verbum, Iac.1.dignè ambuletis vocatione qua vocati eſtis, cum omni manſuetudine, Eph.4. His autem, ſectare manſuetudinem, 1.Tim.6. Et, Quid vultis? In virga veniam ad vos, an in cha-

Manſuetudo

ritate & ſpiritu manſuetudinis? 1.Cor.4. Omnibus verò in manſuetudine opera tua perfice, Eccli. 3. & ſuper hominum gloriam diligêris. & 4.Reſponde (pauperi) pacificè in manſuetudine. Quod obiter vt citatum, ita notatum ſit,Inter peccata venialia quidem,ſed quæ multa,grauent,ſupputatum ab Auguſtino,quoties pauperem importunè petentem quis exaſperat.Serm.41.de Sā̃ctis,& Diſt.25.poſt ca.Vnū. §.Alias. Et 10.In manſuetudine ſerua animam tuam,&c. Sed erga quos?*ad omnes homines*, nedum dominos,ad hos licet Bruno ſuperiora reſtringat,ne qui dominos blaſphement,aut cōtra dominos decertent, nunc etiam erga omnes,tum bonos,vt proficiant,tum malos,vt reſipiſcant, apud Iudæos & Græcos, amicos & inimicos,& nèquàm & iniurios. Dei ſeruum, vt & alibi 2.Tim.2. vult eſſe manſuetum ad omnes,ſed & videri, vult inquàm, Chriſtianos omnibus cum Chriſto ſuo,Matt.11.mites videri,& corde humiles. Sic enim ait Ambroſius, poſſunt perfidi ad futuram ſpem vocari, non quòd vanæ gloriæ deſiderio nos eſſe tales omnibus oſtendere debeamus,ſed dum omnes ferimus, nec iniuriæ vicem rependimus, opera fiunt vniuerſis notiora.Vt enim fingat aliquis, & præ iactantia vulgíque opinione ac aura populari, apud quoſdam manſuetudinem bonitatémque ſimulet,ſed vbi non eſt vera,germana ſolidaque manſuetudo. Neſcio, inquit Hieronymus,an eum eſſe mā̃ſuetum poſſit omnibus

Pauper importunè petens non exaſperandus.

persuaderi. Quis ergò sapiens, & disciplina seu sciētia inter vos præditus? quærit alter Apostolus, & respondet, Ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ, Iac. 3.

Eramus enim & nos aliquando insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, in malitia & inuidia agentes, odibiles, odientes inuicem.

Aἰτιολογία est, id est, causæ redditio, seu superioris instructionis ratio, præsertim vltimę, vt non tantùm nō simus maledici & contentiosi, sed è contrario modesti mā̃suetique & quidem ad omnes. Quo enim modo, dicere posset aliquis, etiā ad infideles, aut falsò fideles? qui inquàm, hoc possimus? Respondet, Considera te, nō tam qualis sis, quam qualis fueris. Optimum sanè contra iram aut proximi contemptionem remedium, fragilitatis propriæ recogitatio. Vnde illud Platonis philosophorum modestissimi, quoties in eos incideret qui facerēt indecori quippiā, secū subinde cogitātis, & apud se dicētis, Nūcubi & ego talis? Quod salubriter monet Plutarch. De vtilitate ab inimico capiēda, De cohibēda iracūdia, De officio auditoris, in ore, imò in corde assiduè nobis habēdū, & alienis peccatis assonādū, sicubi de iis facta fuerit mētio, ratione nimirū ab externis ītro & ad nos relata, nō admodū

Fragilitatis propria cogitatio quam vtilis.

alios execrabimur: considerantes nobisipsis multa opus esse venia. Nam vt ex oculis aliorũ nos ipsos conspicimus, sic nostra ex aliorũ tum dictis tum factis æstimantes, facillimè quid deceat assequemur, & alios miserabimur magis quàm contemnemus, & nostra maiore cura emendabimus: nihil enim conuitio quod in autorem recedit, turpius, grauius, acerbius. Considerandum igitur, fidelibus statum vtrunque suum causatur Apostolus, præteritum & præsentem, qui ante conuersionem ad fidem fuerimus, qui pòst simus, *Eramus enim aliquando & nos*, quid? idem nimirùm quod ipsi scilicet infideles, poterũt & ipsi esse quod nos sumus, per eandem gratiam fideles. Ideóque debemus malis & delinquẽtibus, quod ipsi fuimus, per modestiam & mansuetudinem, quantùm fieri potest, condescendere, & eorum errata patienter tolerare, nõ verò correctionem, vel nostro saltem exemplo, desperare. Et alibi quidem à futuris, vt incertis, aliosperterrefacit, ne quis quẽ temerè iudicet, Qui stat, aut stare se existimat, videat ne cadat, Rom. 14. 1. Cor. 10. Hîc ex reb⁹ præteritis idem persuadet, ne quis cui quid exprobret, aut cõuitietur, Eiusmodi enim eras & tu. Sic latro latronem respondens increpabat, ne times quidem tu, quòd in eodem crimine ac damnatione es? Luc. 23. Priorem ergo conuersationem in memoriam reuocantes, consideremus quot malis eramus obnoxij, quodque cùm tales essemus, Deus nos est salute digna-

Miserandus magis quàm contemnendus proximus delinquens.

Errata proximorũ qualiter toleranda.

tus,ac proinde aliorũ qui adhuc errant,improbitaté feramus omnes,glorietur nemo,omnes enim peccauimus,pro illis oremus,vt liberentur, pro nobis gratias ei agamus, qui dedit vt prioribus malis liberi viuamus.Et hîc idé quod anteà Platonis,Chryſoſtomi conſilium,vt cui quis exprobraturus,priorem ſuam vitam prius inſpiciat,futuræque incertum conſiderans, impetum contineat. Vixeris licet à prima ſtatim ætate cum virtute, habes tamen peccata cõplura: Sin fortè non habes,velpotius habere te nõ putas, agnoſce opus id diuinæ eſſe gratiæ, non virtutis tuæ: niſi enim maiores tuos ad fidé vocaſſet,infidelis eſſe fortè perſtitiſſes.En vt omnem arrogantiæ ac præſumptionis aditũ prorſus obſtruit.Nõnè,inquiés,innumera per prophetas ſanctóſque omnes Deus nobis oſtendit beneuolentię ſigna,neq; tamen audiuimus,ſed eramus,ſiue fuimus quondam,&c.(& ſubiũgit varios intellectus humani defect⁹ cum eorum effectibus) *inſipientes*,Hieron. ſtulti,Ambroſio inconſulti,mundi licet noſtrûm quidam ſapiẽtes & philoſophi,humana ſciẽtia præditi, vera tamen carebant,de qua Luc.21. dabo vobis ſapientiam,ſtulti erant ac dementes, adeò in ſua ſapientia perditi,prudẽtia reprobati, aſtutia cõprehẽſi & infatuati,1.Cor.1.3.ex Eſa.29. Abd. 1.Iob.5.vt philoſophorum ſummos Platonem & Ariſtotelem,eoſdem fatuorum ſapientum, hoc eſt,inſipientiũ principes vocauerit,qui Hieronymus videri affectauit,monialium Regulæ

Virtute ſua nemini glo- riandum.

Plato & Ariſtoteles fatuorum ſapientũ principes.

autor, cap.11. prodigium licet, & grande totius naturæ miraculum vtérque fuerit, quibus id omne penè infusum videtur, cuius naturaliter capax est humanum genus, sed quia sine Christo proinde etiam sine Deo, Eph.2. Sapiẽtia enim huius mundi, stultitia est apud Deum, 1. Cor.3. si intellectus non captiuatur ad fidem, cor non inclinatur ad Christi seruitutem. Hanc autem periodon sic expedit & cum superiore coniungit Ambrosius, Bona quæ incredulitas non habet, Christianis data memorat, vt in omni iustitia elucentes, manifesti fiant quòd Dei cultores sint, cùm enim quondam *inconsulti*, nunc videntur per omnia sani esse consilij, laudatur in his Dominus. Coniungit item prius hoc vocabulum cum duobus sic Aquinas. Intellectus noster in diuinis dupliciter potest aliquid percipere, aut enim per fidem tantùm, aut per lumen sapientiæ, & apertam reuelationem, vt Deus (inquit) gloriæ det vobis spiritũ Sapientiæ & reuelationis, per agnitionem sui. Illuminatos oculos cordis vestri, Eph.1. Dupliciter itẽ deficere potest, aut enim deficit à vera cognitione, sicut per ignorantiã negationis, aut quia incidit in opinionem falsi. Ad sapientiæ igitur priuationem pertinet superius vocabulũ, quod est, sapientiam diuinæ cognitionis non habentes: ad fidei, quod secundo loco posuit, *increduli*, in his quæ sunt supra rationem, cuiusmodi sunt, quę fidei sunt, non credẽtes quod de Deo credendũ est, q.d. propterea sic volo vos omnes

obedire, etiã infidelibus dominis, quia fortassis qui modò tales sunt, fient citò sicut nos, fideles qui paulò antè de Dei cognitione nihil sapiebamus, Dei fidem non habentes, ἀπειθεῖς Ambrosio, inobsequẽtes, Hieron. inobedientes, aliis, immorigeri, contumaces. *Errantes*, in moribus, vel per opera mala peccãtes, vel iuxta superiorem diuisionem, in contrariam de Deo opinionem, & sic in errorem incidentes, id est, falsum pro vero tenentes & sequentes, putantes lucem tenebras, & tenebras lucem, Eph. 5. Sed quando tales eramus? Ante Christum nobis natum atque datũ. Quo enim modo non dementia aut stultitia, huiusmodi Diis, hoc est, Idolis seruire? aut qui maior error, quã ex hominibus mortalibus, imò mortuis, adeóque exbrutis, ex surdis quoque ac mutis lignis, saxis, & metallis Deos facere, & Diis per nos ipsos factis sacra facere? Quod & paulò inter eos minus desipiẽtes senserunt & deriserunt. Nec enim Persæ, quomodò Græci, vel Deos ex hominibus ortos, vel homines ex Diis progeneratos esse sentiebant, & quibus erat consuetudo talibus aras templa, statuas extruere, insaniæ tribuebant. Et Cambyses Cyri filius, vt ab vno Deo reliquos discamus, viso Api eiúsque sacerdotibus. O capita, inquit, nequam, huiuscemodi scilicet Dij existunt, carne atque sanguine præditi, ferrum sentientes, dignus nimirùm Ægyptiis Deus. Sic locutus, sacerdotes flagris cædi, Ægyptios, vt quisque feriari inueniretur, occidi

Persæ Græcis prudentiores.

Cambysæ Cyri filij factum memorabile aduersus Ægyptios

iussit, ita festum solutum, Apis femore saucius in templo iacens extabuit, vulnere extinctus, à sacerdotibus clam Rege tumulatus est. Idem
Aegyptiorũ stultitia. Vulcani simulacrum multo derisu cauillatus est, Cabyrorum templum multis iocatus verbis cremauit. Herodotus lib. 1. 2. 3. Rex ob id impius scilicet Ægypti primoribus & insanus, vt aliàs erat, habitus est, sed à peræquè, si non multo plus, & impiis & insanis sacerdotibus, De quibus Esa. 19. Stulti facti sunt & seducti principes Taneos & Mempheos, deceperunt Ægyptum, & errare fecerunt in omni opere suo, sicut errat ebrius & vomens. Subiicit Paulus ea quæ pertinent ad corruptionem affectus, tum ad se, tum ad alios. Is autem rectus est, cùm rationi seruit, & delectationibus secundum eam licitis vtitur, quam contrà cùm non sequitur, sed sua desideria, tunc corrumpitur, vnde dicit, *Seruientes desideriis* animi, *& voluptatibus* carnis *variis*, secundum omnes sensus, vt hæ respiciant peccata oblectationum carnalium, gulam, libidinem, vestimentorum & similium rerum mollitiem, de qualibus alibi noster, quòd ventri suo seruiunt, Rom. 16. & Phil. 3. quorum Deus venter est, & voluptatum quàm Dei magis amatores, 2. Tim. 3. Illa
Auaritia, idololatria. verò ad alia vitia, vt ambitionem, auaritiã, quã non dubitat hic idololatriã, & auarũ idololatrã vocare, Eph. 5. Col. 3. & Ro. 6. Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis eius cõcupiscentiis. Et alter quidã, Post cõcupi-

ſcentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere, Eccli.18. Nos verò poſt concupiſcentias noſtras ibamus, & deſideria noſtra ſequebamur, eis prout poteramus, ſatisfaciẽdo. Siquidẽ honorẽ aut pecuniã deſiderabamus, multo ad hæc conſequenda labore ſeruiebamus. Quod oculus videbat, auris audiebat, hoc manus comprehendere laborabat. Græci ad gentilium impietates & fœditates, vt ſtupra, proſtitutiones, vigilias nocturnas, & huiuſmodi reſpiciũt, & hæc ad Deorum, ſi diis placet, cultum & honorem, ad eas quoque quæ ſic in proximum, vt & in nos quoque committuntur, impuritates, maſculam venerẽ, cum ſororibus nuptias, cum matribus inceſta, quę tacite magis hîc Paulus, quàm apertè deſignat. Et hæc quidem in nos & corpus noſtrum peccata. Quæ ſequuntur, extra corpus ſunt, Sic enim partitur Apoſtolus, 1. Cor. 6. In ordine, inquam, ad alios eramus *in malitia*, ea eſt alij nocendi voluntas, qui enim malum alteri intendunt inferre, malitioſi dicuntur, quæ mala ſcilicet ſunt, certa præſertim, quam vocant, malitia, aut etiam vindictæ cupiditate, in proximum exercentes, & ſi quidem nocere non licuit, *in inuidia*, quę eſt de proximi bono ac ſucceſſu, vt de malo ſiue infœlicitate prauitas & nequitia, *agentes*, Si malũ facere nequibamus, maleuoli ſaltem & inuidi, quod valebamus, aliis eramus, eorum malum deſiderantes, bonum deteſtantes. Breuiter, cũ amplius non valebamus, proximo inuideba-

mus,quod quia valde deteſtabile eſt,gratis ſcilicet aliũ odiſſe,& ſibi nihil prodeſſe, ideò ſubdit,*odibiles*,odioſi tum Deo,Rom.1. cui ſimiliter odio ſunt impius & eius impietas, Sap.14. tum etiam ab hominibus odio haberi digni,& alterutrum ſiue *inuicem odientes*,odio proſequẽtes,alij aliis infenſi, & alios oderamus, & alij nos oderant,quadam velut liuoris atque odij compenſatione,Et ex inuidia enim odium naſcitur, & ad hæc vitiorum extrema cùm quis peruenerit, vt omnibus inuideat, omnes oderit,meritò eum viciſſim omnes oderint.Sed & tam malos ne ad ſeipſos quidem, nedum ad alios amicitiam habere teſtis eſt 8. Ethicorum Philoſophus.Quęrat aliquis quomodò Paulus fuerit ſtultus,incredulus,errãs,voluptatum ſeruus,malus,inuidus,odioſus & odiens, antequã eum Dominus ſaluũ faceret,Reſpõdet Theodoretus,Apoſtolũ ſeipſum vna cum eis comnuneraſſe, non quòd fuerit omnibus iis criminibus obnoxius, ſed vt qui fuerit perſecutor, Nam nec omnes omnibus aliis fuerant obnoxij,omnes tamen ſunt ſalutem conſecuti,Deíque gratia,non merito ſuo ſalui facti : quo igitur modo auderent aliis conuitium ingerere? Reſpondet & qui quæſtionem mouit Hieronymus,alios locum hunc ſic intelligere, vt nõ de Paulo & Apoſtolis, ſed ſub Apoſtolorum perſona,de aliis dictũ putent, vt quomodò ſub perſona ſua, Apollo, & Cephæ,in Corinthiis diſſenſionem & ſchiſma arguit, 1. Cor. 1.3. ita

Odibiles Odioſi.

Paulus quomodo ſe inter criminoſos numeret.

hoc etiam ideò se & Apostolos nominás, omnes qui in Christo crediderant, quales fuerint ante regenerationē, ostēderit, Et cum certè legimus iuxta legis iustitiā sine querela fuisse, ad pedes Gamalielis eruditū, & ab infantia sacris literis institutum, in Iudaismo supra coętaneos & congeneres profecisse, vehementer paternas traditiones æmulantem, Phil. 3. Act. 22. Gal. 1. *Pauli vita ante conuersionē quàm laudabilis.*

Respondet ergò secundò, Iudæos ante Saluatoris aduentū in lege versatos, iustitiā licet non plenā, aliqua tamē ex parte habuisse, At vbi populus conclamauit, Crucifige, &c. ablato ab eis Dei Regno, & gentibus tradito, ex eo tempore qui in Christum non credidit, stultus fuit, errabundus, &c. Annon vobis videtur Paulus fuisse stultus, quando zelo non secundū scientiā lapidantiū Stephanū vestimēta seruabat, Act. 8. 9. Ecclesiā persequebatur, Christi discipulos vinciebat? aut vllas poterat habere virtutes sine virtute Dei Iesu, aut æstuantē voluptatū flammā restinguere, cùm non esset templū Dei? Et quæ maior malitia & inuidia, quàm cōtra absentes à sacerdotibus literas sumere, & vbique Christi fideles vastare, nolle se saluum in eo fieri, & iis qui salui esse volebant, inuidere, intantum odij cōtra Saluatorē instigari, exardere, & Christianos odisse, & consequēter ab omnibus odium promereri? Quis maior error, inobediētia, væcordia, quā postquā respirauit dies, & præteriērūt vmbrę, legē abolitā velle seruare, & apparēte solido viriliq; cibo, infantię lacte cupere po- *Pauli persecutio aduersus Christianos.*

tari? Simul tamen & humilitas eius admiranda, quòd qui omnẽ vtilitatẽ iustitiámq; legis quasi quisquilias & purgamenta contempsit, Phil. 3. rectè se sine Christo vitiis omnibus seruiisse memorauit. Hucúsque Hieronymus. Et Iudæi ergò post Christum suscitatũ prædicatúmque non credentes, nedum gentiles ante eundem natum auditúmque, tales erant, vtrique ante fidem receptam *insipientes*, nimirùm, id est, Sapientiam Dei, quæ Christus est, non habentes. *increduli*, eundem in carne venisse credere nolentes. *errantes*, pro Christo Antichristum expectantes, & reliqua quæ hic describuntur, committentes. Hæc Anselmi sunt. Postremò cum Primasio notãdum, quales nos omnes Dominus inuenerit, Præcausati, ait, simus Iudæos & Græcos omnes sub peccato esse, Rom. 3. vt nõ de nostris meritis præsumamus, neque de naturæ bono gloriemur. Ecce enim quales eramus ante gratiam, per arbitrij libertatem. Et hic campus, quo nõ alius vel amplior, vel asperior, mihi patebat, nisi de liberi arbitrij tum nomine tum re, tum etiam facultate, non semel antea scripsissem, 2. Tim. 1. & ad eã Digressionibus 10. 11. & appendice vii. ad eandem, collectis aut potius indicatis, pag. 270. Apostolicis formulis, huic quam enarrauimus, similibus. *Eramus, fuimus, Eratis, fuistis, cùm essetis*, quibus hominem post peccatum ante gratiam, id est, peccatorem non adhuc iustificatum, veri boni nihil vel esse vel posse non tãtùm agnoscimus,

ſed & experimur. Sed Deo gratias per Ieſum Chriſtum, vt ſine quo nihil poſſumus, Ioan. 15. in eodem omnia poſſimus, Phil. 4.

Cùm autem benignitas & humanitas apparuit Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecũdum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit, per lauacrũ regenerationis & renouationis Spiritusſancti, quem effudit in nos abũdè, per Ieſum Chriſtum Saluatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.

POSTERIOR eſt ratio ſuperioris inſtructionis, ex credentium ſtatu poſt conuerſionem ſuam ſumpta, ad quem cùm ex mera Dei gratia vocati ſunt, æterna bona hæreditate adituri, multò magis eſſe debent aliis etiam infidelibus, omnium verò maximè principib⁹, grati, modeſti, officioſi, quantùm fieri poteſt ſecundum Deũ. Oſtendit autem ſalutis noſtræ ſtatum, eiúſque ſtatus ordinem & proceſſum, ſalutis quoque cauſam, & ſaluandi rationem, modum, atque finem. Eſt autem ſalutis humanæ cauſa, diuina charitas & miſericordia. Deus, inquit, qui diues eſt in miſericordia, propter nimiam charitatẽ

Humana ſalutis cauſa.

ſuam,qua dilexit nos,etiam cùm eſſemus mortui peccatis, conuiuificauit nos Chriſto cuius gratia eſtis ſaluati, Epheſ.2. Charitatis autem Dei,dico, tum interior affectus, tum exterior effectus. De priore, *Cum autem apparuit*, Ambroſio & Hieronymo illuxit,vt & antè, cap.2. *benignitas*, eiſdem bonitas, & hæc quidem ab æterno in Deo fuit, benignus enim & miſericors vbique ſcripturarum prædicatur: ſed hæc quandóque minus apparebat, Vbi nunc eſt zelus tuus,multitudo viſcerum tuorum & miſericordiarum tuarum? ſuper me continuerunt ſe, Eſa.63.ſed palam facta eſt per effectum,Filium eius vtique incarnatum,de quo, *& humanitas*, Sic enim non aliquot tantùm Latini,Hieronymus in ſcholiis,Primaſius,Bruno,Aquinas,ſed & ex Græcis Oecumenius & Theophylactus, de Chriſto ſecundum hominem, ſiue humana natura & incarnatione exponunt, non quaſi pater eam aſſumpſerit,ſed quòd ſic humanum genus dilexerit,vt eius ſeruandi ſtudio, filium ſuũ vnicum carnẽ ſumere iuſſerit, & ſimilẽ nobis effecerit:quod Dei erga nos humanitas per humanitatẽ Verbo counitã præſertim apparuerit. Catholicè quidem,ſed cùm non hîc legatur

Philanthropia. ἀνθρωπότης,ſed φιλανθρωπία,hoc eſt,ſtudiũ & amor, & vt apud Gelium,li.13.cap.15.dexteritas quædam ac beneuolẽtia erga omnes homines promiſcua,cui diuerſa eſt μισανθρωπία. Quod hîc Hieronymo & Ambr. in textu humanitas eſt illi in Cõmentariis eſt clemẽtia in ſcholiis & Prima-

ſio, Dei largitas. Virtus, inquit Thomas in exteriori defectuũ alienorũ ſubuentione conſiſtẽs, Nihil enim tam humanum, quàm inuicem cõdeſcẽdere. Barbari (ait) præſtabãt nobis nõ modicã humanitatẽ, Act. 28. & 27. φιλανθρώπως humanè, ſeu humaniter Paulũ tractãs Iulius Centurio, &c. Condeſcendit autem Deus noſtris defectibus, vel maximè figmentum nimirùm noſtrum imò ſuum cognoſcens, Pſal. 102. de quo ſequitur, *Saluatoris noſtri Dei*, qui ſicut pro nobis, ſic pro eis qui adhuc infideles ſunt, ſaluãdis apparuit, Dei dico Saluatoris, vel totius ſuperbenedictæ Trinitatis, ad ſaluandũ nos propenſiſſimæ. Deus enim noſter, Deus ſaluos faciendi, &, Salus Iuſtorum à Domino, Pſal. 63. 36. vel certè Patris, de hoc enim ſic interprætatur Hieronymus, vt palàm obſtare videatur, quominus accipi de tota Trinitate poſſit: Minus quidem euidenter Ambroſius, ſed tamẽ & is ad Patrem refert, vtérque paulò pòſt allegandus, quibus clariſſimè Patrem hìc Saluatorem vocari conſentit Anſelmus, Tales, inquiens, fuimus ante Chriſti notitiam, quales deſcripſimus: ideóque damnationem meriti: ſed per Dei gratiam in Chriſti cognitione ſalutem reperimus, nam ſaluos nos fecit, *cùm apparuit*, quando illuxit *benignitas*, diuinæ miſericordiæ largitas, eiúſque operum exhibitio, *& humanitas*, bonus item affectus miſericordiæ Dei Patris, & *Saluatoris noſtri*, in Deo ad ſimilitudinẽ noſtri ita dictus, Nam is apud nos humanus

Humanitas, philãthropia

Condeſcenſio, omnium humaniſſima.

Pater etiam ſaluator dictus.

dicitur, qui humanitus & misericorditer erga homines afficitur, quia humanitas, misericordiæ affectus est. Secundum fidem & intellectũ nobis apparuit humanitas & benignitas Dei Saluatoris, quando comperimus Deum PATREM miseratorem esse ac misericordem, Hæc ille. Nec humanus tantùm propter misericordiam, & in homines affectum, sed etiam homo in parabola vocatur, Matth.21. Marc.12. Luc.20. Deus homo, inquit, erat paterfamilias, Is nimirùm idẽ qui misit in vineam suam alios & alios seruos suos ac agricolas, & nouissimè Filiũ, vt obseruat Irenęus li.4. cap.70. Et editionis secundæ in Matthæũ siue Chrysostomus cũ suo ibi Theophylacto, siue autor alius, homil. 40. Homo nomine, non naturę: similitudine, non veritate: natura hominum & angelorum Dominus: misericordia, homo, beneuolentia pater. Sequitur vera saluandi nostri ratio, & præsumpta eadémque falsa excluditur, quasi propter merita nostra saluati simus. Hanc autẽ excludit, cùm dicit, *nõ ex operibus iustitiæ*, seu quę sunt in iustitia, *quæ fecimus*, fecerimus, aut antè faciebamus *nos*, tot suprà modis peccatores, etiam in Dei lege Iudæi, quantò minus sine lege & Deo gentiles? Illis enim olim iam dictum est, Ne dicas in corde tuo, propter iustitiam meam introduxit me Dominus, vt terram hãc possiderem, Non enim propter iustitias tuas, & rectitudinem cordis tui ingredieris vt possideas, Deut.9. De horum autem operibus ęquè clarum,

clarum, si nõ permultò clarius. Sentit ergò hîc vt alibi passim, non tantùm de operibus legis Mosaicæ, licet id veteres quidam senserint, sed de omnibus omnium hominum operibus, sed Dei gratiam, Christi fidem præcedẽtibus operibus. perinde ac si diceret, hoc vt Deus per filium nobis appareret, & salus inde profecta, nõ processit ex meritis nostris, quia nulla iustitiæ antè opera feceramus, nec adeò piè vixeramus, vnde Verbi incarnationem & salutẽ inde nostram promeruissemus, *sed secundum misericordiã suam*, cùm alioqui perditione digni, & salute indigni essemus, *saluos nos fecit*, non secũdum merita nostra nobis hanc salutem dedit, ita forsitã eos qui adhuc increduli sunt, saluos eadem gratia facturus, & sic eorum miserebitur, vt nostri misertus est. Porrò cùm hîc misericordiam appellare videatur, quod paulò anteà bonitatem seu benignitatem, sic tamen inter hæc tria distinguit Augustinus, vt quod habet Psal. 105. & 117. Confitemini Domino quoniam bonus, illic χρηστὸς nonnulli suauem interpretẽtur, item hîc ἀγαθὸς, non vtcunque, sed excellentissimè bonus accipiatur. Et quod vtrobique sequitur, quoniam in æternum misericordia eius, ad hos pertineat, quos de miseria liberat, non vt eius misericordiæ fuisse intelligamus, facere cælum & terram, & luminaria, cùm id bonitatis sit eius qui creauit omnia bona valde, creauit autem omnia vt essent: hoc verò misericordiæ, vt à peccatis nostris mundet nos, & à miseria

Bonus quomodo intelligendus Deus.

liberet in æternum. Non eſt ergo vox delicatorum militum, Dei Chrſtíque gratiam extollere, opera noſtra extenuare, ſed Pauli, toties diuinam miſericordiam inculcantis, eiúſque interpretum, & veterum & Scholaſticorum. Nam quæ hactenus hîc diximus, Græcorum ſunt, & Anſelmi, & Brunonis. Primaſius quoque, nõ dubiũ quin alicũde ex Auguſtino mutuatus, notandum hîc ait, quòd nullis noſtris meritis, nec ſecundum induſtriam vel laborem noſtrum, ſaluati ſumus, ſed ſola Redemptoris miſericordia, qui nos in omni opere bono & præuenit & conſummat. Conticeſcant liberi arbitrij pręcipitatores magis quàm defenſores. Sic Aquinas, Vera noſtri ſaluandi, ſiue ſalutis noſtræ ratio, eſt ſola Dei miſeratio. Miſericordiæ enim Domini, quòd non ſumus conſumpti, Thren. 3. Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ Dei ſaluæ factæ ſunt, Rom, 11. & Luc. 1. miſericordia eius à progenie in progenies, &, per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Lyra quoque ita ratiocinatur, Salus enim æterna totaliter excedit humanæ naturæ facultatem, propter quod non poteſt eam attingere, niſi ex diuinæ miſericordiæ largitate. Secundò notãdum ex Anſelmo, quod & antè Beda ex Auguſtino contra Fauſtum lib. 11. cap. 7. hîc citauit, De ſpe magis futuræ ſalutis hîc data, quàm de ſalute illic promiſſa, ſermonem hunc eſſe, & tamen quia certa ſpes eſt, tanquam iam eadem

Salutis noſtra vera ratio, Dei miſeratio.

data salus esset, eadem nos, inquit, saluauit, vt & alibi dilucidissimè dixit, Spe salui facti sumus, Rom. 8. nondum ergò re, sed iam certa spe saluos nos fecit, id est, salutem æternam & animæ & corporis nobis dedit, *per lauacrum*, modus est adipiscendæ salutis, quem primò proponit, secundò eius effectus, tertiò causam, per baptismum, inquit, saluati sumus, Sic enim & alibi vocat, Mundans Ecclesiam lauacro aquæ, Eph. 5. In quo sumus à peccatorum sordibus loti. Et hæc (peccatores scilicet omnimodi) aliquando quidem fuistis, sed abluti estis, &c. 1. Cor. 6. Hebr. 10. abluti corpus aqua mũda, aspersi corda à conscientia mala. Et ad hunc conuersum Ananias, Baptizare, & abluere peccata tua inuocato nomine Domini, Act. 22. Et Eunucho sic roganti, Ecce aqua, quid prohibet me baptizari? dixit Philippus, Si credis ex toto corde, licet, & respondentẽ credere se Dei Filiũ esse Iesum Christũ, descendentémque in aquam baptizauit, Act. 8. & 10. Nunquid aquam, ait Petrus, quis prohibere potest, vt non baptizentur qui Spiritũ sanctum, sicut & nos, acceperũt? Et iussit eos (Corneliũ cũ eius domo) baptizari in nomine Domini. Huius idem baptismalis aquę figuram facit, cùm Noë cum suis saluus factus est per aquam, quòd & nos, inquit, nunc similis formæ saluos facit baptisma, non carnis sordiũ depositio, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deũ, per resurrectionẽ Iesu Christi à mortuis, 1. Pet. 3. Nã quicunq; in Christo baptizati

Baptismi necessitas & efficatia.

ſumus,in ipſius mortem baptizati ſumus, conſepulti ei per baptiſmum in mortem, in quo & reſurreximus, Rom.6. Col.2.& patres omnes in Moyſe baptizatos ait in nube & mari, 1.Cor.10.

Digreßio. XI.

Quantam vim habeat baptiſma,& aqua in Chriſto ſanctificata gratiam,docet ad Oceanũ Hieronymus,de ſchola Rhetorum, aquarum laudes & baptiſmi ſic prædicans, rudi adhuc mundo ſolus Spiritus Dei aurigæ in modum ſuper aquas ferebatur, Geneſ.1. & naſcentem mundum in figura baptiſmi parturiebat.Fabricatur homo de limo,& inter Dei manus aquarum ſacramenta verſantur, Gene.2. Fons vnus in Paradiſo in quatuor principia diuiſus,poſtea de templo egrediens,& contra ſolis ortum vadens,amaras aquas mortuáſque viuificat. Peccat mundus,& ſine aquarum diluuio non purgatur,Gene.6.7.8.Pharao cum exercitu ſuo in typo baptiſmi ſuffocatur,Exod.14.De cui' ibidem interfectione,in Pſal.73.ſcribitur,Confirmaſti in virtute tua mare,contribulaſti & confregiſti capita Draconis imò Draconum, in aquis.Lignum quoque ſuper aquas, ſiue ſecus decurſus aquarum plãtatum,Pſal.1.& Hier.17. tranſplãtatum, ſignat nos de ſiccitate Iudaica

in baptiſmatis gratiam ſempiternam tranſlatos. De baptiſmatis item gratia dicitur, Pſal. 28. Vox Domini ſuper aquas multas, eodem ad Suniam & Fretelam, interprete. Quod in Leuitico legimus, iuxta Dei præceptum, Moyſem lauiſſe Aaron & filios eius, iam tunc purgationem mundi & rerum omnium ſanctitatem, eidem ad Fabiolam, baptiſmi ſacramenta ſignabant. Mare mutatur ſacramento crucis, & LXX. palmæ dulcoratis legis gurgitibus irrigantur, Exod. 15. Abraham & Iſaac puteos fodiunt repugnantibus Allophylis. Berſabea ciuitas iuramenti, regnum Salomonis futurum, nomen ſumit à fontibus, Rebecca inuenitur ad puteum, Rachel propter aquas ſupplantatoris oſculo ſalutatur, Geneſ. 21. 24. 26. 29. Moyſes filias Sacerdotis Madian aperto puteo ab iniuria vindicat, Exod. 2. Dentes ſponſæ ſicut grex tonſarum quæ aſcendunt de lauacro, Cant. 4. 6. Audiamus apud Ezechielem filium hominis, quomodò de ſalutaris baptiſmi virtute pronunciet futurus filius hominis, cap. 36. Effundam, ſiue aſpergam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus immunditiis, inquinamentis, idolis veſtris. Micheas quoque de baptiſmi gratia vaticinatur ſic, cap. 7. Miſerebitur noſtri, demerget iniquitates noſtras, & proiiciet in profundum maris omnia peccata noſtra. Et de baptiſmatis item. aqua, Zachar. 13. Erit fons ſeu vena Domini Dauid, & ha-

Berſabea ciuitas à fontibus dicta.

bitantibus Hierusalem in ablutionē seu aspersionem peccatoris & menstruatæ, seu peccati & menstrui. Præcursor Domini in aquis fontium Christo populum præparat. Saluator post baptisma, & sanctificatas lauacro suo Iordanis aquas, regnum cælorum incipit prædicare, Matth. 3. Luc. 3. Marc. 1. Ioan. 1. Primum signum ex aquis facit, Ioan. 2. 3. Nicodemo renascendum ex aqua prædicat. 4. Samaritanā vocat ad puteum, Sitientem inuitat ad potum. 5. paralyticum iacentem ad piscinam sanat. Qui ab aquis cœperat, finiuit in aquis, 19. Latere lancea percusso, baptismi sacramentum fundens. Post resurrectionem Apostolis præcipit vt baptizent in nomine Trinitatis, Matth. 28. Marc. 16. Pœnitens facti populus Iudæorum statim à Petro ad baptisma mittitur, Act. 2. 8. Eunuchus lectione prophetica Christi baptismati præparatur. 9. Paulus non antè recuperat aspectum, quàm curet baptismo sanitatem. Dies me deficiet, si cuncta quæ ad baptismi potentiam pertinent, de scripturis sanctis voluero digerere, & natiuitatis secundæ, imò in Christo primæ, ponere sacramenta. Præsertim cùm Cyprianus scripserit lib. 2. Epistol. 3. quòd quoties aqua sola in scripturis sanctis nominatur, baptisma prædicatur, vt Esa. 43. Faciam in deserto viam, & flumina in loco inaquoso, adaquare genus meum electum, &c. significans & prænuncians apud gentes in locis prius inaquo-

Aquæ nomen solum positū in scripturis sanctis, baptismū indicat

ſis, flumina per regenerationem baptiſmi filios Dei factos adaquatura. Quod denuò præcinitur & prædicitur, Iudæos, ſi ſitierint, & Dominum quæſierint, nobiſcum eſſe potaturos, id eſt, baptiſmi gratiam conſecuturos, Si ſitierint, inquit, per deſerta, adducet illis aquam, de petra producet illis, findetur petra, fluet aqua, & bibet plebs mea, Eſa. 43. quod in Euangelio adimpletur, quando Chriſtus, qui petra eſt, lanceæ ictu in paſſione finditur, Ioan. 19. Superiorum baptiſmi figurarum, Diluuij ſub Noë, maris rubri ſub Moyſe, cui ſimilis eſt Iordanis ſub Ioſue tranſitus, Ioſ. 3. meminerunt Baſilius in exhortatione ad baptiſmum, & de Spirituſancto cap.14. Proſper in Pſal. 105. 106. 135. Damaſcenus lib.4.cap.10. & addunt eiuſdem vim ab Helia præmonſtratam, 3. Reg.18.aquæ tertiò ſuper aram effuſæ, & holocauſtum comburentis myſterio. Fuit & baptiſmi typus Naaman Syrus, à lepra per ſeptuplicem in Iordane lotionem curatus, 4.Reg. 5. Et ſuperna ſcriptura teſtimonium fert aquæ, quòd purgatio eſt, per aquam omnis immundus ſecundum legem purificatur, indumentis per aquam lotis, Leuit. 14. & ferè omnia in lege aqua purificantur: Nam viſibilia intelligibilium ſigna ſunt. Primum ergo baptiſma fuit Diluuij in abſceſſionem peccati, II. per mare aquæ, & nubem Spiritus ſigna. III. legale, quo omnis immundus abluebatur aqua,

Figura baptiſmi.

Aqua purificatio in lege.

& ingrediebatur castra. IIII. Ioannis, introductorium ad Christi fidem, ad pœnitentiam adducens, & ad spiritum per aquam præpurificans, quod & iisdem propè verbis Cyrillus exponit in Ioan. lib. 2. cap. 57. V. Domini baptisma, quo baptizatus est, non purificatione indigens, sed nostram sibi purificationem approprians, vt in aquis capita draconum contereret, veterem Adamum sepeliret, sanctificaret baptistam, legem impleret, Trinitatis mysterium reuelaret, forma & exemplum nobis fieret, vt perfecto eius baptismate, per aquam & Spiritum baptizaremur. VI. per pœnitentiam & lacrymas verè laboriosum. VII. per martyrium & sanguinem, valde venerandum & beatum, quatenus succedentibus non inquinatur sordibus. VIII. & vltimum, non, vt superiora, salutare, sed malitiæ exitiosum, & sine fine per futurum ignem punitorium. Et de baptismi figuris, speciebus, ac elemēto seu materia, hactenꝰ, cuius rationes aliquot baptismo cum reliquis sacramentis cōmunes Māgister assignat, lib. 4. dist. I. C. tres, Humiliationē, vt dū insensibilibꝰ, *Baptismi rationes.* quęque infra eā sunt, rebus ex creatoris præcepto se reuerenter subiicit, ex hac tum humilitate, tum obediētia plus Deo placeat, cuius imperio salutē in inferioribꝰ se quærit, *nō quidē ab illis, sed per illa à Deo* Eruditionē, vt per id quod foris in visibili specie cernitur, ad inuisibilē, quę intus est, virtutē cognoscendā mens erudiatur.

Exercitationẽ,quæ homini alioqui otioſo, aut vanis & noxiis occupando vtilis atque ſalubris, in iis ſi quis proponitur, vt Diſt.3. H. myſteriũ hoc in aqua celebratur, non tantùm quia communi & elemento vbique abundante,ac proinde huius ſacramenti neceſſitati conueniente, quòd vbique & apud omnes inueniatur, ne quem excuſet inopia,ſed & quidem multò magis intelligatur, quòd ſicut aqua corporis ſordes abluit,ita baptiſmus animæ maculas,vitiorúmque inquinamenta mundando abſtergit. Quod baptiſmi opus & virtutem ignorans apoſtata Iulianus, deridebat vt deliros,venientes ad Chriſti baptiſmum, vt ad aquam cõmunem,&corporalibus morbis,multóque magis animæ maculis abluendis inutilem. Reſpõdet Cyrillus lib. 7. Salutarem baptiſmum non ad curandas corporis ægrotationes à nobis aſſumi:multò verò minus ad ſenſibiles vſque viſibiléſque res tantùm diuinum hoc & venerabile Chriſti ſacramentum pertingere.Subtilis eſt valde & profundus de hoc ſermo, & ex iis de quibus ait,Eſa.7.Niſi credideritis,non intelligetis. Profundioribus tamen relictis,conuertã me ad ea, ex quibus videre liceat aduerſarium temerè nũgari,ac etiam ſcientem, verum vituperare. Non enim ſalutare baptiſma corporalium paſſionum depoſitionem annunciat (1. Petr.3.) vt ſi hoc nõ faciat,ne miremur.Quòd autem Chriſto volente, etiam ad hoc aqua citra controuerſiam ſufficeret, facilè reputabi-

Iulianus apoſtata baptiſmum irridebat.

mus, ineffabilem eius & ſupernaturalem virtu tem conſiderantes. Quid enim non admirabile ab eo factum? aut quis modus diuinorum non demonſtratus ſignorum? nutu enim lepro ſos mundauit, hydropicos liberauit, claudos correxit, Cæci oculos aquis Siloas ablutos tenebris exemptis, inſolita luce illuſtrauit, Ioan. 9. Qui tam inquàm, eximia ſola voluntate abſque labore fecit, etiam aquis immiſſa virtutis ſuæ efficacia, nonnè interdum oſtendit beneficium per ſanctum baptiſma, quemuis etiam corporalem morbum depellere poſſe. Sed ob alia datum nobis eſſe dicimus, nimirùm vt depoſitis gentium tenebris, & veritatis lumine cordis oculum perfuſi, Deum agnoſcentes natura & verè omnium natiuitatis autorem, ſic ad alterius vitæ venientes exordium, ingreſſi veræ pietatis ſemitam Chriſto annuente iuſtificemur, vt per quem nobis pater miſericors, ab omni nos peccato liberet, nobis peccatorum pœnas remittat, nos etiam mente per Spiritum ſanctum ſanctificet, nos modo, quò nouit, ad nouitatem mentis iuſtæ & caſtæ reformet, vt quis tum adhuc condemnet, vel quæ ſuperſit macula, dicere non poſſim, dicturus alioqui multa alia, & vera demonſtraturus, per Moſem & prophetas præfiguratum eſſe hoc ſacramentum, & non nouum vel nuper ortum, aut à nobis iuuentum, niſi reuererer non initiatorum aures, qui minus comprehenſibilia ple-

Baptiſma quemuis etiã corporalem morbum depellere poſſe.

runque rident, quæ imbecillitate mentis minus capiunt, & nihili omnino faciunt, quæ omni admiratione prosequi decebat, vt optimi illi patres solo aquarum spectaculo sacramentum expendentes. Hæc Cyrillus. Quòd autem familiari nobis elemento hîc Deus condescenderit, Nouit enim Deus, ait vbi suprà Damascenus, cap. 14. humanam infirmitatem, quòd complura vsu non trita molestè ferens auersatur. Assueto igitur condescensu vsus, per consueta naturæ facit quæ supra naturam, vt in baptismate, quia consuetudo hominibus est aqua lauari, coniunxit aquæ Spiritussancti gratiam, & fecit illud *lauacrum regenerationis*, qui est duorum baptismi effectuum, quos hîc tangit litera, prior, Aquinate sic expediente. Sciendũ hominem in statu perditionis duobus indiguisse, quæ per Christum consecutus, participatione diuinitatis, & depositione vetustatis. Erat enim à Domino separatus, Peruersæ, inquit, cogitationes à Deo separant, Sap. 1. & iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deũ vestrũ, Esa. 59. Prius ergo per Christum habemus, diuinæ per eũ naturæ consortes effecti, 2. Petr. 1. Noua autem natura nisi per generationem non acquiritur, quæ tamen natura ita datur, vt & nostra remaneat, atq; ita vetus homo noster cũ Christo crucifigatur, & corpus peccati aboleatur, Ro. 6. Ideoq; dicitur generatio, Oportet, ait, nasci denuò, vel desuper, non quidem secũdò in ventrẽ matris ĩtroire, sed ex aqua & spiritu renasci,

Baptismus cur in aqua conjectatus.

Nasci denuo quid sit.

aliter in Dei regnũ non introituros: quia quod natum eſt ex carne, caro eſt: quod ex ſpiritu, ſpiritus eſt, Ioan.3. Eſt enim baptiſm⁹, ſpiritualis, vt ablutio, ita regeneratio, qua poſt carnalẽ generationem iterum, ſed ſpiritaliter, & veteri homine depoſito, nouus homo generatur, & prior, quæ in peccatis eſt, generatio deſtruitur, per malorum velut euacuationem: & ſecunda, quæ ſpiritalis eſt, obtinetur. Idq; maximè congruit aquæ ſigno. Nam & ſemina, ex quibus omnia viuẽtia generãtur, plantæ videlicet & animalia, humida ſunt, & ad hoc elementum pertinent, vt nõ abſque cauſa philoſophi quidam, adeóque ſeptem Sapientum primus Thales, aquam poſuerint rerum omnium principium, his adducti coniecturis, quòd omnium animãtium genitura humida ſit, ſtirpes omnes humido alantur, humoris expertes actutum areſcãt, Solis quoque ignis, ſiderúmque, aquarum expiramentis alatur, quinimò & mũdus, vel Homero teſtante,

Regeneratio ſpiritualis.

Semina omnia humida ſunt.

Oceanus, de quo primùm ſunt omnia nata.

Ex Plutarcho de placitis philoſophorum, lib.1. cap.3. Ex hac ergo ſimilitudine & renaſci, & regenerari, & baptizari nobis idem eſt, ait cõtra Iulianum lib.6. cap. 4. Auguſtinus, hoc enim verbum ex Græco Latina conſuetudo ſic habet vt non alibi ſoleat, niſi in ſacramento regenerationis intelligi. Duo autem quę in vno homine fiunt, naſci & renaſci, ad duos, inquit idem Dardano, Epiſt.57. homines pertinent, vnum

Renaſci, regenerari & baptizari idem.

ad primum Adam, alterum ad secundum, Christum. Sed nõ prius quod spiritale est, sed quod animale. Primus homo de terra, terrenus, secũdus de cælo, cælestis, per vnum mors, per vnum Resurrectio. 1. Cor. 15. nec moreremur, nisi per carnalem propaginem de membris illius veniremus: nec viueremus, nisi per spiritalem cõnexionem membra huius essemus. Ideo nobis opus fuit nasci & renasci, illi propter nos tantummodo nasci: nos enim à peccato ad iustitiã renascendo transimus, ille à nullo peccato ad iustitiam transitum faciens, in eo quod baptizatus est, nostræ Regenerationis sacramentum sua humilitate altius commendauit. Veterem hominem nostrum passione, nouum Resurrectione significans. Nemo nascitur nisi operante concupiscentia ex primo homine tracta, nemo renascitur, nisi operante gratia spiritali, ex secundo data, ad illum nascendo, ad hunc renascendo pertinemus. In cuius corporis, tanquam in viuam structuram templi Dei, quæ est eius Ecclesia, nati homines nõ ex operibus iustitiæ quæ fecerunt, sed renascẽdo per gratiã transferuntur tanquam de massa ruinæ ad ædificij firmamentum, à quo omnis non renatus, alienus. Sacramentum porrò regenerationis nostræ manifestum esse voluit manifestus mediator, &c. Et in Enchiridio cap. 31. Tunc efficimur verè liberi, cùm Deus nos fingit, id est, format & creat, non vt homines simus, quod iam fecit, sed vt boni simus, quod nunc gratia sua

Nasci, vnde & vnde renasci.

facit, vt simus in Christo Iesu nouus homo, Eph.2.noua creatura, 2.Cor.5.Gal.6. secūdum quod etiam dictum est, cor mundum crea in me, Psal.50. Nec enim cor eius, quantùm pertinet ad naturam cordis humani, non iam creauerat Deus, cap.51.118.119. Satis indicat Ro.5. Paulus, neminem ex Adam natum, nisi damnatione detineri, neminem nisi in Christo renatum, à damnatione liberari. In quacunque autem quatuor ætatum, ante legem, sub lege, sub gratia, in gloria, singulum quenque hominem gratia regenerationis inuenerit, ibi ei remittuntur præterita vniuersa peccata, & reatus nascēdo contractus, renascendo dissoluitur. Et inter eius sententias per Prosperum decerptas, 299. Primus homo Adam sic olim defunct⁹, vt post eum secundus homo sit Christus, cùm tot hominum milia inter eos orta sint, & ideo manifestum est, ad illum pertinere omnem qui ex illa successione propagatus nascitur: ad hunc, omnem qui gratiæ largitate in hoc renascitur. Vnde fit vt totum genus humanum quodammodo duo sint homines, primus & secundus. 301. Iustus autem ex Deo, non ex hominibus nascitur, quoniam renascendo, non nascendo, fit iustus, vnde etiam renati filij Dei vocantur. 330. Vna ergo natiuitas de terra, carne, mortalitate, de masculo & fœmina. Alia de cælo, Spiritu, æternitate, de Deo & Ecclesia, & duæ singulares sunt. Et in Psal. 6. Duas generationes ponit & exponit, vnam

Ætates quatuor.

Humanum genus totum quodāmodo duo homines

quæ ad corpus, alteram quæ ad animam pertinet, quæ & Regeneratio dicitur. Eſt & altera Auguſtino de doctrina Chriſtiana, lib.1. cap.19.20. animi quædam mors & renaſcentia, vitæ ſcilicet prioris morúmque reiectio, quæ fit pœnitendo, cùm animus poſt pœnitentiam, qua priores mores perditos interemit, reformatur in melius. Cuius autem animus non huic ſeculo moritur, neque incipit configurari veritati, hoc eſt, qui non renaſcitur, in grauiorem mortem morte corporis trahitur; nec ad communionem cæleſtis beatitudinis, ſed ad luenda ſupplicia reuiuiſcet. Tertia, eodem interprete, Regeneratio, Chriſto dicente, Matt. 19. In Regeneratione cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, &c. hoc loco, nullo ambigente, nouiſſima reſurrectio, non vtique talis Regeneratio, qualis fit per baptiſmum, ſed in qua etiam in corpore perficietur, quod nunc ſpiritu inchoatur, libr. ſecundo de peccatorum meritis & Remiſſ. capi. 7. Sic enim caro noſtra regenerabitur per incorruptionem, vt anima noſtra regenerata eſt per fidem: vt duæ ſint regenerationes. Vna ſecundum fidem, quæ nunc fit per baptiſmum: Alia ſecundum carnem, quæ fiet in eius incorruptione ac immortalitate per iudicium magnum atque nouiſſimum. Lib. 20. de Ciuitate, capite 5. & 6. Et in Pſal. 143. duas ponit omiſſa media, generationes, Generatio, inquit, & generatio

Animi mors quædam & renaſcentia.

Regeneratio nouiſſima reſurrectio.

laudabit opera tua. Quarum vtraque sumus Filij Dei, priore quidem adoptionis, alia autem resurrectionis, Luc. 20. Filij appellãtur. Eadem etiam Paulo adoptio & redẽptio corporis vocatur, Rom. 8. Nunquid non per lauacrum sanctum regenerati, adoptati, redempti sumus? & tamen restat regeneratio, adoptio, redemptio, quam in fine venturam nunc patienter expectare debemus, vt tũc filij huius seculi nulla ex parte iam simus. Quisquis ergo baptismo derogat, quod modò per id percipimus, corrumpit fidem: Qui autẽ iam nunc ei tribuit, quod quidem per ipsum, sed tamen posteà accepturi sumus, amputat spem: Nam si à me quisquã quæsierit, vtrum per baptismum salui facti sumus, negare non potero Paulum id hîc dicẽtem. Sin quæsierit vtrum per idem lauacrum omni prorsus modo iam nos fecerit saluos, respondebo, non ita est, idem quippè item dicit, Spe salui facti sumus, & si quod non videmus, speramus, per patientiam expectamus, Rom. 8. Salus ergo hominis in baptismate facta est, quia dimissum est quod peccatum à parentibus traxit, vel quicquid etiam propriè ante baptismum peccauit, Salus vero hominis tanta tum erit, vt peccare omnino non possit. Hæc contra Pelagianos ad Bonifacium, lib. & cap. 3. Et li. 4. cap. 11. citat huius sententiæ & expositionis secum testem Ambrosium super Esaiam, qui liber, opinor, minimè extat, ad id Esa. 1. Filios genui, &c. Suscepit de generationibus quæ ex Deo sunt, dispu-

diſputare, & concludit ita, Si igitur diuerſæ generationes ſunt, & hic introitus in hanc vitam receptor eſt delictorum, intantum vt ſpernatur etiam qui genuit, alia autem generatio peccata non recipit, videamus ne qua ſit poſt huius vitæ curriculum noſtra regeneratio, de qua ſuprà, In regeneratione, &c. Sicut enim regeneratio lauacri dicitur, per quam deterſa peccatorum colluuione renouamur, ita regeneratio dici videtur, per quam ab omni corporeæ concretionis purificati labe, mundo animæ ſenſu in vitam regeneramur æternam, eò quòd purior quædam qualitas ſit regenerationis illius, quàm lauacri huius, vt non ſolùm in actus eius ſed ne in ipſas quidem cogitationes noſtras vlla cadat peccatorum ſuſpicio. Quod fragmentum repetens idem contra Iulianum, lib. 2. ſic ait, Nempè diſtinxit vir ſanctus & verax iuſtificationem vitæ huius, quæ fit per lauacrum regenerationis, & illius perfectionem, cùm & noſtra corpora fuerint immortalitate renouata. Non itaque fuit Ambroſio, fatenti licet naſcentis originis vitium, deſperata iuſtificationis perfectio. Quia ſicut eſt humana natura creatori Deo formabilis, ita redemptori ſanabilis. Sed vos feſtinatis, & præſumptionem veſtram feſtinam præcipitatis: hîc enim vultis hominem perfici, atque vtinam Dei dono, non libero, vel potius ſeruo propriæ voluntatis arbitrio. Iuſtificatio porrò in hac vita ſecundum tria confertur, Prius lauacro regenerationis,

Regeneratio lauacri, & regeneratio reſurrectionis.

Iuſtificatio in hac vita ſecundù tria confertur.

quo remittuntur cuncta peccata, Deinde congressione cum vitiis, à quorum reatu absoluti sumus, Tertiò dum nostra exauditur oratio, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Hæc ille. quibus satis constat regenerationis baptismalis in hac vita necessitas, vsus, atque modus. Minus ergo sapit Augustinum autor Quæstionum mixtim ei inscriptarum, Quæst. vlt. Non video, inquiens, reos fieri homines, quia nati sunt, sed quia malè conuersati, imò etiam quia nati: & iræ enim filij natura, seu nascendo sumus, Ephes. 2. Sed si vtilis, ait, est natiuitas, cur renascimur? respondet, non renasceremur nisi vtilis esset natiuitas, Respondeo contrà, nisi non solùm non vtilis, sed etiam noxia & peccaminosa nobis esset natiuitas, nec nobis cur renasceremur, opus fuisset. Pergit, Renasci enim renouari est, & qui renouantur, instaurantur, non ergo accusat renascibilitas natiuitatem, sed reformat: imò & accusat simul ac reformat. Et quod reformatur (ait) bene ab initio institutum probatur, Rectè, Sed quod reformatur, bene licet ab initio à Deo formatum, pòst tamen ab homine diaboli vtique instinctu deformatum, non minus probatur. Vt ergo reddamur ad pristinum Adæ statum, qui sic corpus suum subiugauit peccato, vt nascerentur homines sub peccato, renascimur, expiamur, reparamur, immutamur, abluimur, melioramur, resurgimus denique per fidem, obedien-

tiam, & lauacrum regenerationis, *& renouationis*, siue renouationem, vt repetatur præpositio *per*, Sermo enim Græcis anceps est, quòd διὰ paternum casum postulat. Et sic sanè legit Hieronymus in Commentariis locum hunc ordinans. Nec secus interpretatur Chrysostomus, ita repetens, hoc est quod ait, per renouationem Spiritussancti nouos iterum fecit. Adeò vitiis immersi eramus & effusi, vt non purgatione, sed renouatione magis opus esset, neque vlla ratione purgari possem⁹, nisi etiam denuò nasceremur, reficeremur, renouaremur. *Renascentia nostra necessitas.* Et id enim significant Græca vocabula, secundam natiuitatem, nouámque formationem, vt domum veterem, putrem, cariosam, ruinosam, citóque collapsuram, instaurandam, non vel fulcris suppositis sustentamus, vel veteribus structuris fulcimus, sed funditus diruimus, & ad fundamenta vsque demolimur, & ita euersam nouam omnino ædificamus, sic in nobis Deus non aliquid inædificauit, non reconcinnauit, quod corruptum erat, sarciendo, sed euertit quod malè steterat, & nos denuò creauit & condidit. Sic Græci. Et hic est alter baptismi effectus, quo baptizatus per Christum ad naturæ reparatus integritatem, priorem deponit vetustatem, veterem sub peccato vitam terminat, nouam sub gratia & iustitia inchoat, & deposito veteri homine, innocentiæ, quam in primo parente, priusquam pec-

Nouitas hominis quæ sit caret, perceperamus, nouitatem iterum percipit, in qua vitæ nouitate deinceps ambulat, & quotidiè crescendo in melius magis atque magis renouatur. Sic Latini conformiter ad alios Pauli locos. *Homo vetus deponendus.* Vtvt, inquit, qui foris est, noster homo corrumpatur, qui tamen intus est, de die in diem renouatur, 2. Cor. 4. Et Ephes. 4. Deponite vos secundum pristinam conuersationem, veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris. Renouamini spiritu mentis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Quæ repetit Col. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes nouum, qui renouatur in agnitionem, secundum imaginem creatoris sui, ac recreatoris Christi, vt quomodò is surrexit à mortuis, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus, in nouitate ei spiritus, non in vetustate literæ seruiamus, in nouitate sensus nostri reformemur, Rom. 6. 7. 12. & quasi modò geniti infantes, rationabile ac sine dolo lac concupiscamus, vt & in eo crescamus in salutem, neque iam hominum desideriis, sed Dei voluntati, quod reliquum est temporis in carne viuamus, 1. Petr. 2. 4. Et vetus igitur homo & exterior, eidem vbi suprà Augustino in Psal. 6. dicitur, quo secundum corpus & carnem viuitur: Interior *Vetus homo & exterior quis dicatur.* autem, quo secundum animam, qui & nouus, propter regenerationem, morúmque

ſpiritualium innouationem, quæ in ſacroſancto lauacro inchoatur, vt proficiendo perficiatur, in aliis citius, in aliis tardius, ſic à multis in nouam vitam procedatur. Sic Apoſtolus internum hominem de die in diem renouari dixit, vt perficiatur. Et Manichei ſcilicet à perfectione volebant incipere, eam impudenter in Catholicis imbecillioribus quærentes, & nullo apud ſe modo exhibentes, vt idem habet ad finem libri de moribus Eccleſiæ catholicæ. Et lib. 14. de Tinitate cap. 16. 17. collatis ſuperioribus Pauli locis, hæc, ait, animæ peccato decoloris, deformis, & deformatæ reformatio, & (quotidiana) renouatio, non vno momento fit conuerſionis eius, ſicut quæ in baptiſmo fit, remiſſione omnium peccatorum, nec enim vel vnum quantulumcunque remanet, quod non remittatur, ſed vt aliud eſt carere febribus, aliud ab infirmitate febribus facta reualeſcere, aliud infixum telum de corpore demere, aliud, vulnus eo factum ſecunda curatione ſanare: ita prima curatio eſt, cauſam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: ſecunda, languorem ſanare, quod fit paulatim proficiendo in renouatione huius imaginis. Quæ duo demonſtrantur, Pſal. 102. Qui propicius fit omnibus iniquitatibus tuis, quod fit in baptiſmo: Qui ſanat omnes languores tuos, quod fit quotidianis acceſſibus, cùm hæc imago proficiendo renouatur,

Interior homo & nouus

Renouatio animæ peccato deformatæ non vno momento fit, ſed paulatim.

amorem transferens à temporalibus, visibilibus, carnalibus, ad æterna, intelligibilia, & ab illis quidem cupiditatem frenare, his autem se charitate alligare diligenter insistit. In quo profectu & accessu bene proficientem cùm dies vitæ huius vltimus quemque compererit, perducendus ad Deum, quem coluit, ab eo perficiendus, & cætera. Et loco paulò antea citato ad Marcellinum contra Pelagianos, libro secundo, capite septimo, octauo, decimo. Eò docet quosque Filios Dei fieri, quo esse incipiunt in nouitate spiritus, & renouari in interiorem hominem: non enim ex qua quisque hora baptizatur, omnis vetus eius infirmitas absumitur, sed renouatio incipit à remissione omnium peccatorum. Et in quantùm spiritalia quisque sapit, qui iam sapit, in tantùm renouatur: cætera in spe facta sunt, donec etiam in re fiant, vsque ad corporis renouationem in meliorem statum immortalitatis & ĩcorruptionis, qua induemur in Resurrectione mortuorum. Nam in baptismo quamuis tota & plena fiat remissio peccatorum, tamen si continuò tota & plena etiam hominis fieret in æternam nouitatem mutatio, non dico & in corpore, quod certè manifestum est adhuc in veterem corruptionem atque in mortem tendere, in fine posteà renouandum, quando verè tota nouitas erit: sed excepto corpore, si in animo, qui homo est interior, perfecta in baptismo nouitas fieret,

non enim diceret Apostolus renouari de die in diem, profectò qui quotidiè adhuc renouatur, nondum totus est renouatus, & in quantùm talis, adhuc in vetustate est. Proinde ex hoc quòd adhuc in vetustate sunt, quamuis iam baptizati, sunt etiam seculi filij: Ex hoc autem quòd in nouitate sunt, hoc est, ex plena & perfecta remissione peccatorum, & quátumcunque illud est quod spiritaliter sapiunt, eíque congruos mores agunt, Filij Dei sunt, intrinsecus enim exuimus veterem hominem & induimus nouum, quando ibi mendacium deponimus, & veritatem loquimur, & cætera quibus Apostolus explicat, Eph. 4. quid sit exui veterem hominem, & indui nouum. Et hoc vt faciant, iam baptizatos fidelésque adhortatur, non ad adhuc idem monendos, si hoc in baptismo iam perfectè factum esset, & tamen factum est, sicut & salui facti sumus: Saluos enim nos fecit per l. r. e. r. SS. Sed qui hoc factum sit, alio loco dicit, In nobismetipsis, inquiens, ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis nostri, Rom. 8. Adoptio ergo plena filiorum in redemptione fiet etiam corporis nostri. Primitias itaque Spiritus nunc habemus, vnde iam Filij Dei reipsa facti sumus. In cæteris verò spe sicut salui, sicut innouati, ita & Dei Filij: Re autem ipsa, quia nondum salui, ideò nondum plenè innouati, nondum etiam Filij Dei, sed filij seculi.

Renouari de die in diem.

Exui veterē hominem, & indui nouum quid.

Filij Dei & filij seculi. Proficimus ergo in renouationem iustámque vitam, per quod filij sumus, & per hoc peccare omninò non possumus, donec totum in hoc transmutetur, etiam illud: per quod adhuc filij seculi sumus, per hoc enim & peccare possumus. Consumetur ergo quod filij carnis & seculi sumus, & perficietur quod Filij Dei, & spiritu renouati sumus. Interim Filij Dei sumus, & nondum apparuit quid erimus, 1. Ioan. 3. Quid est hoc, sumus & erimus, nisi quia sumus in spe, erimus in re? Scimus enim quia cùm apparuerit, similes ei erimus, quia eum sicuti est, videbimus. Nunc ergo ei & similes esse iam cœpimus, primitias habentes spiritus: & adhuc dissimiles sumus, per reliquias vetustatis. Proinde in quantùm similes, in tantùm regenerante spiritu Filij Dei: in quantùm dissimiles, in tantùm Filij carnis & seculi: Illinc ergo peccare non possumus, quia qui natus est ex Deo, non peccat, primæ Ioannis tertio. Hinc verò si dixerimus quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, primæ Ioannis primo. Quæ testimonia minimè sunt contraria: Quandiu enim homo quamuis totus spe iam, & iam in re ex parte in regeneratione spiritali renouatus, adhuc tamen portat corpus quod corrumpitur, & aggrauat animam, Sapientiæ 9. donec totum transeat in adoptionem, & non sit peccator, quæras locum eius & peccatum, & non

inuenias, Psal. 9.36. Habemus ex Christo & Paulo, & vtriusque interprete Augustino, triplicem (vt suprà) Regenerationem, ita & renouationem, nisi quòd idem non procul à fine expositionis Epistolæ ad Roman. inchoatæ, eos qui iam baptizati fuerint, curari (ait) melius dicimus per pęnitentiam, quàm renouari, quia renouatio propriè in baptismo est, vbi quidem operatur pœnitentia, sed tanquam in fundamento, manente itaque fundamento, recurari ædificium potest: Sin fundamentum iterare quis voluerit, totum subuertat ædificium necesse est. Ideò dicit, Hebr. 6. Impossibile post baptismum prolapsos, rursus renouari per pœnitentiam, vtique baptismalem, seu denuò baptizari. Sed de hoc scopulo, vt obiter, ita meli⁹ silere puto quàm pauca dicere. De tertia ergo eadémque nouissima nostri per resurrectionẽ renouatione hîc oritur alia quæstio, Cũ enim iuxta Apostolum, 1. Cor. 15. imaginem terreni hominis ab humanæ generationis exordio induerimus, cœlestis autem ex fide nunc portemus, habituri in resurrectione quod credimus, quomodò renouemur, si non ad hoc per Christum renouàmur, quod in Adã primo eramus? quanquàm enim multa non in pristinum, sed in melius renouentur, ab inferiore tamen statu, quàm quo erant anteà, renouantur. Hîc aliis alia dicentibus, vt quæ scriptura de Adæ corpore prius quàm spirituali, déque nostri renouatione toties memorat, sibi constent & inter

Curari dicimur per pœnitentiã, renouari per baptismum.

Baptismalis pœnitentia.

ſe conſentiant, reſpondet Auguſtinus de Geneſi ad literam,li.6.cap.19.20.24.27.28. Quo ergò modo renouari dicimur, ſi non hoc recipimus quod in Adam perdidimus? Hoc planè, inquit,ſecundum quendam modum recipimus & non recipimus:Recipimus iuſtitiam, ex qua per peccatum lapſus eſt homo, immortalitaté ſpiritalis corporis,quam nondũ homo habuit, non recipimus. Renouamur ergo à vetuſtate peccati,mente in agnitionem Dei, ſecundum eius imaginem,quam in ſpiritu impreſſam Adã per peccatum ſic amiſit & perdidit, non quidé vt nulla in eo remanſerit, ſed quia tam deformis vt reformatione opus habuerit. Sic enim ſe interpretatur lib.2.Retractationum cap. 24. & hanc per gratiam iuſtitiæ recipimus. Renouabitur autem etiam carne, in melius nimirũ, non in priſtinum corpus animale, in quo fuit Adam,ſed in ſpiritale, in quod nondum mutatus,ſed niſi mortem peccando meruiſſet, mutandus erat:In quo corpore,inquàm,immortali ſancti omnes erunt à mortuis reſurgentes.Et cuius hæc omnia vi,virtute,ac dono fiunt? *Spirituſſancti,* Et in hoc enim Dominum baptizaturum præcurſor prædixerat,Mat.Luc.3.Marc. Ioan.1.Act. 1.11.19. In hoc ergò baptizantur, quotquot baptizantur, vt de omne genus peccatoribus dicat Paulus, Hæc fuiſtis, ſed abluti, ſed ſanctificati, ſed iuſtificati eſtis in nomine D.N. IeſuChriſti, & in Spiritu Dei noſtri, 1.Cor.6. & 12.Etenim in vno ſpiritu omnes

Imago Dei quomodo ab Adà perdita

Renouatio carnis.

nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi. Hoc ergo in nos adueniente in baptismo, regenerati renouatique sumus, peccata nobis remissa, collatæ virtutes, & gratia. Si modum fortè requiris, Spiritus Dei, adeóque tota superbenedicta Trinitas hæc vniuersa transigit, operatur, & efficit, & hui' effectionis causa est, vt aqua corpus tangat, & cor abluat, quod Augustini verbum tractat. 80. ad id Ioan. 12. Iam vos mundi estis propter verbum quod locutus sum vobis. Hîc non excutio, plus alioqui satis excussum libello nostro, qui de Vi verbi Dei In sacris mysteriis inscriptus exiit vtraque lingua Anno 1561. quo sic inter verbum & fidem partiti sumus, & nisi fallor, obtinuimus, vt verbi sit efficacia sacramenti, fructus autem & profectus recipientis fidei. Hæc ergo, vt ad literam redeã, baptismi virtus est à sancta & indiuidua Trinitate, Vnde & Christo baptizato pater in voce, Filius in carne, Spiritussanctus in columbæ specie apparuerunt, Matth. Luc. 3. Marc. Ioan. 1. & Matth. 28. Dominus baptizare iussit in nomine Patris & Filij & Spiritussancti. His enim verbis Euangelicis, sicut accepit Ecclesia, consecratum Christi baptismum vbicunque sanctum esse, per quoscũque etiam nõ sanctos, imò hæreticos, tam sæpe recurrit apud omnes catholicos, & Augustinum præsertim contra Donatistas & sic omnes omnium temporum Catabaptistas, vt nihil sæpius, lib. 3. de baptis-

Baptismi virtus, vnde.

Baptismus vbique sanctus.

mo, cap.10.15.19. lib.4. cap.4.10.lib.5. cap.1. lib.6. cap.17.25. lib.7. cap.53. Deum enim adesse verbis Euangelicis suis, sine quibus baptismus Christi consecrari non potest, & diuinam in sacramento suo virtutem assistere, siue ad salutem bene vtentium, siue ad perniciem malè vtentium. Et aquę ergò baptismo siue lauacro mundamur, sed in verbo vitæ, Eph.5. Voluntariè enim nos Deus genuit, ac etiam regenuit, verbo veritatis, vt simus initiũ aliquod creaturæ eius, Iac.1. non ex sanguinibus, nec ex carnis, id est, mulieris & viri voluntate, sed ex Deo nati: Ioan. 1. Renati non ex semine corruptibili, sed incorruptibili, per verbũ Dei viui & permanentis in ęternum, 1. Petr.1. Verbum enim Domini manet in æternum, Esa.40. Psal.118. Hoc autem est, ait, verbũ quòd Euangelizatum est in vobis, hoc inquàm fidei verbum est, quod prædicamus, quia si confitearis in ore tuo Dominũ Iesum, & in corde tuo credideris quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris, Rom.10. Et vero baptismi tum verbum tum elementum, reliquúsque ritus id non solùm repræsentat, sed suo quoque modo efficit, nimirùm nos Christo ibi cõmori, consepeliri, corresurgere: Et in Christi enim mortem baptizamur, & Christo in baptismate con sepelimur, in quo & simul cũ eo resurgimus, vt ei per mortis eius similitudinem complantati & insititij facti, sic & resurrectionis participes futuri, Rom.6. Col.3. Quòd autem ele-

menta in ſacramentis verbo conſecrata verè etiam animam mundét, purgent, ſanctificent, præter ſcripturæ ſic loquendi morem, nec verò aliter ſcriptores ſacri loquuntur. Sic Dionyſio Eccleſiaſticæ Hierarch. cap. & part. 2. baptizaturus pontifex, aquas (lauacri baptiſmalis) ſancta prçce & inuocatione (diuini nominis) ſanctificat, tres beatitudinis diuinæ, ſeu diuinitatis ſummæ perſonas ſimul inclamans & nominãs. Caro (inquit de carnis reſurrectione Tertulianus) abluitur, vngitur, ſignatur, vt anima emaculetur, cóſecretur, muniatur. Et lib. de baptiſmo ampliſſimè ita, Plura, inquiens, proſequar de elementi huius autoritate, quanta vis eius aut gratia, quod ingenia, quot officia, quantum mundo inſtrumentum ferat, vereor ne laudes aquæ potius quã baptiſmi rationes videar congregaſſe. Licet eò plenius docerem non dubitandum, ſiquam omnibus in rebus & operibus ſuis materiam diſpoſuit, etiam in ſacramentis propriis parêre fecit, ſi quæ vitam æternam gubernat, & in cæleſti procurat. Sed ea ſatis erit præcerpſiſſe, in quibus & baptiſmi ratio recognoſcitur prima, quæ iam tunc vel habitu prænotabatur ad baptiſmi figuram, Dei Spiritum, qui ab initio ſuperuectabatur ſuper aquas, intinctos reformaturum. Sanctum vtique ſuper ferebatur, aut ab eo quod ſuperferebatur id quod ferebat, ſanctitatem mutuabatur, Quoniam ſubiecta quæque materia, eius quæ de ſuper imminet, qualitatem capiat neceſſe eſt,

maximè corporalis ſpiritalem, & penetrare & inſidere facilē per ſubſtantię ſuę ſubtilitatē. Ita de ſancto ſanctificata aquarũ natura, ſanctificare concepit, & omnes aquę de priſtina originis prærogatiua ſacramētum ſanctificationis conſequũtur inuocato Deo. Superuenit enim ſtatim Spiritus de cælis, & aquis ſupereſt, eas ſanctificans de ſemetipſo, & ita ſanctificatæ vim ſanctificandi cōbibunt. Quanquã ad actũ ſimplicē cōpetat ſimilitudo, vt quoniã vice ſordiũ delictis inquinamur, aquis abluamur. Sed delicta ſicut non in carne cōparent, quia nemo ſuper cutem portat maculã idololatriæ, ſtupri, fraudis, ita eiuſmodi in ſpiritu ſordēt, qui eſt autor delicti. Spiritus enim dominatur, caro famulatur, vtrunq; tamē inter ſe reatũ cōmunicant, ſpiritus ob imperiũ, caro ob miniſterium. Medicatis ergò quodãmodò aquis per Angeli interuentũ, & ſpiritus in aquis corporaliter diluitur, & caro in eiſdē ſpiritaliter mundatur. Et diligēs hui⁹ lector Cyprianus, li. 1. Epiſt. vltima, Oportet, ait, mundari & ſanctificari aquã prius à ſacerdote, vt poſſit baptiſmo ſuo peccata hominis qui baptizatur, abluere, quia per Ezechielem prophetã D. dicit, &c. Quanquã quod ſanctus pater illic, vt nuſquã non ferè, negat apud hæreticos eſſe baptiſmũ, id in iis modò locum habet, quorũ alij in perſonis diuinis inęqualitatem, alij indiſcretionem confitentes, baptiſma in ſuæ peruerſitatis non in Eccleſiæ forma miniſtrabant, quã alioqui ſeruantes, ſacramētum

Aquarum ablutio myſtica.

quidem, sed sine sacraméti virtute, hoc est, sanctificatione, quia sine fide, & extra Ecclesiá cōferebant, vt rectè distinguit Gratianus, 1.q.1.§. Sed notandū. & sequēti. Cautè igitur legend⁹, & sanè intelligendus Hieronymi aduersus Luciferianos Orthodoxus ita disputans, Cùm in Patre & Filio & Spiritussancto baptizatus homo téplum Domini fiat, & veteri ade destructa nouum Trinitatis delubrū ædificetur: quomodò dicis sine aduentu Spiritussancti apud Arrianos peccata posse dimitti? quomodò antiquis sordibus anima purgatur, quæ sanctū nō habet Spiritum? Nec enim aqua lauat animam, sed prius lauatur à Spiritu, vt & alios spiritaliter lauare possit. Spiritus, inquit, Moses, Domini ferebatur super aquas. Ex quo apparet baptisma non esse sine Spiritussancto. Bethseda siue Bethesda Iudeæ lacus nisi per aduentū Angeli, debilitata corporaliter mēbra sanare non poterat, Ioan. 5. Et tu mihi aqua simplici, quasi de balneo animam lotam producis? Dominus qui non tam lauacro mundatus est, quàm suo lauacro vniuersas aquas mundauit, statim vt caput extulit de fluento, Spiritumsanctum accepit: non quòd vnquam sine Spiritusancto fuerit, quippè de Spiritusancto in carne natus, sed vt nobis verum esse baptisma monstraret, quo Spiritussanctus adueniat. Igitur si Arianus dare Spiritumsanctū non potest, nec baptizare quidem, quia Ecclesiæ baptisma sine Spiritussancto nullum est.

Christ⁹ quare spiritū sanctum accepe rit baptizat⁹.

Tu verò cùm baptizatum ab eo recipias, & postea Spiritumsanctum inuoces, aut baptizare debes, quia sine Spiritusancto baptizari non potuit: aut si baptizatus est in Spiritu, desine spiritum ei inuocare, quem tunc cùm baptizaretur, accepit. Et paulò pòst, Tu verò qui ab Arrianis baptizatũ recipis, & ei tribuis baptisma quod perfectum est, quo pacto, quasi modicum quid ei defuerit, sanctum aduocas Spiritum, cùm baptisma Christi sine Spiritusancto nullum sit? Hæc ille. Quemquidem locum protulit, quòd valde videretur è re præsenti esse, hoc est, Spiritussãcti in baptismo energia. Quibus ergo baptismum abrogat, ij, vt ibidem sequitur, non credebant, ac proinde nec baptizabant, nisi in Patre solo vero Deo, & in IesuChristo Saluatore creatura, & in Spiritusancto vtriusque seruo. Cui tum fidei, tùm baptismi formulæ meritò idem aures claudere, ne tantæ impietatis vocibus polluantur, auditorẽ præmonuit. Ob eundem formæ receptæ defectum Nicenus canon. 19. Paulianos à Paulo Samosateno, ad Eccle. cõfugientes, vbi. suprà 1.q.1. Si quis confugerit. & can. seq. Innocentius 1. Epist. 22. cap. 5. Et Arelateñ Synodi canõ 16. Photinianos. & Gregorius 1. lib. 9. Epist. 61. De Consf. Dist. 4. ca. Hi verò. Bonisianos in Christum Dominum non credentes, & Cataphryges Spiritumsanctum, prauum hominem Montanum esse credentes, omnes in nomine Patris & Filij & Spiritussancti minimè baptizantes,

Heretica baptizatores.

zantes, cùm ad Catholicam venerint, baptizãdos censuerint, quia baptisma non fuit, quod in errore positi, in Sanctæ Trinitatis nomine minimè perceperũt. Atque adeò tanti semper fuit forma Euangelica vbicunque & à quibuscunque, vt cum Augustino vbi anteà, loquar, seruata, vt etiam super Arianorum baptismo, vt suprà, distinxerit Arelatẽsis Synodi 1. can. 8. De Cons. Dist. 4. ca. De Arianis, qui propria lege sua vtuntur, siquidẽ interrogati non responderint hanc Trinitatem, hoc est, responderint se non esse baptizatos in nomine Trinitatis, vt rebaptizentur, vel potius baptizẽtur: Nec enim (vt vbi paulò antè Gregorius) dici potest iteratum, quod in Trinitatis nomine non erat datũ. Sin autem eos nostræ fidei sacerdotes Symbolum interrogantes, peruiderint in Patre & Filio & Spiritusancto baptizatos, manus eis imponant, vt Spiritumsanctum accipiant. Ac nescio annè hunc canonem videatur vellicare Hieronymus, Contra quem Ecclesiæ vsus & autoritas obtinuerit, Adeò vt Gregorio 1. vbi suprà, teste. ca. Ab antiqua patrum consuetudine, eos qui apud hæresim in nomine Trinitatis baptizarentur, etiam Arrianos ad Ecclesiam redeuntes, Occidens manuum impositione, Oriens Chrismatis vnctione reciperet atq; reformaret. Hac occasione Hieronymiani scopuli, iam ad Spiritus in baptismate opificium redeo. De hoc Damascenus loco prius allegato, Scaturiuit, ait, nobis ex sancto &

Iteratio baptismi fieri an possit.

Baptizati ab hæreticis ad Ecclesiam redeũtes quomodo recipiendi.

incontaminato Christi latere, Ioan. 19. fons remissionis, aqua in regenerationem & ablutionem peccati & corruptionis, & præceptum nobis dedit per aquam regenerari & Spiritum. Ioan. 3. Spiritusancto per imprecationem & inuocationem aquæ superuenienti. Nam cùm duplex esset homo ex anima & corpore, duplicem etiam nobis purgationem indulsit, per aquam videlicet & Spiritum. Spiritu quidem, quòd secundum imaginem & similitudinem in nobis est, renouâte. Aqua verò per spiritum gratiæ corpus à peccato purificante, à corruptione eximente, & imaginem mortis explente aqua: arram autem vitæ tribuente spiritu. Et regeneratio secundum animam fit. Fides enim filiorum adoptionem nouit, quippè qui sint creaturæ per Spiritum, & in antiquam reuocati beatitudinem. Peccatorum ergò remissio omnibus æquè per baptismum donata est, gratia verò Spiritussancti secundum proportionem Fidei & puritatis. Nũc igitur per baptisma primitias Spiritussancti accipimus, & initium alterius vitæ fit in nobis, id est, primitiæ regenerationis, & signaculum, & tutella, & illuminatio, & sanctificatio. Baptismus autem in Sancta Trinitate, qua opus habent qui eum suscipiunt, ad suiipsorum constantiam & perseuerantiam. Et impossibile est non simul esse inuicem tres hypostases, inseparabilis enim sancta Trinitas. Quo item modo in

Hominis duplicis duplex purgatio.

Hypostases tres simul sem per existũt.

aqua & ſpiritu baptizemur, exponit Ambroſius, libro primo, de Spirituſancto, capite ſexto. Qui ſpiritus, inquit, & aquæ ideo naturam diſtare non putant, non aduertunt quia in aquarum ſepelimur elemento, vt renouati per ſpiritum reſurgamus. In aqua enim imago mortis, in ſpiritu pignus vitæ, vt per aquam moriatur corpus peccati, quæ quodam quaſi tumulo corpus includit, vt per virtutem ſpiritus renouemur à morte peccati, & ideo hi tres in terra teſtes vnum ſunt, primæ Ioannis quinto, vnum myſterio, non natura. Aqua ſepulturæ teſtis: Sanguis, mortis: Spiritus, vitæ. Si qua ergo in aqua gratia, non ex aquæ natura eſt, ſed ex Spirituſſancti præſentia. Nunquid enim in aquæ (alioqui) natura ſicut in ſpiritu & viuimus, Act. 17. & ſignamur, 1. Corinth. 1. Eph. 1.? Et cap. ſequenti, Quòd Angelus ſecundum tempus deſcendebat in natatoria, & mouebatur aqua, & qui prior deſcendiſſet, ſanus fiebat, Ioan. 5. quid in hoc typo niſi deſcentionē Sancti Spiritus nunciabat, quę noſtris futura temporibus aquas ſacerdotalibus inuocata precib' cōſecraret? Is ergò Sancti ſpiritus erat nūcius, eo quòd per gratiā ſpiritalē medicina noſtris eſſet animiac mētis languoribus deferēda. Et de his qui initiantur myſteriis cap. 3. & 4. permultis exēplis iam præallegatis cōprobat, Si in veteribus figuris affuit Spirituſſanctus, multò magis in veritate ſacramētorum vtique noſtrorū adeſſe.

Teſtes tres in terra, aqua, ſanguis, ſpiritus.

Natatoria Siloe typus.

Quid,inquit,vidisti?aquas vtique: sed non solas,Leuitas illic ministrantes,Sacerdotem consecrantem. Diuinitatis illic operationem credis,præsentiam non credis? Vnde sequeretur operatio,nisi præcederet antè præsentia? Aqua est ergò, qua caro mergitur, vt omne peccatũ abluatur. Quid enim aliud in hoc sacramento quàm culpa mergitur,error aboletur? Aqua sine prædicatione Dominicæ crucis ad nullos vsus futuræ salutis, salutaris crucis mysterio consecrata,tunc ad vsum spiritalis lauacri temperatur. Non credas solis oculis corporis, magis verò quod animo & mente cernitur, non aquarum esse quod vnusquisque mundatur, sed gratiæ:ne fortè dicas,hoccinè illud est magnum mysterium? Aquas quotidiè video, eæ me mundare habent?in eas sæpe descendi, nec mundatus sum. Hinc cognosce quòd aqua sine spiritu non mundat, Ideóque tres in baptismo testes,aqua,sanguis,Spiritus,vnũ sunt, 1.Ioã.5. quia si vnum horum detrahas, non stat sacramentum. Quid enim aqua sine cruce? Elementum commune, sine vllo sacramenti effectu. Nec iterum sine aqua regenerationis mysterium,Ioan.3. En obiter crucis in baptismo signaculum. Et lib.1.de Sacramentis cap.5. Vidisti aquam,at non omnis aqua sanat, sed quæ Christi habet gratiã. Aliud est elementũ, aliud cõsecratio,aliud op⁹, aliud operatio:non sanat aqua, nisi Spiritussanctus descenderit, & aquam consecrauerit. Hoc autem forma ba-

ptiſmatis & vſus habet, vt antè fons conſe-
cretur,& tunc baptizandus deſcendat. Sacer- *Fontis baptiſmalis conſecratio.*
dos primùm ingreſſus, ſuper creaturam aquæ,
inuocationem,pòſt & precem defert, vt ſan-
ctificetur fons, & adſit præſentia Trinitatis
æternæ. Chriſtus deſcendit, ſecutus eſt ſpiri-
tus,Pater è cælo locutus eſt. Habes Trinitatis
in ſanctificationis myſterio præſentiam. Et ad
cap.Luc.3.Cũ ex duab⁹ naturis homo ſubſiſtat,
anima &corpore,viſibile per viſibile,inuiſibile
per inuiſibile myſterium conſecratur. Aqua
enim corpus abluitur, Spiritu, animæ delicta
mundantur. Aliud agimus, aliud inuocamus,
Licet etiam in fonte ſanctificatio diuinitatis
aſpiret, Non enim omnis aqua ablutio eſt,
ſed hæc inter ſe diuiſa eſſe non poſſunt. Nam *Delicta communia ſunt mētis & corporis.*
cùm communia delicta ſint mentis & corpo-
ris,purificatio quoque debuit eſſe communis.
Et ad initium cap.22. O aqua, quæ humano
aſperſum ſanguine,vt præſentium lauacrorum
figura præcederet, orbem terrarum lauiſti,
Sacramentum Chriſti eſſe meruiſti, lauas om-
nia,nec lauaris. Tu incipis prima, tu perfecta
comples myſteria, à te principium, in te
finis, vel potius tu FACIS vt finem ne-
ſciamus, de tribus regenerationis noſtræ te-
ſtibus vna, 1. Ioan. 5. aqua ad lauacrum, ſan-
guis ad precium, Spiritus ad reſurrectio-
nem, Et huius enim baptiſmus pignus eſt &
imago, Romano. 6. vt baptizati vitam de
cætero ſequamur, in qùa Chriſtus reſurrexit:

& in eius præceptis manentes, ad præterita denuò ne reuoluamur. Ideóque per aquam celebratur, vt sicut aqua sordes corporis abluit, ita & nos per baptismum ab omni peccato purgatos & innouatos credamus, vt quod incorporale est, inuisibiliter abluatur. Eandem baptismi tum gratiam, tum cum Christi morte, sepultura, resurrectione, paulò altius repetit Basilius de Spiritusancto capite decimo quinto. Hanc ob causam fuit Christi in carnem aduentus; vt homo qui saluus fit per eius imitationem, veterem adoptionem in ius filiorum ascitus recipiat.

Christus in quibus imitandus. Necessarium itaque est ad vitæ perfectionem Christum imitari, non exemplis solùm, quas in vita demonstrauit, virtutum, siue actionum, sed & mortis passionum. Sicut Christi Paulus imitator ait, Configuror morti eius, si quo modo perueniam ad resurrectionem ex mortuis, Philipp. tertio. Quo igitur modo in similitudine mortis eius erimus? Consepulti ei per baptismum. Et quis sepulturæ modus, aut ex huius imitatione fructus? Primùm oportet vitæ prioris seriem interrumpere. Id nemo potest facere, nisi desuper natus. Nam & Regeneratio, quod etiam nomen declarat, alterius vitæ initium est. *Regeneratio alterius vitæ initium.* Hinc oportet alteram vitam incepturum, superiori vitam imponere, sic vt in mutatione vitæ, necessariò mors inter vitam priorem & posteriorem intercedat, quæ &

priorem finiat, & secuturæ det initium. Quo ergò modo ad inferos descendimus? Christi sepulturam per baptismum imitantes. Eorum enim qui baptizantur, corpora aquis quodammodò insepeliuntur. Proinde depositionem operum carnis figurat baptismus quodammodò animam repurgans à carnalis affectus immunditia ei innata, Lauabis me, ait, & super niuem dealbabor, Psal. 50. Eóque non Iudeorum more in quibuslibet inquinamentis abluimur, sed vnum nouimus salutiferum baptisma, vnius pro mundo mortis, & ex mortuis resurrectionis figuram & typum, illius imaginem implente aqua, huius arram spiritu præbente. Hæc postrema verba vsurpauit suprà Damascenus. Hinc perspicuum, quod quærebatur, factum, Cur aqua spiritui coniuncta. Cùm enim duo scopi sint in baptismi pacto nobis propositi, videlicet vt aboleat corpus peccati, ne posteà mortem fructificet, tum vt viuat spiritu, & fructum habeat in sanctificatione: aqua mortis exhibet imaginem, corpus velut in sepulcro recipiens, Spiritus verò vim viuificam immittit, à morte peccati renouãs animas nostras in nouam vitam. Hoc est nasci desuper ex aqua & spiritu, quasi mortificatio perficiatur in aqua, vitam vero nostram operetur Spiritus. Hæc Basilius. Qua etiam similitudine & in hanc rem vtens Augustinus

Aqua cur spiritui coniuncta.

Nasci desuper ex aqua & spiritu sancto.

Quæſtionum ex nouo teſtamento cap. 59. Qui baptiſmum, ait, putat carnali ratione conſiſtere, hic non eſt ſpiritalis, nec cæleſte bonum conſequi poterit, qui ſe per aquam, non per fidem(veram atque viuam)immutari credit. Aqua enim cernitur, ſed qui non videtur Spiritus, operatur vt fides in eo ſit:quia ſicut ſordes corporeas aqua, ita ſpiritus animam abluit à peccatis, vt quomodò viſibilia viſibilibus, ita & ſpiritalibus proſit ſpirit⁹: ac per hoc ſpiritalis ratio vertitur in baptiſma, pl⁹ enim eſt ibi quod auditur, quàm quod videtur. Hinc Nicodemum carnali inſtructum ratione dubitantem Saluator ad fidem vt attraheret, exemplo vtitur congruo, & viſibili ad rem inuiſibilem firmandam dato, quod ſolo auditu conſiſtit, non viſu, nec negatur, & tamen terrenum eſt, quia mundi rem operatur. Spiritus, ait, vbi vult, ſpirat, vocem eius audis, ſed vnde veniat, vel quò eat neſcis, Sic omnis qui renaſcitur ex aqua & Spiritu ſancto, Ioannis tertio, vt quomodò vox venientis venti auditu, non videtur, ſic & baptiſmi ratio auditur, quòd dicatur, quo tamen modo per ſpiritum fit, non videtur. Auditur, inquam, cùm quid futurum eſt, ab eo qui verba inſinuat, prædicatur, vt fieri credatur, non tamen facti ratio reddatur. Cúmque nec ſic ad fidem Phariſæus duceretur, audiuit, Si terrena dixi vobis, nec creditis, quomodò ſi vobis dixero cæleſtia,

Similitudo Nicodemo propoſita de baptiſmo.

credetis? Si per rationem terrenam & exẽplum datum non creditis posse fieri, quia quomodo fiat non videtur, quomodò si darem exempla cælestia, quæ vtiq; nesciris, crederetis? hoc modo rem quæ nec verbis nec animo explicari potest, per id quod sensibile est, & auribus auditur, commendare, hoc est, per vẽti exemplum, quem & sensibilitas capit, & auris audit, sed vnde veniat, nescit, factum Spiritussancti, quod capi non potest, credibile facere Christus voluit. Magis ergo quòd id fiat, quàm quî fiat, idẽ alibi exponens ad Bonifacium Augustinus, epistola 23. & quidem tantò clarius, quantò breuius, Aqua, inquit, exhibens forinsecus sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, soluẽs vinculum culpæ, reconcilians bonum naturæ, regenerat hominem in vno Christo, ex vno Adamo generatũ. Citant ex eodem & Beda Scholastici, inter quos Aquinas Part. 3. Quæst. 66. artic. 3. argument. 4. Christum tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuã & purgatiuam aquis contulisse. Quod apud neutrum totidem quidem verbis reperi, sed ita concionatur Serm. 1. in Epiphania, Quòd in Iordanis vndis Dominus aquas ad humani generis reparationem sub baptismo consecrauit, quia ea Christi regeneratio nostræ fidei est confirmatio, insinuato nobis muneris sui beneficio per secundæ natiuitatis exemplum quod facere voluit, prior fecit. Iudaicorum tot sub lege baptismatum nullum

Christi regeneratio nostræ fidei est confirmatio.

contra præuaricationis malum generalem cõtulisse medicinam. Ideóque pro mundi totius absolutione homines indiguisse regenerationis aqua cælitus sanctificari. Et quia per vniuersum orbem sacramentum baptismi humano generi opus erat, omnibus aquis benedictioné dedit, cùm in Iordanis alueum singulari pietate descendit. Tunc enim eum non tam lauit aqua, quàm lota est. Attactu membra tingũtur, fluenta ditantur, *Vitalem gratiam* flumen mutuatur ex corpore, non corpus ex flumine. Descendere in se fõtem suum fœlix vnda miratur, sub vno momento remedia æterna concipiens, & noua Deum regenerationis fœcunditate parturiens: quod acceperat, reddens: quod non habebat, accipiens. Tunc baptizatus Dominus nos regenerauit ad salutem, Adamum abluit peccatorem. Quid enim ad baptismum venit qui mundus erat, nisi vt ablueret immundos? Tunc ergo currentes eum aquę perfundebant, sed peccata secum nostra portabãt: de illo guttę baptismatis fluebant, sed nostra in guttis crimina fluebant. O misericordia simul & Dei potentia! necdum eramus in mundo, & iam lauabamur in baptismo, mundati in eo antequàm nati, nam ei hæc fuit baptismi ratio, vt aquæ nos purgaturæ, ab illo antè purgarentur. Et serm. 1. in Dominica infra octauas Epiphaniæ, Non reformidauit vt baptismalis aquæ vim magis exprimeret, eam cum Deipara Virgine sic conferre, Dominus vix homi-

Aquis omnibus benedictio data per Christum in Iordanis alueum descendentem.

nibus natus, renaſcitur ſacramentis, eodem propè tempore per virginem, & poſt aliquot annorum curricula per myſterium genitus, in Iordane conſecratus, vt ſimul miraremur incorrupta matre progenitum, & vnda pura immerſum, & in vtroque facto gloriaremur, quia filium genuit mater, & caſta eſt, Chriſtum vnda lauit, & ſancta eſt. Nam vt poſt partum glorificata eſt Mariæ caſtificatio, ita poſt baptiſmum probata eſt aquæ purificatio, niſi quòd maiore penè munere quàm Maria vnda ditata eſt: Illa ſibi tantùm caſtitatem meruit, & vt non peccaret, hæc nobis contulit ſanctificationem, & vt peccata purgaret: Illa propria à ſe delicta repudiat, hæc in ſe per Dei gratiam aliena condonat: illi collata virginitas, huic fecunditas: illa vnum procreauit, & pura eſt, hæc generauit plures, & virgo eſt: illa præter Ieſum neſcit alium filium, hæc cum Ieſu mater eſt populorum. Natalis ergo alter eſt quodammodò Saluatoris, nam iiſdem dum ſignis & miraculis cognoſcimus genitum, ſed maiore myſterio baptizatum.

Maria caſtificatio poſt partum.

Denique Spirituſſanctus, qui tunc illi in vtero affuit, modò dum in gurgite circunfulſit. Qui tunc Mariam caſtificauit, nunc fluenta ſanctificat. Quale hoc baptiſma, vbi prior eſt fonte ille qui mergitur? vbi dum ſuſceptum aqua diluit, non ſordibus inficitur, ſed benedictionibus honoratur? in quo purgantur potius fluenta, quàm purgant?

Nouo enim ſanctificationis genere Chriſtum non tam lauit vnda quàm lota eſt:nam ex quo Saluator in aqua ſe merſit,omnium ex eo gurgitum tractus , cunctorúmque fontium venas myſterio baptiſmatis conſecrauit , & quiſquis ibi in nomine Domini baptizari voluerit, non tam mundi eum aqua diluit, quàm Chriſti vnda purificat.Et ſerm.2.Quod fluentis Iordanis baptizatur Ieſus, aquæ noſtro baptiſmati conſecrantur,Baptizatur enim non ſibi,ſed nobis, non vt aquis purificetur , ſed vt aquas ſanctificet.Baptizatur nouus homo,vt noui baptiſmatis conſtituat ſacramentũ.Quàm mirifico myſterio,vel corporis ſui tactu,vel tranſitu glorię ſuæ omnem ad momentum creaturam ſanctificat,viuificat,& illuſtrat?Aquas enim cõſecrat dum baptizatur.Sic Auguſtinus. Poſterior autem ſic habet ad Lucæ cap.3. Beda,Baptizatus eſt Dominus , non aquis mundari , ſed aquas mundare cupiens,quæ per eius carnem,peccati vtique neſciam , ablutæ, baptiſmi ius induerent,&quod tam innumera ſub lege baptiſmata contra præuaricationis maculam non poterant, vim regeneratiuæ ſanctificationis conciperent.Origeni ergo contra tam multa dicenti Spiritum ſanctum non operari (per) ea quæ in anima ſũt,nec ad irrationalia peruenire,Theophilus Alexandrinus lib. Paſchali 1. quòd, ait, aſſerés non recogitat aquas in baptiſmate myſticas aduentu Sancti Spiritus conſecrari,vt & per inuocationem ac eiuſdem aduentũ,panem

Aquæ non Chriſtum abluerunt, ſed per eum ablutæ ſunt.

Dominicum & ſacrum calicem, quę in Eccleſię menſa conlocantur. res vtique inanimas, ſanctificari. Non ergo ſe magis quàm ſuperiores patres oppugnat aut infirmat Cyprianus, ſiue alius eius nomine ſcriptor indubiè vetus atque catholicus, De baptiſmo Chriſti, & vnctione chriſmatis. ſed confirmat & propugnat ita ſermocinans, Veniebat Chriſtus ad baptiſmum, lauacro non egens, in quo peccatum non erat, ſed vt ſacramento perennis daretur autoritas, & tanti virtutem operis nulla perſonarum acceptio commendaret, quando remiſſio peccatorum ſiue per baptiſmum, ſiue per alia ſacramenta donetur, propriè Spirituſſancti eſt, cui ſoli huius efficientiæ priuilegium manet. Verborum ſolennitas, ſacri nominis inuocatio, ſigna inſtitutionibus Apoſtolicis ſacerdotum miniſteriis attributa, viſibile celebrant ſacramentum, rem verò ipſam Spirituſſanctus format & efficit, & conſecrationibus viſibilibus manum totius bonitatis autor apponit, & plenitudinem gratiæ vnctionis diuinæ pinguitudo ſanctificationibus officialibus infundit, & rem ſacramenti conſummat atque perficit. Et paulò pòſt, Et propriè ſibi omnipotentia Dei retinet hunc (gratiæ) effectum., Nec enim in Pane gloriamur, ſed in cruce Domini, Gal. 6. cuius virtus omnia peragit ſacramēta, ſine quo ſigno nil ſanctum, nec vlla conſecratio meretur effectum. Hinc omnium ſanctificationum exurgit ſublimitas & profundum, & longè la-

Remiſſio peccatorum, propriè ſpirituſſancti eſt.

Crucis chriſti virtus omnia peragit ſacramenta.

téque plenitudo diffunditur gratiarum. Et multò pòst, Sanctificatis elementis iam non propria natura præbet effectum, sed virtus diuina potentius operatur, sed adest veritas signo, & spiritus sacramento, vt ipsis rerum efficientiis gratiæ dignitas pateat, & interiori homini quãta ex his detur autoritas, Deiformi conuersatione, & cælestibus moribus innotescat. Nec procul à fine Sermonis de Passione, Quicunque sint sacramentorum ministri, qualescunque manus vel mergant ad baptismum accedentes, vel pectus vngant, de quo sacra exeunt verba, operationis autoritas in figura crucis omnibus sacramentis largitur effectum, & cuncta peragit *Nomen* quod omnibus eminet, à sacramentorum vicariis inuocatum. Hæc ille, quàm hodiernis Extraordinariis (sic enim sese inscribunt) ministris dissimilis, qui signum crucis à sacris & à profanis exploserunt, & nec aquæ diuino licet iure & quidem scripto, ad baptismum institutæ tribuunt, quod chrismati, elemento traditione non scripta instituto hic tribuit. Sed de chrismatis in mysteriis vsu, nos Digressione 1. in 11. ad Timoth. & ad eandem appendice. Quòd ergo baptismi vim modò solius esse Dei dicit, modò etiam tum verbi, siue nominis inuocati, tum signi siue aquæ, siue chrismatis, non pugnant (quod aiũt) quæ subordinãtur. Si qua enim est in aqua gratia, non est ex aquæ natura, sed ex spiritus præsẽtia, inquit cum reliquis Orthodoxis Basilius

Crucis figura omnibus sacramentis largitur effectum.

Extraordinarij ministri taxati.

Chrismatis vsus in baptismo.

lib.de Spiritu sancto cap. 15. Cùm ergo tantus sit veterum Orthodoxorum consensus, Deum sacramentis suis adesse & assistere, aquas item baptismales diuinam vim & virtutem, potentiam & efficaciam à Domino Deo per eius inuocationem, mutuari, accipere, cõbibere, concipere, vtri quæso, propius ad Ecclesiasticam & catholicam antiquitatem accedunt, Scholasticinè, cùm aiunt, Euangelica sacramenta nõ solùm significant, sed & cõferunt quod intus adiuuet, vel, sic esse inuisibilis gratiæ Dei signa, vt eius formam & imaginem gerant, & causa existant, nec significandi tantùm, sed & sanctificandi ergò instituta, vel, id facere quod signát, efficere quod figurant, In Sententiis Theologicis lib. & Dist. 1. A. lib. item 4. Dist. 1. B. 22. C. an verò nouatores moderni, quorum principis primum hoc fuit initio schismatis ab Ecclesia sui, paradoxon, Hæretica est, sed vsitata sententia, Sacramenta nouæ legis dare gratiam, obicem non ponẽtibus. quod postremum qui tam malignè exponũt, quasi hoc axioma iustitiam citra fidem polliceatur, næ consilium cogitant quod stabilire non possent, Iustitiam enim sine fide nulli vnquam vel somniauimus. Proinde superior sentẽtia non est diabolica, sed eius potius peruersa expositio, calumnia est, & impostura planè diabolica. Nam præter tam multos, ne dicam omnes, catholicos ita olim iam & perpetuò locutos, hæc propositio totidem verbis est Augustini, ad titul. Psalm. 73.

Lutheri paradoxon.

Sacramentorum veteris testamenti & nouæ legis, differentia.

Sacramenta, inquientes, alia sunt dantia salutē, alia promittentia Saluatorem. Sacramenta noui testamenti, dant salutem: veteris promiserūt Saluatorem. Sed iuxta superiores tum scripturas tum scriptores, conueniamus oportet, Ecclesiæ sacramenta non esse signa tantum sacra, aut sigilla siue signacula simplicia, multò min⁹ rerum quas repræsentant, vacua prorsus & inania, sed suo peculiari modo efficacia, oblatoria & exhibitoria vasa, vehicula, media, organa & instrumenta. Quam autem Dei verbo per Spiritum sanctum consecrata & sanctificata, sanctificandi vim & gratiam significant, vehunt, offerunt, exhibent, eamnè comitem tantū præsentem, & ex Deo assistentem, an verò etiam inhærentem, insitam, affixam habeāt, equidem scio nec inter Scholasticos conuenire, & per me fruantur, ac abundent in suo quisque sensu: Sed qui posteriorem dicendi modū sic quasi nimium & hyperbolicum reiiciunt, vt priorem sufficere putent, minus magnificè de Sacramentis quàm Orthodoxi veteres loqui mihi videntur. An præter tam antè multa de nihilo dixit Augustinus in verbo (vtique baptismi) aliud esse sonum transeuntem, aliud *virtutem manentem*? Tract. 80. in Ioan. Et in Faustum Manichæam, lib. 19. cap. 15. Quid aliud sunt corporalia quæque sacramenta, nisi quædā quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, mutabilia tamen & temporalia? Deus enim æternus est, nec aqua tamē & omnis actio illa temporalis, quæ

agitur cùm baptizamus, & fit, & transit, æterna est. vbi rursus etiam syllabæ celeriter sonantes & transeuntes, cùm dicitur DEVS, nisi dicantur, non consecratur. Hæc, ait, omnia fiunt, sonant, & transeunt. Virtus tamen quæ PER ista operatur, iugiter manet, & donum spiritale quod PER ista insinuatur, æternum est. Et si eius est sermo de Cataclysmo inscriptus cap. 3. En dilectissimi, venturi estis ad aquæ fontem, non dicatis in cordibus vestris, hoccinè totum est, quod pro magno desiderabamus? Fons hic visibilis similitudo æterni fontis est. Renascemini ex aqua & Spiritu sancto. Aqua illa non solùm corporis sordes mundat, sed & animam à peccatis liberat. Debetis autem nosse cur virtus illius aquæ & animæ prosit & corpori, nec enim omnis aqua mundat: sanctificatur hæc per verbi consecrationem, Virtus verbi per aquam mũdauit nos, quia super aquas ambulauit, &c. Audis verbi, audis & aquæ, sed diuino verbo consecratæ virtutem. Videtur hic, quisquis est, Ambrosium & Augustinum secutus, quorum posterior adhuc expressius, si quid modò tam expressis dici potest expressius, in quodam sermone de Epiphania, Nec mirum quod aquam hoc est substantiam corporalem, ad purificandam animam dicimus peruenire, & peruenit planè, & penetrat vniuersa conscientiæ latibula, quantumuis subtilis & tenuis, Christi tamen benedictione facta subtilior, occultans

Aquæ vis ad purificãdam animam.

vitæ causas, ad secreta mentis subtili rore pertransit. Sitnè hoc Augustini fragmentum, fides esto penes Aquinatem, id allegantem Part. 3. Quæst. 62. artic. 4. ad 3. Ex tam multis támque luculentis veterum testimoniis næ hi melius & propius diuinam scripturam loqui videntur, quibus sacramenta noua gratiam non solùm signant, sed suo quoque modo exhibent. Quibus ea contrà sigilla tantùm sunt, non vascula, & (vti loquuntur) causa sine qua non, non instrumentalis, similitudinibus his vtuntur, cùm aliundè, tum ex D. Bernardi sermone in cœna Domini mutuatis, Sacramentum, inquientis, dicitur sacrum signum seu secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantùm, alia verò propter alia designanda. Hæc signa dicûntur, & sunt, vt de vsualibus & externis exempla sumam⁹, Anulus propter anulum absolutè datus, nihil significat: ad inuestiendum datus, inuestituræ alicuius hæreditatis signum est. Sic inuestitur per librum canonicus per baculum Abbas, per eundem baculum simul & anulum episcopus. Sic diuisiones gratiarum diuersis traditæ sunt sacramentis. Et hunc in modum Dominus passioni appropinquans, sua nos gratia inuestiuit, vt inuisibilis gratia signo visibili pręstaretur. Quæ autem est gratia, vnde per baptismum inuestimur? peccatorum vtique purgatio. Hîc nihil à superioribus alienum mihi videtur dicere, multò minus sacramenta signa esse nuda sentire, cùm tam

Inuestitio vt fiat.

Sacramenta signa nuda non esse.

clarè dicat, signo siue per baptismum, gratiam præstari & inuestiri. hoc enim organum & instrumentum dicitur, quo, seu per quod aliquis operatur. Addũt & aliud simile, Denarij plumbei exhibitione ex regia ordinatione, Regiam eleemosynam aut mercedem multò maiorem recipi, cuius solus rex autor sit, denari⁹ signum duntaxat, non etiam causa. Sed nec hic quidem video denarium simplex esse signum, sed, quod aiunt, cum effectu, nec huius similitudinis inuentor aut vsurpator, quod equidem me minerim, classicus est. Augustior est sigilli vox, qua Paulus vtitur Roma. 4. & similitudo, quòd vt adhibito sigillorum vsu, verbi scriptíque veritatem, animíque nostri decretum, ita Dominus suæ erga nos voluntatis, eiúsque quam nobis promisit, gratiæ ac beneuolentiæ testimonia hæc visibilia instituit, & sacra memoracula, sed certa, efficacia, exhibitiua (huc enim semper relabar) & in quorum, vt verbi & Euangelij sui, vsu, signat nos ei credentes, spiritu promissionis sancto, cuius & pignus dat in cordibus nostris, in diem redẽptionis, 2. Cor. 1. 5. Eph. 1. 4. Sed siquidem similibus agitur, non desunt similia, quibus argumentũ, quod sic sentientes & loquentes Achilleum putant, plumbeum sit. Nihil aiunt, corporeũ, qualia indubiè sunt sacramenta, in rem incorporeã agere potest, qualis peræquè indubiè anima est. Sic Durãdus & alij, li. 4. Dist. 1. Quæst. 4. respondet Aquinas, vbi suprà, arti. 1. Instrumenta aliud sua,

aliud artificis vi agere: Securi ratione acuminis ſcindere competit, quatenus artis inſtrumentum eſt, & ab artifice motum, lectum, domum, &c. facere. Et artic. 4. ad 1. Vox ſenſibilis, vt talis, aures ferit audientis, vt autem à mentis conceptione procedit, vi quadam ſpiritali auditoris intellectum & excitat, & afficit. Quid autẽ aliud ſunt corporalia ſacramenta, niſi quædam quaſi viſibilia verba? ait vbi ſuprà, contra Fauſtum, & ſuper Ioan. Auguſtinus. Et baptiſmi ergo aqua ſecundum ſuam quidem naturam corpus tangit, mundat, refrigerat, &c. Vt verò eſt virtutis diuinæ medium, cor & animam abluit.

Sacramenta corporalia quid.

Eſt & præter hunc ſacramentorum vſum, quo & Dei erga nos, & viciſſim noſtræ erga Deum fidei ſeruiunt, alius erga nos vſus mutuus, quod iis quibuſdam quaſi fraternitatis & chriſtianiſſimi teſſeris, nos Deus in vni⁹ populi ac ceu corporis ſocietatem adgregauit. In nullum enim nomen religionis, ſeu verum, ſeu falſum, coagulari poſſunt homines, niſi aliquo ſignaculorum vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur, ait cõtra Fauſtum Auguſtinus, lib. 19. cap. 11. & addit, quod reſponſum velim iis qui ſuperius aſſertam horum ſacrorum virtutem, quam mihi magis credi quàm intelligi fateor, exufflant, Quorum, ait, ſacramentorum vis *inenarrabiliter* valet plurimùm, & ideo contempta ſacrilegos facit. Impiè quippè contemnitur, ſine quo non poteſt perfici pietas, ſed in opere, quod aiunt, vel voto, in effectu vel affe-

ctu. Vt ergo toga Romanos à Palliatis Græcis discernebat, & Romæ inter se ordines Symbolis suis distinguebantur: Senatorius purpura & lunatis calceis ab equestri, rursum hic à plebeiis annulo, ita nos sacris symbolis & inter nos adunamur, & à profanis discernimur, & confessionem nos nostram apud homines testamur. Hactenus de vi & vsu sacramentorum ex occasione baptismi. Vt ergo ex digressione, vtinam lectori tam fructuosa, quàm mihi operosa, redeam ad textum, Est vt regenerationis & renouationis in baptismo, sic & in pœnitentia & resurrectione (triplices enim eas fecimus) autor primarius Dei Spiritus. Is enim adiuuat infirmitatem nostram, & postulat pro nobis, seu postulare nos facit gemitibus inenarrabilibus, Rom. 8. vt à facie Domini ac eius timore, ceu in vtero concipiamus, & quasi parturiamus & pariamus Spiritum salutis, Esa. 26. Et Spiritus sancti per insufflationem acceptione collatæ sunt in Apostolis Ecclesiæ claues ac potestas peccata pœnitentibus & credentibus remittendi, impœnitentibus & incredulis retinendi, Ioan. 20. Postremò qui homini creando, vt corpore de limo factus fieret in animam viuentem, inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, Genes. 2. inspirauit animam quæ operatur, insufflauit spiritum vitalem, Sapient. 15. iuxta quod alius ait, Spiritus Dei fecit me, & spiraculum Omnipotentis viuifi-

Spiritus Dei auctor primarius in baptismo, pœnitentia, & resurrectione.

cauit me, Iob. 33. Idem etiam homini suscitãdo super arida & sicca mortuorum ossa insufflabit, & dabit ac intromittet in eos spiritum, & viuent, siue potius reuiuiscent, Ezech. 37. Auferes, inquit alter, spiritum eorum, & deficient, & in puluerem suum reuertentur. Emittes spiritum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ, Psal. 103. Sed vnde nobis liquet quòd nos in baptismo renouauit, & regenerauit, per pœnitẽtiam quotidiè renouet ac regeneret, & in resurrectione renouabit ac regenerabit hic Sanctus Dei Spiritus? hinc nimirùm, *Quem effudit in nos abundè*, πλουσίως diuiter Hieronymo, super nos opulentè, Augustino ditissimè, ad Marcellinum cõtra Pelagianos lib. 1. cap. 27. ad Bonifacium lib. 1. cap. 9. ad Valentinum de Gratia & liber. arbi. cap. 5. Copiosè, ait, affatim, largiter, qui dat omnibus affluenter, Iac. 1. Deus pater super nos qui foris adhuc à paradiso exules sumus, vt maior eius erga nos demonstretur clementia, extrà fudit & immisit spiritum suum spiritalibus donis suis abundantem, dedit autem abundanter & sufficienter ad plenam omnium peccatorum in baptismo remissionem, & copiam & virtutem. Super nos item, qui primitias spiritus habemus, Rom. 8. abundantius, & plusquàm super priores in veteri testamẽto iustos. Non igitur solùm per hunc nos refinxit sed & illud largè nobis impertiit, vt illud per hoc monstretur, Purus in impuros, mundus ad immundos ingressus est, vt posteaquàm nos

mundauit, eodem nos suo spiritu repleuit. Hæc autem nobis alioqui indignis, & nihil minus quàm talia merentibus, omnia contigerunt *per Iesum Christum Saluatorem nostrum*, is enim omnium nobis bonorum, patris donorum, & Spiritus charismatum mediator atque largitor est, etiã ipsiusmet Spiritus. Paracletus, inquit, Spiritussanctus, quem mittet pater in nomine meo, quem cùm abiero, ego mittam vobis à Patre, Spiritus veritatis, is testimonium de me perhibebit, & vos docebit omnia, Ioan. 14. 15. 16. Cũ autem duas in Christo naturas credamus, ad vtranque pertinere quòd det Spiritum sanctũ hîc ita ratiocinatur Aquinas: Ad diuinam quidem, quia verbũ est, ex quo simul & Patre procedit amor, nam & amor etiam in nobis, ex verbo mentali, quod cordis est conceptio, manat & procedit. Quantùm verò ad humanã, Christus summam eius plenitudinem accepit, non enim dat ei Deus spiritum ad mensuram, Ioan. 3. sed verbum caro factum habitauit in nobis, tam vtique plenum gratiæ, gloriæ, ac veritatis, vt de plenitudine eius nos omnes accepérimus, gratiam pro gratia. Ioan. 1. Ideóque sacramenta vim, virtutem, efficaciámque habent, ex eius, in carne ac humanitate, passione. Deus ergo qui in Christo, etiam vt homine, erat, per eundem, vt hominem, Spiritum suum dedit, dat, & sẽper dabit: per eius inquã, operationẽ, qui sanguine nos suo saluos fecit à peccatis nostris, & saluos adhuc faciet ab omnibus malis.

Naturæ duæ in Christo quarum ad vtrãque pertinet quod det spiritum sanctum.

Et effundit enim quotidiè in baptiſmi celebratione Spiritum ſuum. Dat, inquit Ambroſius, Spiritum ſanctum. Non enim humanum hoc opus, nec ab homine datur, ſed inuocatus à Sacerdote, à Deo traditur, in quo Dei munus, miniſterium ſacerdotis eſt. Nam ſi Paulus indicauit, quòd ſua cum autoritate donare non poſſit, & huic intantùm ſe officio imparem credidit, vt à Deo nos ſpiritu impleri optaret, Col. 1. quis tãtus, qui huius ſibi muneris traditionem audeat arrogare? Votum itaque precatione detulit, non ſibi vendicauit, impetrare optauit, non imperare præſumpſit. Petrus quoq; ſe idoneum negauit, qui ſpiritum poſſet vel cogere, vel arcere. Si eandem, inquiens, gratiam conceſſit illis Deus quàm nobis, Ego quis eram, qui Deum prohibere poſſem? Act. 11. Hæc ille lib. 1. de Spiritu ſancto, cap. 7. Et Spiritum ergo Sanctum etiamnùm, licet non vt tum viſibiliter, baptizati accipimus.

Spiritũ ſanctum etiamnùm, licet nõ vt tum, viſibiliter baptizati accipimus.

Digreſſio XII.

Hìc reddendum eſt reliquum Auguſtiniani loci ſanequã luculenti, de gratuita Spiritus ſancti à Patre per Filium humano generi donatione, quod in præcedenti capite huc feriò diſtulimus, ex libro de prædeſtinatione Sanctorum cap. 15. De ipſo (ait) Spiritu renatus eſt Chriſtianus, de quo & natus eſt Chriſtus. Eodem ſpiritu fit in nobis remiſſio peccatorum, quo ſpiritu factum eſt vt nullum homo ille haberet peccatum.

Et aliquot interiectis, Quiſquis in capite noſtro præcedentia merita ſingularis illius generationis inuenerit, is in nobis eius membris præcedentia merita multiplicatę regenerationis inquirat. Nec enim Chriſto retributa eſt ea generatio, ſed tributa, vt alienus ab omni peccati obligatione, de ſpiritu & virgine naſceretur: Sic & nobis vt ex aqua & Spiritu renaſceremur, non pro aliquo merito, ſed gratis tributum: & ſi nos ad lauacrum regenerationis fides duxit, non ideò putare debemus, priores nos aliquid dediſſe, vt retribueretur nobis regeneratio ſalutaris, Ille quippè nos fecit credere in Chriſtum, qui nobis fecit, in quem credimus, Chriſtum. Ille facit in hominibus principium fidei & perfectionem Ieſu, qui fecit hominem principem Fidei & perfectorem Ieſum: Sic enim eſt appellatus, vt ſcitis, ad Hebr. 12. dux, ſiue autor conſummatórque Fidei, quaſi dicas inceptorem atque finitorem, vt idem ſit autor initij ſimul ac finis iuſtitiæ ſalutíſque noſtrę. Hinc de vtraque ſequitur, *vt iuſtificati*, iuſti non tantùm habiti, ſed reuera facti tales, quod & vocabulum indicat, & cùm Orthodoxi alij, tum Auguſtinus paſſim explicat, Iuſtificare non tantùm pro iuſto habere, cenſere, aut reputare, ſed ex impio pium facere, De gratia noui teſtamenti ad Honoratum, Epiſt. 120. cap. 20. Tract. 3. ſuper Ioan. pręfatione in Pſal. 31. Etiamſi negari nec poſſit nec debeat id in credente fieri per deputationem fi-

Credere in Chriſtũ quis nos fecerit.

Iuſtificare, quid.

dei ad iuſtitiam, Rom. 4. Vbi quod Paulus ait, Qui iuſtificat impium, hoc eſt, eodem Auguſtino, libro expoſitionis quarumdam propoſitionum ex Epiſt. ad Romanos, interprete, de impio piũ facit, vt de cætero in pietate ac iuſtitia viuat, quia ideo iuſtificatus eſt vt iuſtus ſit, non vt peccare ſibi licere arbitretur. Vt iuſtus, inquit ille, ſit reipſa, nedum habeatur, cenſeatur, reputetur: etiamſi peræquè negandum non ſit omnem noſtram iuſtitiam hîc imperfectam eſſe, alibi perficiendam. Et ne à litera longius recedam, idem nunc eſt iuſtificati, quod prius dixit, renouati & regenerati: Quod ſic expedit Aquinas, In iuſtificatione impij duo ſunt termini, à quo, culpæ remiſſio, & hæc eſt renouatio: ad quem, gratiæ infuſio, & hoc ad regenerationem pertinet. Sed nũquid remitti culpa poſſet, & nõ infundi gratia? Nã & à principio ſine alterutra hominẽ Deᵘ cõſtituere poterat, ĩ puris, quod aiunt, naturalibᵘ, abſq; vllis gratuitis. Reſpõdet aliud eſſe de homine qui nunquã offendit, ſic enim eſſe potuit ſine culpa & gratia: aliud de eo quiſquis iã peccauit, quem fieri nequit quin Deus vel amore vel odio proſequatur: ſiquidẽ à Deo diligitur, quia prior diligitur (Deus enim prior dilexit nos, 1. Ioan. 4.) diligat Deũ is, vel potius redamet, oportet: & ſi vel diligit vel redamat, præſtetur ei gratia: quia ſine gratia non diligit. Charitas enim Dei, ſeu qua nos Deo chari ſumᵘ, ſeu qua nobis ille viciſſim, diffuſa eſt in cordibᵘ noſtris, nõ per nos ipſos,

Iuſtificati, iidem qui & renouati & regenerari.

Charitas Dei dupliciter intelligatur.

nec viribus propriæ volũtatis, vt ait ad Honoratũ Epist. 89. Augustinus, verùm per Spiritum sanctũ, qui datus est nobis, Rom. 5. vt renouati, regenerati, iustificati *gratia ipsius*, Patris, Christi, & Spiritusſãcti, amore purè gratuito, indebito, immerito, grrtis, per gratiã Dei, Rom. 3. 4. 5. 11. Eph. 2. non ex nobis, nec ex operibus, aut vllis precedẽtibus meritis nostris. Talibus enim, impiorũ vt potè meritis, ira Dei, nõ venia, & vindicta, nõ indulgẽtia, & pœna debebatur, nõ gratia, & multò minus corona, vt contra nouã tum Pelagianorum hæresim Augustinus ad Sixtum Epistol. 105. in Psal. 31. Concione 2. de 2. parte Psal. 70. & ad finem 142. ad id, Propter nomen tuum, Domine, viuificabis me in tua iustitia, nõ in mea, nõ quia ego merui, sed quia tu misereris. Nam si meũ ostenderem meritum, nihil abs te mererer nisi supplicium. Atque vtinam nullos hodiè rogare possis, quod Iulianum libr. 4. cap. 9. Respondeant certè hæretici noui, Quid bonorum meritorum præcedat in hominibus nomini Christiano inimicis? Non solùm enim non habent bonum, sed habent etiam pessimũ meritũ. Adeò, quod & apud hunc cẽties recurrit, & cùm vbi suprà, tũ in Psal. 109. gratia à nomine suo gratis datur, nec gratia, nisi gratis daretur, futura, Ex Pauli nimirum dialectica, sic argumẽtantis, Si per gratiã, iam non ex operibus, alioqui gratia iam non est gratia: Sin ex operibus iam non est gratia, alioqui opus iam non esset opus, Romanor. 11. Hinc illud

Gratia quæ sit intelligenda.

eiusdem Augustini contra Pelagium & Cæle-stium libr.2.cap.24,sanequàm arguté dictum & illatum. Spiritus(ait)vbi vult, spirat, Ioan.3. non merita sequens, sed etiam ipsa faciens: non enim Dei gratia erit VLLO modo, nisi gratuita fuerit OMNI modo. Et alibi docet, gratiam intelligendam, non solùm qua fecit nos,sed & qua refecit:cui enim debemus quod sumus,eidem debemus quòd & iustificati sumus,vt nemo quasi Deo tribuat, quia est, sibi quia iustus est: Nam melius aliquid iustũ esse, quàm hominem esse, proinde inferius aliquid Deo dares, tibi superius. Vt esses, quis fecit? Antequàm homo esses,limus eras,Gene.2.antequàm limus, nihil. Sed ne de hoc solùm figméto gratias agas artifici tuo,Audi aliud vbi te fecit, *Gratia salui facti estis per fidem*, Eph. 2. quamuis hoc ipsum quod dixerat,gratia, vtiq; nõ ex vobis.Sed ne quis aliter intelligeret,planius hoc aperire dignatus est.Et hoc,ait,vt salui essetis per fidem,*non ex vobis*, Apostoli verba sunt,non mea,Vbi audis gratiam,gratis intellige.Si ergò gratis,nihil attulisti, nihil meruisti. Nam si meritis est aliquid redditum, merces est,non gratia. Expone id apertius propter arrogãtes,sibi placentes,Dei iustitiã ignorantes, & suam constituere volentes,Rom.10.*Dei*,ait, *donum est*.Sed fortè nos aliquid fecimus, vt dona Dei mereremur:*Non ex operibus*, inquit, *ne fortè quis extollatur*. Et ne putarentur Fidelibus bona opera defutura,vidit vtique putare posse

illos toties hoc dictum, quasi necessaria non sint opera bona credentibus, sed iis fides sola sufficiat: & rursus eosdem posse de bonis operibus extolli, velut ad hæc facienda sibi sufficiant. Quid enim, dicat aliquis, Nos benè non operamur? imò operamur. Aut opera bona nō habemus? Planè habemus. Sed quomodò? vide quod sequitur, Mox enim adiecit, *Dei figmētum sumus*, Sed fortè naturam aut creationem, qua homines facti sumus, hoc appellato figmento commemorare voluit, Non planè: de operibus loquebatur: Non inquàm, facturam, vt homines, quod iam fecit, sed vt boni homines simus, quod gratia sua facit, de qua is dicebat qui vtiq; iam homo erat, Cor mūdum crea in me Deus, Psal. 50. Non ergò ex operibus dictum, tanquā tuis ex teipso existentibus, non tanquam his in quibus te finxit Deus. Audi enim vnde bona operis, *Creati in Christo Iesu in operib⁹ bonis, seu ad opera bona*, hoc est, Deo in nobis operante, quia per Fidem locum damus in corde nostro ei per nos & in nobis bona operāti. Fingimur ergo, id est, formamur & creamur in operibus bonis, quæ nō præparauimus nos, sed *præparauit Deus, vt in illis ambulemus*. Hæc Paulini loci de gratia & operibus paraphrasis Augustiniana est, ex Enchiridij cap. 31. in Psal. 142. & 144. & libro ad Valentinum de gratia & libero arbitrio, cap. 8. In eo ergò quod Paulus toties dicit hominem GRATIS iustificari, nihil aliud intelligi voluisse idē intellexit Augustinus, nisi quia

Figmentum quod intelligatur.

Iustificatio-nem opera nō præcedunt.

iustificationem opera non præcedunt, quæ scilicet Deus in homine iustificando non præparauerit, vt paulò antè ex eo audiuimus, & nihil apud eundem sæpius occurrit. Vnde sicut idem Apostolus scripsit non nisi factores legis iustificari, Rom.2. non cōtra seipsum dixit, tanquā per opera, non per gratiam iustificentur. Vnde enim factorem legis græcum iustificari diceret sine gratia Saluatoris? sed sic intellexit, vt sciamus aliter eos non esse factores legis, nisi iustificentur, vt factores legis iustificatio præcedat, non factoribus accedat. Factores ergo legis iustificabuntur, id est, iusti creabuntur, Non quia erant, sed vt sint, vt sic intelligerent etiam Iudęi legis auditores, indigere se gratia iusti iustificatoris, vt possint esse factores legis. Ita cùm dicit arbitrari se iustificari hominem sine operibus legis, Rom.3. non hoc agit, vt percepta & professa Fide opera iustitiæ contemnantur, sed vt sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiam si legis opera non præcesserint, Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificādum. Ex lib. de Spiritu & literam cap.26. De Fide & operib. cap.14. Quo etiam loco, & in Psal.31. & lib.83. Quęstionum cap.76. cùm etiā tum non deessent, sicut nec Apostolicis quidē temporibus defuerant, multóque minus hodiè desint, qui ex Paulo malè intellecto, ad obtinendam salutē sufficere rati SOLAM fidem, vt cū semel in Christū credidissent, etiā si flagitiosè viuerēt, se saluos per fidē fore putarēt, quíq;

Iustificari sine operibus legis hominē quid sit.

quod Paulus Abrahã ex fide, non ex operibus iustificatũ, Rom. 4. dixit, sic dictũ acciperet. Faciã, inquientes, ergo quicquid volo, quia & si bona opera nõ habuero, & TANTVM credidero in Deũ, deputabitur mihi ad iustitiã: qui sic, ait, dixit & decreuit, in voraginem lapsus & dimersus est: sin adhuc cogitat & fluctuat, Scriptura autem verúsque intellectus non solùm periclitãtem à periculo liberat, sed & diuersum à profundo eleuat. Respondeo ergò tanquã contra Paulum, ex eius coapostolo Iacobo, qui correcturus homines malè illũ intelligentes, & de SOLA fide præsumẽtes, & bene operari nolẽtes, Abrahæ opera cõmendauit, cuius Paulus Fidem. Dicit autẽ cap. 2. Omnibus notũ, quòd is filiũ suũ Deo immolandũ obtulit, Genes. 22. Magnũ op⁹, sed ex fide. Laudo superędificationẽ operis, sed video Fidei fundamentũ. Laudo fructũ boni operis, sed in fide agnosco radicẽ. Si enim hoc pręter fidẽ rectã faceret, nihil ei prodesset qualecũq; op⁹ esset. Rursũ, si sic fidẽ idẽ teneret, vt Deo filiũ sibi suũ immolare ei imperante, apud se diceret, Nõ facio, & tamẽ credo, quòd etiã me sua De⁹ iussa contemnentẽ liberabit, Fides sine operib⁹ mortua esset, & quasi radix sine fructu, sterilis atq; arida remaneret. Ergo ex Fide quidẽ iustificat⁹ est, sed quã si opera non pręcesserunt, secuta tamen sunt. Et nõ sunt sibi aduersi Apostoli: Alter de operibus fidem præcedentibus, alter de comitãtibus & sequentibus locutus, vt nemo priorũ quidẽ bonorum operũ merito arbitretur se ad donũ iustificatio-

Iacob⁹ Apostolus Pauli locũ male intellecturos corrigit.

Fide quomodo iustificat⁹ Abraham.

nis, quæ est in Fide, & Euangelicam gratiam peruenire: sed cùm Dei in suis gratia vacua esse nequeat, Fides non debeat, quomodò nihil anteà licet operatus, iam tamen gratis ex Fide iustificatus, potest, aut certè debet, nisi iustè operari? Nec magis contrariæ Paulinis Epistolis Apostolicæ Petri, Ioannis, Iudæ, non minus quàm Iacobi, contra exortam tum contrariam de Fide & operibus opinionem, sic intentionē dirigentes, vt vehementer astruant Fidem sine operibus nihil prodesse, cùm etiam Paulus, nō qualemlibet Fidem, qua Deo creditur, sed eam salubrem, planéque Euangelicam definiuit, cuius opera ex dilectione procedunt. Sed dicis, Non ait hoc Paulus Apostolus: imò hoc ait Apostolus, Valet, inquiēs, in Christo Fides, sed quæ per dilectionem operatur, Gal. 5. ibi, & 1. Cor. 6. Hebr. 13. Rom. 8. Dum iuxta carnem viuentes morituros ait, & opera carnis agentes regnum Dei negat possessuros, satis ostendit, homines licet, non ex præterito bono opere ad Fidei iustificationē perueniant, nec eorū meritis hæc detur gratia, iam tamē ex quo crediderunt, bene operari debere. Quòd si quis cùm crediderit, mox de hac vita decesserit, iustificatio Fidei cum eo manet, nec præcedētibus bonis operibus, quoniam gratia, non merito, ad eam peruenit, nec consequentibus, quia in hac vita non esse finitur: non tamen ita intelligendus est per Fidem sine operibus esse iustificatus, vt accepta Fide, si vixerit, dicamus eum iustum,

Opera etiā requirit Paulus.

ſtum, multò minus ſaluum, etiam ſi malè vixerit. Hæc omnia Auguſtini cùm ſint, quid aliud Scholaſtici docemus, cùm Fidem iuſtificâtem, actuoſam, operoſam, negotioſum, efficacem, & charitate formatā animatámque vrgemus? quam ideo Fidei quandam velut vitam animámque vocat Bernardus. Et cum fratribus è contrario diſcordes, ſi nondū quidem impiè feriēdo fratricidas, iā tamen teneri Fideicidas, quòd Fides charitate refrigeſcente, ſicut corpus anima recedēte, moriatur, & quæ non ex dilectione ac deuotione operatur, non niſi cadauer ſit exanime, Serm. 2. de Reſurrect. & 24. ſuper Cātica. Meli' omninò, quàm qui hodiè Fidei magis ſolitudinem, quàm eiuſdem de fratre bene demerendo ſolicitudinem non ſine lectorum & auditorū offendiculo ſcribunt & prædicant. Quibus contrà ad pœnitentiam conuertendis, & in conuerſione confirmādis, omnium (meo quidem iudicio) appoſitiſſimè, quòd Origenes ad Rom. 4. nuſquam certè alibi melius, docēt, Iuſtificationis ſalutíſque noſtrę, cuiuſdam quaſi ſpiritualis ædificij prima FIDEM initia eſſe atque fundamēta: SPEM, profectum & augmentum: CHARITATEM, totius velut operis culmen & perfectionem? Nam & inter cætera ſuperioribus fidem magis ore iactantibus, quā in corde habentibus, & Pauli de Fide doctrina abutentibus, idem vbi antè Auguſtinus illud eiuſdem Pauli obiicit, Plenitudo legis, charitas, quódque lex omnis vno dilectionis,

Fideicida, qui Bernardo.

ſermone impletur, Romanor.13. Galat.5. Sed vnde procedat hæc legis plenitudo, præterquàm quòd charitas per SpiritumSanctum diffunditur in cordibus noſtris, Rom.5. Idem Auguſtinus pro ſolita ſibi diuinæ gratiæ recognitione, Concione 15.in Pſal. 118. Hunc verſiculum, Hæc facta eſt mihi, quia iuſtificationes tuas exquiſiui, ſic exponit, *hæc*, lex, vel potius *hoc*, & cùm quæſieris quid illud ſit, reſpondeat, quod ſuprà dixerat, vt *legem tuam cuſtodirem*, non per meipſum feci, ſed *factum eſt mihi*, vtique abs te, *quia iuſtitias* vtique *tuas*, quibus impium iuſtificas, non meas, quæ me nunquã pium facerent, ſed ſuperbum. Has ergo Iuſtitias, quibus iuſtificantur per gratiam Dei, qui per ſeipſos iuſti eſſe non poſſunt, reuera δικαιόσυνας, id eſt, iuſtitias, quia græcus habet δικαιώματα, melius alij interpretati ſunt iuſtificationes. Deꝰ enim eſt qui operatur in nobis velle & perficere, ſeu operari pro bona voluntate, Philip.2. quod etiam per prophetam dicit, Ezech. 36. Faciam vt iudicia mea faciatis & cuſtodiatis, & in præceptis meis ambuletis, &c. Redeamus autem ad Paulum, & hanc eius tandem periodon abſoluamus. Sequitur finis iuſtitiæ, ſiue magis iuſtificationis noſtræ, ſempiternæ nimirùm ſalutis participatio. Fecit ergo nos Dominus Dei patris ſui naturalis Filios adoptiuos, vt per conſequens, ſicut & alibi colligit, ſi filij, & *hæredes ſimus*, Ambroſio & Hieronymo,

efficiamur, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, Romanor. 8. Iam interim in præsenti, *secundum spem*, & si nondum, sed in futuro, secundum rem, iuxta quod speramus, dum hoc in mundo tenemur, vt iure iam nunc hæreditario in spe certa possidemus, non carnalem hæreditatem vitæ tēporalis, sed eius quæ speratur, quáque vt speramus, ita perfruamur, *vita æterna*, quam ostensa Iustitiæ via, iis qui in ea incedunt, pollicitus est. Magna ergò nobis opus erat gratia, non solùm vt à præteritis natalibus regeneraremur, sordibus ablueremur, veteribusq; vitiis, quasi annis obsiti renouaremur, & peccatis iustificaremur, sed hęreditatē quoque adiremus, attingeremus, ac perpetuo teneremus, incorruptibilem quippè, incontaminatā, immarcescibilē, in cęlis erga nos siue nobis conseruatā, 1. Pet. 1. vt acciperem' coronā vitę, quā repromisit Deus diligētibus se, Iac. 1. Gloriātes interim in spe glorię filiorū Dei, Rom. 5. 8. & quod nō vidimus, speram⁹, atq; per patientiā expectam⁹. In hac porrò te ex hac periodo tres diuinas personas distinctim exprimi excellētissimi Latinorū sic demōstrāt. Hieronymus, diligētius, inquit, attēdamus, & inueniem⁹ in pręsenti cap. manifestissimā Trinitatē, Benignitas quippè & clementia Saluatoris nostri Dei, nō alterius, quā Dei Patris. Hîc ergo videmus Patrē vocari Saluatorē: per lauacrū r. & r. Spiritussancti, quē effudit abūdè super nos per Iesum Christum, viuificauit nos in vitā æternā.

Diuinarum personarum trium distinctio.

Saluator dictus etiam Pater.

Salus credentium Trinitatis mysterium. Minus quidem euidenter distinguit Ambrosius, sed eadem tamen scribit, hoc, ait, bonum, quod in Christianis florere videtur, de radice pietatis diuinæ oritur, DEVS enim misericordia sua saluos nos fecit per Christum, Cuius gratia renati Spiritumsanctum accepimus abundè, vt bonis operibus inniti possimus, ipso nos in omnibus adiuuante, vt per hæc hæreditatem regni cælorum assequi possimus. Huic ergo omni deuotione obsequi, & præceptis eius parêre debemus, quia quicquid in nobis pulchrũ est, spiritalibus ipse lineis depingit. Hîc addẽdum, vt semel finiamus, quæ, qualis, & cuius rei, & quãdiu spes esse debeat Fidelium. Duobus verbis Augustinus Epist. 147. Spes, ait, nostra, Christi hæreditas. Aliquot autem paginis ad id Psal. 129. *Sustinuit anima mea in verbum tuũ*, Nemo, inquit, sustinet, nisi qui promissum nondũ accepit. Nam qui iam accepit, quid sustinet? Accepimus remissionem peccatorum, sed promissum est nobis regnum cęlorum. Debita nostra deleta sunt, merces adhuc nostra futura est. Accepimus veniam, vitam nondum tenemus æternam. Sed qui dedit illam, promisit hanc. Si verbum nostrum esset, deberemus timere, quia verbum Dei est, non fallit. Securi ergo speramus in verbis eius qui fallere non potest. *Sperauit anima mea in Dominum*, quid ait? vna die sperauit, & finita est tota eius spes? ne putemus vno die sperandum in Domino, *à cu-*

Sustinere eorum est qui promissum nondum acceperunt.

ſtodia ſeu vigilia *matutina*, quæ finis noctis eſt, hinc *vſque ad noctem ſperauit anima mea in Domino*, quid putatis hoc eſſe? Dominus per quem dimiſſa ſunt nobis peccata, manè reſurrexit à mortuis, vt hoc in nobis futurum ſperemus, quod in eo præceſſit. Iam peccata noſtra remiſſa ſunt, ſed nondùm à morte reſurreximus, nōdum in nobis factum, quod in capite noſtro præceſſit. Quia quod in eo mortuum eſt, caro, ſpiritus enim eius nunquam mortuus eſt, reſurrexit, quodam nobis modo dicēs, Quod in me vidiſtis, ſperate in vobis. Reſurgetis & vos. Sed næ reſurrexerit, num propterea ſperandū me poſſe reſurgere? vtique propterea, quia in hoc reſurrexit quod à te accepit, & portauit. Spera ergò & in te futurum quod præceſſit in carnis de te Deo datæ, primitiis, & in iis, omnib⁹ tuis Deo conſecratis, & quia à vigilia matutina reſurrexit, cæpit anima noſtra ex hac ſperare. Et quouſque? *Vſque ad noctē*, quouſque moriamur, Omnis enim mors noſtra carnalis, quaſi ſomnus eſt. Cœpiſti ſperare ex quo ſurrexit Dominus, noli deficere ſperare quouſque ab hac vita exeas. Nam ſi non ad noctem vſque ſperaueris, deletur totum quod ſperaueras. Sunt qui ſperare incipiunt, ad noctem vſque non perſeuerāt. Incipiunt pati tribulationes & tentationes, vident malos fœlicitate tēporali pollere, & quia ſperabant de Domino vt hic fœlices eſſent, attendunt autem ſceleratos habere quod habere ipſi deſiderabant, deficiunt pedibus, & deſinūt

Reſurrecturos noscur ſperare debeamus.

Mors noſtra carnalis, quaſi ſomnus eſt.

ſperare in Domino. Quare? quia non à vigilia matutina ſperare cœperũt, nõ hoc inquã, quod in Domino ab illa præceſſit. Sed ſi Chriſtiani eſſent, habituros domum plenam frumento, vino, oleo, auro & argento, eorum neminem immaturum moriturum, ſi quis filios non haberet, accepturum: ſi vxorẽ non duxiſſet, ductu rum: in eius domo non abortiret mulier aut pecus, non aceſcerent cupæ, non grãdinaretur vinea. Qui ſic in Domino ſperabat, animaduertit Dominum non colentes his rebus abundare, & vſque ad noctem non ſperauit, quia nec à vigilia matutina ſperare incepit. Quis ergo ſic ſperare incipit? qui hoc ſperat de Domino, quod à manè in quo reſurrexit ſperare incepit, Reſurrecturum ſe, nõ vt alij à prophetis, Chriſto, Apoſtolis ſuſcitati, ſemel nati, bis mortui, rurſus moriturũ, ſed quomodò Dominũ, ſemper victurum, vt poſtquã reſurrexit, non ſe iam timeat moriturũ, Et cœpiſti ſperare à mane Domini, ſpera vſque ad noctẽ, quouſque vita hæc finiatur, & ſit nox vniuerſi generis humani in occaſu ſeculi, cùm iam nõ erit ſpes, ſed ipſa res, Nam ſpes quæ videtur, ſpes nõ eſt. Quod enim videt quis, quid ſperat? Rom. 8. Quod autẽ interim non videmus, ſperamus, & patienter expectamus vſque ad noctem, id eſt, vitæ noſtræ, vel huius ſeculi finem. Quę cùm nox tranſierit, iã veniet quod ſperabamus, nec iã ſperabimus, nec tamen deſperati erimus. Eſt enim deſperatorum vituperatio, & ſiquãdo hominẽ deteſta-

mur, dicimus, non habet ſpem. Nec tamẽ ſemper malũ ſpem non habere, ſed in hac tantùm vita qui enim modò ſpem non habet, rem poſteà non habebit. Sed cùm res venerit, nunquid ſpes erit? Veniet Dominus, & cùm aliis *Ite*, aliis *Venite*, dixerit, iam ſpes nõ erit, quia res tenebitur, trãſacta ergo ſpe, tranſibit nox: Sed donec fiat, *Speret Iſrael in Dominum*, ſed quid ſperabit? Iſraëlemnè culpo, ſpem ſeculi, quando ſperat Deo? Non: ſed alia ſpes eſt Iſraël propria. Non pro ſummo bono ſuo ſperet diuitias, ſalutẽ corporis, abundantiã terrenorũ: imò tribulationẽ hîc habiturus eſt, ſi fortè contigerit propter veritatẽ pati moleſtias. Non enim non ſperabãt in Deum martyres, paſſi tamen qualia iniqui & latrones ſubiecti ad beſtias, ignibus cremati, gladio percuſſi, vngulis exarati, catenis obſtricti, carcere necati. Hæc inquã, omnia paſſi mala, non in Dominũ ſperabãt? aut ideo ſperabãt, vt iis malis carentes, hæc vita fruerentur? Non planè, quia à vigilia matutina ſperabant. Quid eſt hoc? Nam illã conſiderabãt, qua reſurrexit Dominus, & videbant eum antequàm reſurgeret, qualia ipſi patiebantur, eſſe paſſum, & non deſperabant etiam ſe poſt tales paſſiones reſurrecturos ad vitam æternam: hoc enim debet corpus ſperare, quod præceſſit in capite, & à manè ad noctem vſque ſperare. Speret ergo Iſraël in Domino, ex hoc nunc & vſque in ſeculum, Pſalmo. 130. hoc eſt, vſque in æternum: quod duobus modis intelligitur,

Spes Iſraëlis propria.

Martyrum fines quæ fuerit.

Vſque in æternum, quid ſit.

aut ſemper ſine fine, aut quouſque ad æternitatem perueniamus, in Deum ſperemus: quia cũ eò venerimus, iam non ſpes, ſed ipſa res erit. Hæc de ſpe vitæ æternæ, Cuius tamen certitudinem ne nullo mortis æternæ metu hîc mixtã putemus, hoc eſt, ne pro ſpe temeritatem capiamus, idẽ ad Iob. 39. vbi legit, nec tumen ſecundũ Hebraicam veritatem, nec magis iuxta LXX. *Super equum gaudet arcus & gladius lancea haſtaque tremore*, Quid quod eſt hoc? An quia niſi & martyr tremat, hoc eſt, futuram, quam iaculatur diuina iuſtitia, mortẽ timeat, non poteſt præſentem, quàm perſecutor minatur, cõtemnere, vt intrepidam habeat confeſſionem, & prędicet cum fiducia veritatem, cui non poſſint inimici reſiſtere, Et ita ſuper eam gaudeat, id eſt, per eam aſſeratur Dei doctrina, per quã minatur impiis futurum interitum, & interficit præſentem iniquitatem? Niſi enim gaudiũ ſpei noſtræ cum tremore *damnationis* eſſet, in nobis negligens eſſet ſecuritas, & ſuperba præſumptio, neque nobis diceretur, Seruite Domino in timore, exultate cum tremore, Pſal. 2. & Tob. 3. Cum timore & tremore confitemini Domino. Et noſter hîc alibi, 1. Cor. 2. In timore & tremore multo fui apud vos, Phil. 2. Cum metu & tremore veſtram ſalutem operamini.

Timor piorũ qualis eſſe debeat.

Fidelis sermo est, & de his volo te confirmare, vt curent bonis operibus præesse qui credunt Deo. Hæc sunt bona & vtilia hominibus. Stultas autem quæstiones & genealogias, & contentiones, & pugnas legis deuita. Sunt enim inutiles & vanæ. Hæreticum hominem post vnam & secundã correptionem deuita, sciens quia subuersus est, qui huiusmodi est: & delinquit, cum sit pro prio iudicio condemnatus.

PRobat superiora de gratia & gloria, de iustitia & salute, & nostra de his omnibus spe & certitudine dicta: tũ postquàm suprà docuit quæ ad populi proponat Titus institutionem, ostendit quæ in doctrina vitet, dogmata nimirùm cùm inutilia, tum aliena vel maximè. Est enim velut cõclusio, vt suos de suprà dictis informet & inutilia contrà, curiosa, & erronea deuitet. Quod ergo sequitur, *Fidelis sermo*, ad superiora iungit Hieronymus, in quibus præmiserat, vt iustificati, &c. Hæredes fiamus, &c. Hæc enim quia sub visum non cadunt, imò multis incerta sunt, & quia de futuris, non de præteritis tantũ aut præsentibus loquitur, necessariò autoritatẽ fidémque verbo suo apposuit, & subiũgit, non magis illa quàm hæc dubitanda, nec minus credibilia, q. d. quòd illa vera & indubiè futura

ſint, planum eſt ex præcedentibus. Certa res eſt, ſermo verus & indubitatus, quíque ab omnibus credatur digniſſimus, dignus inquam, fide ſermo quem præmiſi ſuper Dei hæreditate, & vitæ ſempiternæ ſpe, & omnino eueniet. Qui priora dedit, poſteriora etiam daturus eſt, qui à tot tátíſque malis & peccatis eripuit, alia qũoque bona nobis promiſſa omnia certò largietur, In ea vtique gratia, quam velut eorum quæ reliqua ſunt, arram atque pignus, præſtitit permanentibus. Eadem quippè prouidentia, eadémque cura hæc & illa cuncta operatur. Sic Ioannes Reuelationem ſuam totámque ſcripturam ſacram concludit. Scribe, ait ad eum Angelus, quia hæc verba vera ſunt & fideliſſima Apoc. 21. 22. Nemo dubitet, nemo dicat aut ita excuſet, non ſperabam, non hoc illudve futurum expectabam, & quod vel ſeculi ſapientibus turpe dictu, dictum periculi plenum & ridiculum habitum eſt, *Non putabam*, meritò nimirùm ſentientibus, ſtultorum ac amentium eſſe, futura nec præuidere nec prouidere. Hinc reproborum de inſperata & inopinata electorum ſalute ſtupor & admiratio. Horum nos, aiunt vel potius dicturi queſturíque, ſed fruſtrà, ſunt, vitam æſtimabamus inſaniam, & finem eorum inhonorum, inglorium: En contrà vt inter Dei Filios computati, & locum inter ſanctos ſortiti, & cæt. Sap. 5. & 3. Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, viſi ſint licet oculis inſipientium mori, & horum

Non putabã ſapientibus, turpe dictu.

exitus afflictio, id est, ærumnosus & calamitosus. Illi autem sunt in pace, Spes eorum immortalitate plena est, & cæt. Igitur, *& de his volo te confirmare*, vel confirmari, anceps enim est, iam scientem scilicet, non ignorantem instruere vel instrui, siue potius vt alios confirmes, De prædictis Dei per Christum erga nos misericordia, gratia, iustitia, hæreditate, vita, salute, reliquaque tota prouidentia velim te non solùm certum, miniméque dubium esse, sed etiam vehementer asseuerare, & quæcunque ad diuina beneficia, peccatorum reprehensionem, fidei & morum documenta spectant, sic prædicare, vt etiam alij qui te audierint, conuersi credant, & credentes confirmentur. Est autem spes, animæ velut ancora, eam in bono confirmans, & immotam tenens, vt in mari nauem materialis ancora, sed in hoc est differentia, quòd hæc deorsum in maris fundo, illa sursum figitur in cælo. Quod simile & dissimile Lyræ est ex Hebr. 6. Fortissimum, ait, solatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, Quam sicut ancoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem ad interiora vsque velaminis, id est, cælorum secreta nobis delata, vbi præcursor pro nobis Iesus introiuit. Est autem tum aliorum, tum pastorum vel maximè confirmare. Docuisti, aiunt amici Iob. 4. multos, vacillantes confirmauerunt sermones tui. Et Christus ad Petrum, Tu

Spes, anima velut ancora

Interiora velaminis.

aliquando conuerſus confirma fratres tuos, Luc. 22. Et paſſim in Actibus Apoſtoli confirmant animas diſcipulorum, fratres & Eccleſias in fide, cap. 14. 15. 16. 18. Rom. 1. Deſidero videre vos, ad confirmandos vos, 2. Cor. 2. Confirmetis in illum charitatem, 1. Theſſ. 3. Miſimus Timotheum ad confirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra. Phil. 1. Habeo vos in corde & vinculis meis, in defenſione & confirmatione Euangelij gaudij mei ſocios. Et 2. Petr. 1. Vos ſuper his ſemper commonebo, & quidem ſcientes, & in veritate præſenti confirmatos, Apoc. 3. confirma cætera moritura, ſiue moribunda, quorum ea ſcilicet eſt conditio, vt iam ſic laborent, breui, niſi confirmentur, morituros. Et vos, ait & alius, confirmate corda veſtra, quia Domini inſtat aduentus, Iac. 5. Cuius ratio eſt, *vt curent bonis operibus præeſſe*, & hoc, ait cum cæteris qui voluerunt credere, confirmandum eſt, vt ſtudeāt alios benefactis præire, qui enim vera hæc eſſe crediderint, neceſſe eſt eorum curam habeant, per quæ Dei hæreditas, & vitæ ſpes æternæ paratur, ſic vt firmiter credentes, ſiquidem hodiè bene operantur, cras operando melius, craſtinis bona præeant hodierna. Sic non malè Bruno, & gloſſa interlinearis, *præeſſe*, magis proficere, ac ſeipſis fieri meliores, de virtute in virtutem ire, Pſal. 83. Et pulchrè vt fidem maiorem faceret, non dixit, qui hominibus confidunt, ſed *qui credunt Deo*, aut, vt legit Ambroſius, crediderunt, vt fidem

Præeſſe, magis proficere.

bonis operibus adornent. Nec enim ea sufficit ad salutem, iis qui sunt his nudati. Mentionem ait, feci bonitatis, & vt hæc doceas, hæc inculces, vt discant fideles non humiliter tantùm sapere, & de se sentire, nec aliis vel conuitiari, vel beneficia exprobrare, sed magis commiserari: Qui enim considerarit Dei secum misericordiam, aliorum quoque miserebitur. Sic alibi à diuina clementia ad eleemosynam aliis impendendam hortans, Scitis, ait, quòd Dominus, cũ diues esset, pauper factus est, vt illius ditaremur inopia, 2. Cor. 8. Significantius autem Græci, vt non simpliciter, minus verò otiosè, sed indefessi, assidui, adeóque primi & præueniẽtes, tum pecunia, tum doctrina, viduis, pupillis, orfanis, afflictis & iniuria oppressis, & omni solicitudine vt semel dicam, vniuersis indigẽtibus prospiciant & opitulentur, non operientes donec ab egenis adeantur, sed eorum vltrò curam ipsi suscipiant. Hoc enim designat, Græcis hoc loco interpretibus καλῶν ἔργων προΐστασθαι. Ambrosius vertit, vt soliciti sint ad effectum bonorum operum. Quæ cùm omnium verè fidelium sint tum pastorum ita in primis sunt, vt Latini quidam de iis speciatim intelligant, quos oportet iuxta Hieronymi & Primasij scholia, ad opera bona docenda, imò & eorum agendorũ exemplo, aliis præesse, Sint, inquit Lyra, de primis in operibus bonis. Et Aquinas, fidelibus præsint in rectè factis, vt ea videntes, & ex iis vos considerantes, Deum glorificent, Matt. 5. 1. Petr. 2.

Misereri qui discamus.

Egenorum inopia præuenienda.

Horum autem curam fideles habeant necesse est, quia *hæc* Deo in primis credere, ex eius legibus vitam instituere, de proximo bene mereri, & talia omnia tum documenta, tum facta adimpleta, & omni studio adimpleta, *sunt bona*, bonitate Dei perfecta iusta, sancta, præclara, primùm ea facientibus, *& vtilia* vtilitatem æternæ remunerationis tribuentia, *hominibus* credentibus, & facientes imitantibus. Et hoc, ait noster de eleemosynæ consilio, vobis vtile est, 2. Cor. 8. Nihil, inquit Ambrosius, tam apertum, quia misericordia & humanitas bona est ad præsens, & in futurum vtilis, hîc habet laudem, & illic coronam. Omnis ergo Deo credens misericordiæ studere debet, per quam viuit. Et vt in hæc solicitus sit populi rector moneatur. Hæc inquam, honesta verè sunt atque fructuosa. Non verò quæ sequũtur. De quibus hæc sunt ab Aquinate notata. Ad artiũ & sciẽtiarum professores pertinet primùm quidem quæstionibus quæ inde mouentur, satisfacere, tum & per se aliqua tractare. Tertio cum resistentibus disputare. Postremò quid circa eas sit vitandum docere. In aliis verò scientiis sapiens non cuiuis respondet quæstioni, sed ei modò quæ ad suam professionẽ spectat. Veritatis, ergo Christianæ doctor, *deuita*, supersede, omitte *stultas quæstiones*, intentioni doctrinæ sanæ aduersantes, irrationabiles, & vt cum eodem loquar, indisciplinabiles, quod & totidem verbis habes suprà 2. Tim. 2. 1. Tim. 6. Est enim doctri

Misericordiæ & humanitatis vtilitas præsentissima.

Artium professores præstare quæ debeant.

na diuina, ſapientiæ doctrina, ſtultitia autem ſapientiæ opponitur. Hæc eſt, aiebat Moſes, veſtra ſapientia, & intellectus coram populis, vt audientes hæc, vniuerſi dicant, En populus ſapiens & intelligens, Deut. 4. & Iob. 34. Viri intelligentes loquantur mihi, vir ſapiens audiat me. Iob autem ſtultè (ſcilicet) locutus eſt, nec verba illius ſonant diſciplinam. Stultum item quãdo manifeſtũ proponitur vt dubium, quæcunque videlicet debet per ſe quis in ſcientia tenere. eas potiſſimùm quæ ſpectãt ad fidei inſtitutionem, eruditionem morum, vitæ pietatẽ mouendas quæſtiones ſiue diſputationes: non verò vbi nec ſalus eſt, nec ſcientia vtilis, quæ ſalutis Ambroſio, effectum non habent, nec vllã tribuunt ſcientiæ peritiam, & licet omnia quæ vera non ſunt, ſtulta dicenda ſint, his tamẽ verbis hæreticorum dogmata detineri, quorum alius callida tergiuerſatione rem veneno plenam proponit, vt Arius, &c. alius res fabuloſas inducit, vt Manichæus, & cæt. Fabuloſa enim hæreſis eſt, non Dei lex. & in quibuſcunque aliis eorum interrogationibus, quas de Chriſto aliiſque rebus faciunt, ad Catholicorum depreſſionem, euidenter apparet, aut certè latet ſtultitia. Et quia multiplices ac diuerſæ ſunt quæſtiones, ideo de his qui Deum quærunt, ait Salomon, Rectè quærentes eum, inueniunt Patrem, Prouerb. octauo. Hanc igitur inuenire nequeunt, qui non eum rectè quęrũt, exemplis ab Hieronymo ſubiectis, Iudæorum,

Stultitia opponitur ſapientia.

Stulta dicenda omnia quæ vera nõ ſunt.

Quæſtionum diuerſitas.

qui, ſed fruſtrà, ſperant ſe Deum ſine Chriſto inuenire poſſe: hæretici vano quoque verborum ſtrepitu concrepantes, prauè quęrunt quę inuenire non poſſunt: Philoſophi & barbari varia de Deo ſentientes, quia præpoſterè quæſierunt, fatuæ fuerunt eorum quæſtiones, cum putantium ſenſibus humanis cõprehendi poſſe. Ab iis nos Paulus ad eas quæ ſcripturarum autoritate fultæ ſunt, reuocat, præceptorũ non neſcius dicentis, Quærite, & inuenietis, &c. Matth. 7. Luc. 11. modò non ſit corpus noſtrum ſubditum peccatis, & ingredietur in nos ſapiẽtia, Sap. 1. Exerceatur ergo ſenſus, mens quotidiè diuina paſcatur lectione, & quæſtiones noſtræ, ſtultæ non erũt. Quod autem ait *Et genealogias*, propriè pulſat Iudæos in eo ſeſe iactantes, & legis habere putantes notitiam, ſi nomina teneãt ſingulorum: non abſque Græcorum Latinorúmque irriſione, quaſi imperitorum, ſi nomina barbara, quia vel linguæ idiomata, vel etymologias non norunt, aut corruptè, aut aliter quàm Hebræi, exprimunt, in accẽtu aut ſyllabæ quantitate errantes, & vel breuia producentes, vel producta breuiantes. Horum rationes, exempla, ſolutiones latè proſequitur hîc Hieronymus, afferẽs & alteram Iudaicæ ſuperbiæ occaſionem, quòd vt Latini nomina in lingua ſua facilius memoriæ tradunt, ſic Iudæi à teneris vernacula vocabula penitiſſimè imbibunt, & ab Adam ad extremum vſque Zorobabel, omnium generationes memoriter velocitér-

Genealogia Iudæorum.

Hebræorum ſuperſtitio.

Iudæorum ſtudium.

locitérque, vt nomen suum, percurrunt. Nobis ergo qui vel alia didicimus, vel certè credidimus, vel infantes Ecclesiæ mancipati, scripturę magis sensum quàm verba sectamur, si hęc fortè non ita nouimus, putant se in nominibus referendis, supputandis annis, nepotibus & abnepotibus, auis, proauis, atauis, doctiores. Qualis Hebræus pseudochristianus, facta de Domini genealogiis quæstione, quòd scilicet à Salomone vsque ad Ioseph, vocabulorum nec numero, nec æqualitate consentiant, cum corda simplicium peruertisset, quasi ex adytis & oraculo deferebat quasdam, vt sibi videbatur, solutiones, cùm magis debuerit iustitiā, misericordiam, dilectionem Dei quærere, Et pòst, si fortè occurrisset, de nominibus & numeris disputare. Consentit Ambrosius, vertens originum enumerationes, quæ ad Iudæos pertinent, dum eorum quidam originem sibi patriarcharum prærogatiuam vendicant, de matrimoniis ortam, cùm ex hoc nullum meritum sit apud Deum. Nec aliter Græci, ad Iudaicas hæc antiquitates referunt, qui boni nihil operantur, ad maiores confugiunt, & in patribus perperam gloriantur & cristas erigunt, sui quisque generis seriem à patriarchis & prophetis repetentes, Semen, inquiunt, Abrahæ sumus, Nos ex fornicatione non sumus, Pater noster Abraham est Ioan.8. Et Gal.2. Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores. Et talia fidelibus iactant ac proponunt, Quæ vt verissima forent, non

Iudæorum iactantia de maioribus suis.

imitantibus tamẽ nihilo ſtultæ minus ſunt genealogiæ, ſeu nullam afferẽtes vtilitatem: Quæ enim vtilitas patrem habere Abraham, imò Deum, neque tamen imitari? imò potius ſtultitia eſt, & damnum referẽs, quòd ex his profecti, reprobi facti ſint. Proinde Dominus iactantibus patrem Abrahã, imò Deum, reſpondet, Scio quòd Abrahæ filij eſtis: Sed ſiquidem eſtis, opera eius facite. Si eſſetis, faceretis. Vos verò facitis quæ is non fecit. Et ſi Deus Pater veſter eſſet, diligeretis vtique me. Vos autem ex patre Diabolo eſtis, & eius deſideria perficere vultis. Addunt & Scholia Græca, de Græcis hæc quoque dici, qui ſuorum etiam Deorum geneas recenſent. Eodem verbo vſus eſt, 1. Tim. 1. Vbi paucula omiſſa hîc ſupplebimus. De poëticis quidem Auguſtinus lib. 2. de Ordine, cap. 12. teſtatur inter alia ſuos ſe familiares grauiter ſolitum miſerari, qui ſi non reſpondiſſent quid vocata ſit mater Euryali, accuſabantur inſcitiæ, cùm ipſi eos à quibus ea rogarentur, vanos, ineptos, nec curioſos auderent appellare. Priamo vult ortam Vergili⁹ Æneid. 9. nec tamen nominat. De Iudaicis idem contra legis aduerſarium lib. 2. cap. 1. Audent, inquit, dicere ac credere, Deum primo homini duas creaſſe mulieres, ex quibus genealogias texunt verè, ſicut ait Apoſtolus, infinitas, parientes infructuoſiſſimas quæſtiones. Suas ergo Iudæos genealogias habuiſſe, à libris propheticis & legitimis alienas, catholicus lector

Genealogiarum infinitas vnde.

vtroque Pauli loco intelligat. De Domini porrò Genealogiis extat nostra in 2. ad Timoth. Digress. III. Lyra notat pseudapostolos frustrà tum huiusmodi generationum argutiis nitētes ostendere Iesum Nazarenum ex Dauide non descendisse: Aquinas in Scripturis genealogias recenseri propter mysteria, & historiarum intelligētiam. Serius est de his & grauis apud Hilarium locus, sed ad 1. Tim. 1. pertinens, si tum meminissem: hîc igitur, meo more, recuperabitur. Extat autem lib. 10. de Trinitate. Sciens, ait Apostolus arduum hoc terrenæ naturæ difficillimúmque esse, rerum diuinarum efficientiam iudicio nostro tanquam ad intelligendum acriore, quàm ad efficiendum Deo potiore concipere, legitimo sibi secundum fidem filio, sacrásque literas ab infantia sumenti scribens, vetat genealogiæ eloquia tractari, & fabulas interminatæ quæstionis attingi. Ædificationem verò, Dei in fide esse, vt humanæ verecundiæ modum fideli omnipotentiæ Dei religione cōcludat, nec se infirmitas nostra ad perspicienda quæ perspiciendo naturam hebetāt, extendat. Quod autem sequitur, *contentiones*, Lyra verbosas, Aquinas eas intellexit, non quæ inter resistendum veritatem impugnantibus ad eius inquisitionem fiunt disputationes, sanequàm laudabiles. Respondete, ait Iob amicis suis, obsecro, absque contentione. Iob. 6. sed quæ magis fieri soleant ad ostentationem, præsertim si quorum non interest, per eas aliis

Contētiones vitandæ quæ sint.

præſcribere au præiudicare velint, quid tenendum, quid vitandum. Ab iis contentionibus homini qui ſe ſeparat, honor eſt, Prou.20. Et paſſim alibi nos non vult eſſe contentioſos, 1. Corinth.11.& Phil. 2. Rom.13. nihil per contentionem facere, quod ex iis quidam Chriſtum prædicarent, Phil.1. Quam & inter opera carnis mala reponit, Rom.1.2. Gal.5. 1. Tim. 1. & dolet ei cum coapoſtolo contentiones inter Chriſtianos eſſe, 1. Cor. 1. 3. 2. Cor.12. Iac. 3. ſed propius hanc literam quod. 1.Tim.6. Languere vetat circa pugnas verborum.& 2. Tim.2. dixit, Noli contendere verbis. Altius ſuſpexit Hieronymus, Dialecticos, quorum Ariſtoteles princeps eſt, ſolitos argumentationum retia tendere,& vagam Rhetoricæ libertatem in ſyllogiſmorum ſpineta concludere: Qui totos ergo dies & noctes in eo terunt, vt interrogent, reſpondeant, proponãt, aſſumant, confirment, concludant, contentioſos vocari, vt libet, litigantium ſtomacho, non ratione diſputantes. Id ſi faciunt quorum propriè ars contentio eſt, quid debet facere Chriſtianus, niſi omninò contentionem fugere? ſed & *pugnas legis*, reſpuendas, & Iudæorum ſtultitiæ relinquendas: quæ legis occaſione oriebantur, altercationes, non hiſtoricas tantùm, vt quot annos vixerit Mathuſalem, quoto ætatis ſuæ anno Salomon coniugem ſortitus ſit, ne vndecimo eiuſdem anno Roboam natus eſſe credatur, & multa huiuſmodi inuentu diffici-

Ariſtoteles dialecticorũ princeps.

Pugna legis.

lia,erroribus ob librorum varietatem inemendatorum inolitis.Et quia,quod ait Ambrosius, ideoMosis sepultura abscondita est,ne à Magis excitaretur:quod si verum esset,cæterorũ quoque sanctorum erat abscondenda.Et quòd Salomon dæmonum adiutorio templum ædificauit,quo in opere tam ingẽs multitudo laborauit,quid tam fabulosum?Sed,&quidem multò magis νομικὰς id est, legales, dum quidam vrceorum reliquorúmque vasorum baptisma. Marc.7.Hebr.6. Matth.23.Luc.11.& muslelæ sanguinem magna expiandum cura vrgent, Alij,quod hic Anselmus,dicerẽt à cibis abstinendum,quoniam sic in lege præceptum Leuit.11. Alij contrà ex Euangelio responderent,Matt. 15.Marc.7. Aliis contendentibus legem totam carnaliter intelligi seruaríque, Act.15. Aliis respondentibus,spiritaliter tantum debere.Quibusdam etiam,quod Brunò,Lyrensis, & Aquinas notant,nitentibus falsum intellectum producere, quasi scripturæ sibi inuicem videantur contrariæ,& tales rixæ ex illarum oriantur cõtrarietate,non vel ex vitio magis disputãtium, aut rationibus contrariis.Cùm nihil contrà in scripturis secundum veritatem contrarium sit, sed si quid tale apparet,vel non intelligitur,vel corruptum est scriptorũ vitio, quod patet specialiter in numeris & genealogiis.Ideóq; quia determinari nequeunt,ea vitari vult. Cũ enim doctor duo debeat intendere,vtilitatem & veritatem,Veritatem,ait Sapiẽs,meditabitur cor

Mosis sepultura cur abscondita.

Scripturarũ contrarietas qualiter excipienda.

meum,Prou.8.Et,Ego Dominus Deus tuus docēs te vtilia,Esa.48.non debet de iis intromittere reculis,quæ sunt *inutiles* sine fructu,& nec dicentibus,nec audiētibus prosunt.Nam singularia scire,vt sunt huius & illius origines, antiquitates, stémata, non multùm facit ad perfectionem intellectus,nec magis ad fidei aut morum instructionem.Sed,quod peius est,& *vanæ* plerunque falsæ sunt & inanes,ac sciētiæ tantū speciē,nō & solidā habētes veritatē.Qualia sanè permulta,etiāsi magno studio & labore inueniremus,nihil profutura cognouim⁹.Sed & frequēter accidit,vt ob gloriolā & iactātiā,dum apud auditores docti volumus æstimari,aut ex rumusculo turpia lucra sectamur,nō ob veritatis pugnemus desideriū.Quid autē prodest spumātibus labiis,& latratu garrire canū,cùm simplex & moderata respōsio possit aut te placare vera,aut leuiter à te ac placabiliter emēdari falsa?Agnoscis lector stylū,credo,Hieron. In cui' & Primasij scholiis hîc legimus,Non vult nos superfluis quæstionibus & contētionibus quæ in lege de generationibus & id genus rebus oriuntur,occupari,multò minus cōtrarietatibus siue cōtrariis,quas hæretici,de quibus sequitur, captant & sectantur,oppositionibus implicari, sed hæc semper loqui & tractare,quibus audiētes proficiant.Nec aliter Græci,cōtētiones aduersus hæreticos deuitādas,cùm lucri nihil fuerit, quoties quis ita peruersus est, & in animo decreuit,sententiam,quicquid contigerit,non

Cum hæreticis non contendendum.

mutare, cur eius gratia frustrà labores, & inter saxa semines? quæ conflictus huiusmodi cōmoditas? quis in iis altercationibus profectus, vbi nemo ad Christum captiuus aut comprehēsus adducitur? cur prætermissis operib⁹ necessariis, tempus in vaniloquiis frustrà teratur? Satius ergo & vtilius laborē hunc docēdis tuis insumeres, de fide, eleemosyna, reliquisque differēdo virtutibus. Quid tamen est περιΐστασο omitte, fuge, caueto. Quo ergo pacto suprà, cap. 1. præcepit, vt aduersariorum atque contradicētiū ora obturet, obstruat, occludat, si contrà cedere, fugere, missos facere, si hos vitare oportet? Et dicim⁹ hos quidem qui ad aliorum perditionem docent, & docendo officiunt, imò inficiunt, nō tantùm redarguēdos, sed & coërcendos, ac ceu infrænandos, sin aduersum te contendunt, non de dogmatis, cede locum, nullū enim bonum ij finem habent. Sine vtilitate autem vel illorum, vel certè tuorum, non est quòd verbulum cum eis commutes aut cōmunices: quin potius vt vel sic eis prodesse queas, vitāda eorum tibi consuetudo, cùm nihil ex tua disputatione, colloquio, conuersatione profectum iri speretur apud eos qui sint incorrigibiles. De quibus sequitur, vt erga eos Titus & eius subditi se habere debeāt, nimirū quòd sic & cur vitādi sint. *Hæreticū hominē*, quē cū alij aliter hîc & alibi accipiant, donec plenius de vocabulo pòst disputemus, simpliciter hîc eum intelligimus, qui quam semel fidem catholicam recepit, posteà

Hæreticorū consuetudo vitanda.

corrupit, Bruno ab vnitate fidei diuisum. Sed cùm prima huius nominis ratio nõ à diuisione accipiatur, sed ab electione dicatur, Græcis enĩ αἵρεσις dicitur electio. Aquinas αἱρετικὸν quasi electiuum, quasi sectæ alicuius quã elegit, pertinaciter adhærentẽ. Recentiores aliquot sectarium, seu vitiosæ sectæ autorem, vel certè addictũ, nec à quibuslibet doctorũ placitis simpliciter dissentientẽ, sed & factiosum. Græci in peruersis dogmatibus perseuerantẽ. Hũc ergo *post vnã*, id est, primã, eo loquendi modo, quo Gen. 1. Factũ & vespere & manè dies vnus, id est, primus, *& secundã* Latinius & alterã, quod & vertit, & in Latinis legi codicibus obseruauit Hieron. *correptionẽ*, melius idẽ habere Græcum νουθεσίαν quod cõmonitionem magis & doctrinam absque increpatione significat. Quod ergo verum papa quoque Athanasius probabat, nõ sufficit eũ qui aliquo sit errore deprauatus, semel tantùm corrigi vel commoneri, sed & secunda ei adhibenda est doctrina. At Ambr. primã legit, nec addit secundã, interpretans huiusmodi homines, vt inexcusabiles sint, semel corripi oportere: Frequentius enim correptos, exercitatiores in malo fieri, ac videri velut eos cogere, vt solicitiores fiãt ad perditionẽ pluriũ. Et antè Tertul. de Præscription. Fides, ĩquit, nostra obsequiũ debet Apostolo prohibenti quæstiones inire, nouis vocibus aures accõmodare, hæretici cũ post vnã correptionẽ cõuenire, eam, nõ disputationẽ, designans hęretici cõueniẽdi causã

Hæreticus.

Sectarius.

Vnus, id est, primus.

Frequens correptio indurat poti⁹ quã emendat.

& hoc, vnam ſcilicet, quia Chriſtianus non eſt: ne more Chriſtiani ſemel & iterum & ſub duobus aut tribus caſtigandus videretur, cùm ob hoc ſit caſtigandus, propter quod non ſit cũ illo diſputandum. Non deſunt tamen, qui tertia eos, vt reliquos, correptione nõ dedignentur. Quando, ait hîc Theodoretus, bis vel ter iis qui contraria docent, quam par eſt, doctrinam tradideris, & in malis eos dogmatibus perſeuerare videris, cum eis amplius ne diſputes, nam labor eſt inutilis. Et verò ita fit in Eccleſia in excõmunicationibus, quæ & hinc traxiſſe videri poteſt monitiones ante excõmunicationem plures. Et ratio eſt Aquinati, ternarij perfectio, quòd numerus omnis rei principiũ habet, mediũ, & finem. Ideo capitur vt ad omnia ſufficiens. Ecce iam, ait alter, tertio hoc venio ad vos, 2. Cor. 13. minans eis ni reſipuerint. Si quem ergo vides à Catholica errantem, hũc rationabiliter corripe, vel ſemel, ne ſi ſæpius id fiat, confirmatior in malo reddatur: vel ſi corrigi diſtulit, pluries & ſeuerius de erroris eum ſui prauitate mone, vt in ore duorum aut trium ſtet & hoc verbum, Matth. 18. Sin bis tervè correptus aut commonitus reſipiſcere noluerit, vlterius iam illum *deuita*, nõ eſt idem verbum, quod mox ita reddidit, ſed παραιτοῦ reiice, fuge, declina, tu ipſe primùm, & ab aliis vitari facias, ne & per eum inficiantur: imò vita non eum modò, ſed & eius correptionem, vt ſibi relictus vel negligentior fiat, & obſiſtente nemine fri-

Ternaria monitio in excommunicationibus.

geat, vel solus fortè pereat, Sic Anselmo hîc exponente, Dominus doctores pessimos, & in errore perdurãtes præcepit arbitrio suo dimittendos, sciẽs eos difficulter ad veritatem posse trahi. Sinite, inquit, illos: cæci sunt, & cæcorum duces, Mat. 15. Opponũt Greci alibi dictum, Siquãdo fortè det eis Deus pœnitentiã, 2. Tim. 2. Quo ergo modo hoc eos loco fugere iubet? Nẽpè de iis illic loquebatur, de quib⁹, quòd veritatis discendæ studio, non contradicendi affectu, simpliciter resistebãt, emendãdis spes erat aliqua. Mali autẽ quandiu emẽdationis spẽ præ se vllã tulerint, non sunt omninò vitandi: Hîc autẽ de incorrigibilibus. q. d. Vbi manifestus omnibus, & cõspicuus fuerit veritatis aduersarius, quid frustrà pugnas, aut aërem cædis? Hui⁹ autẽ deuitationis ratio est, quòd cũ errante quidem agendum à principio, vt corrigatur, iuxta Medicorum summi Aphorismũ, Medico malè habẽtibus opus est, Luc. 5. Marc. 2. Mat. 9. & 18. Si te audierit, lucratus es eum. Si peccatorem à veritate erranté ab errore viæ suæ conuerteris, siue conuerti feceris, en animam eius à morte seruabis, Iac. 5. proinde non dimittendum, quousque curari possit. Sin contrà sanari nequit, & incurabili morbo laborat, vt quem toties correptum monitũmque minimè pœnituerit, iam ne vllam cum eo participationem aut societatem habeas, nec eum admonens, aut corripiens: Et reddit causas sic, *Sciens quia subuersus est*, peruersus, euersus, & vndequaque adeò pla-

Doctores pessimi in errore suo permittendi.

Incorrigibiles, sibi relinquendi.

Correctionis spes vbi est, adhibenda ibi medicina.

nè distortus, támque variis & multiplicibus modis implicitus, vt se nequeat his explicare. Neque per ignorantiam, sed sciens, quòd hîc Bruno, & prudens manũ mittit in ignem, perdit', quod cũ vulgo ait Lyra, absq; reditu, & hoc de commũni cursu. Quod Græcis est, potest & ita accipi, excidit, siue deflexit à vita, *qui eiusmodi est*, qui semel, bis, tervè correptus, audito errore suo corrigi non vult, corrigentem errare æstimat, & è contrario sese ad pugnas & iurgia verborum parans, eum à quo docetur, lucrifacere vult & conuertere, imò secum auertere, tam peruersi ipse erroris, támque prauæ obstinationis, à contemplatione supernorũ ad subteriora intuenda versus, vt nihil nisi terrenum & infernum quærat, curet, aut sapiat, Phil. 3. *& delinquit*, veritatem magis atque magis derelinquit, scienter peccat. Ideo circa huiusmodi aliquoties correptos & monitos, & tamen inemendatos, non vult nos amplius occupari, ne tempus inani correptione, imò contentione perdamus. Potest & ἁμαρτάνει, verti errat, sed ita errat, vt vel *cum sit proprio iudicio condemnatus*, αὐτοκατάκριτος, Ambrosio & Cypriano, libr. 1. Epistol. 3. à semetipso damnatus, hoc est, per se, etiam si nemo iudex super illo pronunciet, aut illum condemnet. Græci in, vel à sua ipsum conscientia damnatum, aut potius inexcusabilem, quíque se defendere nequeat, aut sic dicere, Nemo mihi dixit, me docuit, monuit, aut corripuit, aut

ſimilem erroris ſui excuſationem afferre. Non ſemel contrà monitus, correptus, & de veritate inſtitutus, in ſua pòſt infidelitate nihilo perſiſtens minus, ſeipſe iudicat, nec habet quo ſe excuſet, dignus qui audiat, Ex ore tuo te iudico, ſerue nequam, Luc. 19. qui quam ſemel fidem recepit vt veram, impugnat vt falſam, Sic Lyra. Bruno aliter videtur, quàm legit, exponere, talē delinquere proprio iudicio, ſeu deliberatione, nullo eum impellēte, ideóque à Deo condemnatū, id eſt, Anſelmo, corpore ſimul & anima damno ſempiternæ damnationis deditum. Omnium optimè Hieronymus, Quia cætera vitia, ſeu criminoſi reliqui per ſacerdotes ab Eccleſia propelluntur, hæretici ſententiam in ſeipſos ferunt, ſuo arbitrio ab Eccleſia recedētes, quæ receſſio, propriæ conſcientiæ videtur eſſe damnatio. Idem ad finem lib. 3. contra Pelagianos (vt & hoc obiter obſeruem) quærenti in eorum perſona Critobulo, Si nos ſcitis hæreticos, cur non accuſatis? reſpondet Atticus, Quia Apoſtolus me docuit, hæreticū poſt vnā & ſecundam correptionem vitare, non accuſare, ſciens quia peruerſus ſit, & ſuo iudicio damnatus. Pulchrè item locum hunc explicat, vel Maximus Taurinenſis, vel Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus ſermone 50. compoſito inde, vt ſcribitur, Matth. 27. Act. 1. & hîc, heretici de ſe iudicio, Sua, aiunt, ſententia Iudas proditor condemnatur. Mirum fortè quod non eum populus iudicauerit, non præſes addixerit. Hoc

ſacrilegi ſolet eſſe iudicium, vt impietatem ipſe ſuam dum recordatur, puniat: ſcelus ſuum dum recognoſcit, vindicet, oīm enim ſupergreditur ſententias, qui à ſua cōſcientia ſuaſententia condēnatur. Hoc inquā, ſacrilegi ſolet eſſe iudiciū, vt facti conſcius ipſe ſe damnet. Sic de hæretico ait Apoſtolus, quòd delinquit proprio iudicio condemnatus. Ipſe enim ſe damnat hæreticum, cùm de Eccleſia ipſe ſe proiicit, & de cætu ſanctorum nullo compellēte procedit. Oſtendit quid mereatur à cunctis, qui ſuo iudicio ſeparatur à cunctis. Ipſe inquam, ſe damnat hæreticus, quia cùm criminoſi omnes Epiſcopi ſententia proiiciantur de conſortio Chriſtiano, hæreticus cunctos præueniens, ſententia ſuæ voluntatis abiicitur. Tali ergo hęreticus quali Iudas pœna damnatur, vt idem ſui & reus ſit ſceleris, & iudex ſit vltionis. Nec immeritò talis hæretici qualis Iudæ pœna atque damnatio, quia Dominum quem ille vendidit, hic blaſphemat, quem ille perſecutoribus tradidit, quotidie iſte perſequitur. Hæc illi de hæreticis, pręſertim Arrianis. Elegans ſanè & digna vtroque, Iudę inquam, atque hęreticicollatio. Adde illud dilecti, Ex nobis exierunt, ſed non erāt ex nobis, 1. Ioan. 2. Et id quoque Pauli, Hebr. 10. non deſerentes collectionem, ſeu ſocietatem noſtram, Sed alij alios conſolantes & adhortantes, Idq́ue tantò magis, quòd videtis diem propinquare. Nam iuſtus quidem meus ex fide viuit, atque victurus eſt: Sin ſe ſubtraxerit, non

placebit animæ meæ, dicit ibidem Dominus. Nos autem non sumus subtractionis filij, siue qui nos subducamus in perditionem, sed fidei, siue qui credimus, & ad fidem pertinemus in acquisitionem animæ, siue ad salutem comparandum. Iudas contrà de illusoribus nouissimo tempore venturis, Secundum sua, inquit, desideria in impietatibus ambulātes, siue iuxta cupiditates suas impiè viuentes & incedentes, segregant & separant semetipsos, animales &c. Quem locū in Donatistas Augustinus omnibus catholicam deserentibus accommodat, libro quidem non extante, sed qui citatur li. 2. Retractat. cap. 27. Ex eiusdem Hieronymi & Primasij scholiis, vtcunque, vt mutila sunt, colligitur, occupatū circa eum, qui post auditam cognitāque veritatem in sua contrà pertinacia perseuerat, quasi proprio iudicio dānatus, nihil efficere, quia sua quidem vnicuique manet libertas, sed & peccatorum contrà suorum funiculis vnusquísque constringitur, Prou. 5. Psal. 118. Tēpus ergo nō inani cōtentione perdēdū.

Digreßio. XIII.

Sequitur quid hui⁹ loci & similium occasione sit, veteribus præsertim, hæresis, quis hæreticus. Ambrosio hæretici hi sunt, qui, iuxta precedentem Pauli literam, per verba legis legem impugnāt, eius verbis propriū sensum astruentes, vt eius autoritate, mentis prauitatem suæ commendent. Sciens enim impietas autoritatē

multùm valere fallaciã sub eius nomine componit, vt quia res mala per ſemetipſam acceptabilis eſſe non poteſt, bono nominis commendetur. Clarius & plenius id vocabulum ventilat hoc quoque loco ita Hieronymus, Nomen hęreſeos & alibi ponitur, 1. Cor. 11. Oportet hęreſes in vobis eſſe, vt probati quique manifeſti fiant. Et Gal. 5. inter carnis opera muneratur, in quibus eſt diligenter obſeruandũ, quòd vt cætera ibi vitia excludunt nos à Regno Dei, ita etiam nobis hæreſes id auferunt, & non intereſt quomodò quis, dum tantùm illinc excludatur. Quódque magis mirum, fidem quoque in Chriſto noſtram, & Eccleſiaſticã diſciplinam, iam tunc à peruerſis hominibus ſic nuncupatã. Petimus, aiunt ad Paulũ Iudęi, vt audiamus à te quid ſentias: de hæreſi enim iſta notum eſt nobis, quia vbique ei contradicitur, Actor. 28. & 20. licet Mileti nomẽ id nõ dicatur, opera tamen nominãtur. Scio, ait ad preſbyteros, quòd poſt abſceſſum meum venient lupi graues in vos, non parcentes gregi, conſurgent ex vobis peruerſa loquentes, vt abducant diſcipulos poſt ſe. Hæreſis item Saducæorum, Act. 5. & 15. Phariſæorũ, qui crediderunt, ſecta, ſeu factio. Hæreſis autem græcè ab electione dicitur, quòd vnuſquiſque ſcilicet ſibi eligat quod ei melius eſſe videatur, ſeu diſciplinam quam putat meliorem. Sic Philoſophi quoque illius vel illius hæreſeos appellantur. Superfluum ire per ſingula, & hæreticos

Fides chriſtiana iam tum à princi pio hæreſis dicta.

cum suis enumerare dogmatibus, cum persacilè vnicuique cognoscere, quibus singuli ducantur erroribus, hæreseων auctores & sectatores. vtinam non tam noti, pauciores forsan decepturi. Idem hoc inter hæresim & schisma esse arbitratur, quòd illa peruersum dogma habeat, hoc propter Episcopalem dissensionem se ab Ecclesia separet, quòdquidẽ in principio ex parte intelligi potest. Cæterũ nullũ schisma non aliquam sibi cõfingit hæresim, vt rectè ab Ecclesia recessisse videatur. & habetur 24.q.3. ca. Inter. & can. sequenti ex eodem ad Galat. 5. qui aliter scripturã intelligit quàm sensus Spiritussancti flagitat, quo scripta est, de Ecclesia licet non recesserit, hæreticus tamen appellari potest, eligens quæ peiora sunt, Addit Anselmus, hæreticum esse, qui generalis Ecclesię doctrinam deserens, errorẽ sibi peruersi dogmatis, quẽ specialiter sequatur, eligit, & ideo hæreticum, quia homo est humana tãtùm sapiẽs, & de Deo iuxta rationes humanas disputans.

Hæresis & schisma quid differant.

Inter hæreticos autem & malos catholicos hoc interest, Augustino, quòd illi falsa credũt, Hi autem vera credentes, non viuunt ita vt credunt. Solet etiam quæri Schismatici quid ab hęreticis distent, & hoc inueniri, cùm schismaticos non fides diuersa faciat, sed communionis dirupta societas. Quæstione 11. ex Matth. & 12. in parabola zizaniorum cap. 13. propter varietatem hæreticorum non solùm à tritico, sed & à seipsis discrepantium, propria vniuscuiusq; hæreseos

Hæreticorũ & malorum catholicorũ differentia.

Zizaniorũ parabola hæreticis accõmoda.

hæreſeos conuenticula: in quibus ſingulatim ſua communione deuincti ſunt, faſciculorum nomine poſſe diſignari, vt iam tunc incipiant alligari ad comburendum, cùm à catholica cōmunione ſegregati, ſuas proprias quaſi Eccleſias habere cœperint. Hinc eodem interprete, de Fide & Symbolo cap. 10. Credimus ſanctam Eccleſiam vtique Catholicam: Nam & hæretici & Schiſmatici congregationes (ſeu potius ſegregationes ſuas vocant. Sed illi de Deo falſa ſentiēdo, fidem violant, hi diſciſſionibus iniquis à fraterna charitate diſſiliunt, quamuis ea credāt quæ credimus. Quapropter ad Eccleſiam Catholicam nec hæreticus pertinet, quia Deum, nec Schiſmaticus, quia proximum (non) diligit. Sic enim, id eſt, negatiuè legendum opinor. Bruno ex hoc Pauli loco colligit, Si quis imprudenter errans, errorem ſuū non defendit, hunc non eſſe iudicandum hereticum, ſed eum modò, qui quod malè de fide ſentit, quod deterius eſt, incorrigibilis aſſeuerat & defendit. Simile illi Auguſtini dicto, in can. Dixit Apoſtolus. vbi pauló ſuprà, & Epiſtola 162. Qui ſententiā ſuam, quamuis falſam & peruerſam, nulla pertinaci animoſitate defendunt, præſertim quam non præſumptionis ſuæ audacia pepererint, ſed à ſeductis aut in errorem lapſis parentibus acceperunt, quærūt autem cauta ſolicitudine veritatem, corrigi, cùm inuenerint, parati, non ſunt inter hæreticos deputandi. Idem in can. Qui in Eccleſia

Errorem ſuū defendēs, nō continuò hæreticus eſt.

Christi morbidum quid prauúmque sapiunt, si vt sanũ rectúmque sapiant correcti, contumaciter resistunt, suáque pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, hęretici sunt. Quod equidem vbi totidẽ verbis apud hũc extet, non memini, sed aliquoties sensus hic apud eundẽ occurrit contra Donatistas, de Baptismo lib. 4. cap. 16. Constituamus aliquem V.G. idẽ de Christo sentire, quod Photinus, sed in catholica baptizari, existimantem id catholicam esse Fidem, nec propter aliquod terrenũ aut temporale commodũ, intus esse volentem, sed vnitatem Ecclesiæ toto orbe diffusæ schismatum concisionibus præferentẽ, hunc nondum hæreticum dico, nisi manifesta (vel magis manifestata) sibi doctrina, catholicę fidei resistere maluerit, & illud quod tenebat elegerit. Quod si & alter idem sentiens, esse nouerit hæresim ab vnitate catholica separatã, vbi hoc docetur & discitur: sed alicuius secularis emoluměti causa, in catholica baptizari voluerit, vel in ea baptizatus, propter hoc exire inde noluerit: nõ solùm separatus habẽdus est, & inter eos qui foris sunt, deputandus, sed tantò quoque sceleratior, quantò magis errori hęresis & diuisioni vnitatis, fallaciam adiungit simulationis. Ideóque idem ad finẽ libri de vnitate Ecclesiæ, sic inter infructuosum eius membrum, & ab ea præcisum distinguit: Tunc enim quisque infructuosus, sed nondum à radice præcisus est, cùm mala cupiditate agit opera,

Hæretici dissimulantes, duplices hæretici.

qualia qui agunt,regnum Dei non poſſidebūt, 1.Cor.6.Gal.5.Pro quibus cùm etiam veritati apertiſſimæ,qua redarguitur,reſiſtere cœperit, tunc præciditur.Quales multi ſunt in Sacramētorum communione cum Eccleſia, & tamen iam non ſunt in Eccleſia:Alioqui ſi tunc quiſque præciditur, cùm viſibiliter excommunicatur, conſequens eſt, vt tunc rurſus inſeratur, cùm viſibiliter communioni reſtituitur. Quid ſi ergo fictus accedat,& aduerſus veritatem ac Eccleſiam cor inimiciſſimum gerat, quamuis peragatur in eo ſolennitas, nunquid reconciliatur,aut inſeritur?Abſit. Vt ergo iam denuò communicans,nondum inſertus eſt,ſic & antequàm viſibiliter excommunicetur, quiſquis contra veritatem, qua conuincitur & arguitur, inimicum geſtat animum, iam præciſus eſt, Quod ad eum ſcilicet ſpectat: ab aliis tamen, niſi talis innoteſcāt,non vitādus.Omnes enim mali ſpiritaliter à bonis ſeiuncti.ſunt.Si autem etiam corporaliter aperta diſſenſione ſeparētur,peiores fiunt, ait idem de baptiſmo libr.6. cap.5. & libr.7. cap. 51. Ex quo malorum numero innumerabili, non ſolùm turba intus premens cor paucorum in tantæ multitudinis comparatione ſanctorum, ſed etiam diruptis retibus hæreſes & ſchiſmata exiſtunt, in eis qui iam magis ex domo quàm in domo eſſe dicendi ſunt. Separatiores vtique iam etiam corporaliter ſeparati, quàm qui in Eccleſia carnaliter & animaliter viuunt ſpiri-

Excommunicati quando tandem vitandi.

taliter segregati. Et certè filium etiam rebellem, quandiu in domo patris manet, multis videmus gaudere, quibus foris cogitur carere: Membrum emortuum corpori adhærens non ita facile putrescere, vt defectum, palmitē sterilem adhuc aliquid ex vite haurire. Sic & mali in Ecclesia permanentes, non ita sunt in potestate Satanæ, vt foris positi, vbi destituuntur orationibus, quas pro membris suis vbique terrarum fundit Ecclesia. Quin & hæretici & Schismatici, reuera foris sint licet ex praua sua voluntate, quandiu tamen eos pastores tolerant & quantùm est ex parte sua pro ouibus habent, nonnihil hinc emolumenti capiunt, sicut traditor Iudas antequàm domini familiam relinqueret, corripiuntur enim sedulò ab illis, aliaque membra pro eis quasi commembris adhuc suis sunt solicita: quod non obtinēt corporaliter etiam separati seu abstenti, hoc est, excommunicati. Leo. epistola. 10. cap. 1. can. Quid iniquius, quàm impia sapientioribus doctioribusque non credere? Sed in hanc insipiētiam cadunt, qui cùm ad cognoscendam veritatem aliquo impediuntur obscuro (alias obstaculo) non ad Apostolicas literas, aut Euangelicas autoritates, sed ad semetipsos recurrūt. Sed ideo magistri erroris existunt, quia veritatis discipuli non fuerunt. Vrbanus can. Qui aliorum defendit errorem, multò amplius errantibus damnabilis est: quia non solùm errat sed & aliis errandi offendicula præparat & cō-

firmat. Inde quia magiſter erroris, nõ hæreticus tantùm, ſed hæreſiarcha quoque dicendus. Sũt & alia eodẽ ſpectãtia, ſed hæc ſufficiũt, fortaſſis etiã nimia ſunt. Quid igitur in vna de ana baptiſmo quęſtione vrgebat & conſulebat Auguſtinus? Saluberrimũ mihi videtur ac neceſſarium reſtare, vt hoc de quauis controuerſia piè credamus, quod vniuerſa Eccleſia à ſacrilegio ſchiſmatis remota cuſtodit. In qua, inquit lib. 1. de Baptiſmo, cap. 18. Siquid tamẽ aliud alij de hac quęſtione ſalua pace ſentirent, donec vniuerſali concilio vnum aliquid aliquatum ſyncerúmque placuiſſet, humanę infirmitatis errorem cooperiret, quę multitudinem peccatorũ cooperit, 1. Petr, 4. charitas vnitatis: Qua enim abſente cętera inaniter habentur, eadẽ pręſente quędam venialiter non habentur. Subiecto memorabili B. martyris Cypriani exẽplo, Cui cùm antequã plenarij Concilij ſententia, quid in hac re ſentiendũ totius Eccleſię cõſenſio cõfirmaſſet, de hoc viſum non rectè fuiſſet cum fermè octoginta coëpiſcopis ſuis Africanarum Eccleſiarũ, & tanti meriti, pectoris, & oris, tantę virtutis & Eccleſię Epiſcopus, aliud hîc arbitraretur, quàm erat inquiſita diligentius veritas firmatura, & multi cõtrà eius collegę, quamuis liquidò nondum manifeſtatũ, id tamẽ tenerẽt, quod & pręteritę Eccleſię conſuetudo, & pòſt totus catholicus orbis amplexꝰ eſt: nõ ſe tamẽ is à cæteris diuerſa ſentientibus ſeparata communione diſiũxit, ſed hoc etiã iis perſuadere nõ

Hæreſiarcha

Cypriani martyris exẽplum memorabile.

destitit,vt sufferrent inuicem in dilectione,studentes seruare vnitatę in vinculo pacis,Eph. 4. Sic enim corporis manente compage,siquid in quibusdam membris infirmabatur, ex eorũ sanitate conualesceret potius, quàm præcisione mortificatũ,diligentiã nulli⁹ curationis admitteret.Quid ergo faciat hæreticum,Augustinus ad QuoduultDeũ præfatus, regulari quadã definitione comprehendit,Sicut ego, ait, existimo,aut omninò non potest,aut difficillimè,nõ enim omnis error hæresis est, quamuis omnis hæresis quæ in vitio ponitur,nisi errore aliquo hæresis esse non possit.Quid autẽ hæreticũ faciat in posteriorib⁹ partibus disputandũ pollicitus,& in fine operis requirendũ, vt cùm hoc Domino adiuuante vitamus,non solũ quæ scimus,sed & quę nescimus,siue orta iam,siue adhuc oritura, hæretica venena vitemus, eodem opere non pręstitit,tunc nimirũ non perfecto, Nec alibi,quod sciã,nisi fortè ad Honoratũ de vtilitate credendi,cap.1. Hæreticus, inquiens, est,vt mea fert opinio,qui alicui⁹ tẽporalis cõmodi,& maximè gloriæ principatúsque gratia, falsas ac nouas opiniones vel gignit vel sequitur,quibus hominib⁹ qui credit,homo est imaginatione quadã veritatis ac pietatis illus⁹. Notat hîc ergo Aquinas sciendũ,quòd omnis hæreticus errãs est,non cõtrà:ídque propter duo. Prius ex parte materię,circa quã errat,& siquidem errat circa finem vitæ humanæ:Hũc enim veteres diuersum posuerũt,Stoici, Academici,

Hæreticus qui sit.

Epicurei,&c.vel circa id quod ad fidē& bonos mores pertinet,hæretic⁹ eſt:qui vel Deū eſſe vnitrinū negaret,vel fornicationē nō eſſe peccatū aſſereret,hæreticus eſſet, nō qui circa huiuſmodi nō erraret.Poſterius ex parte electionis, à qua hæreſeos nomē & etymō:quia eligēs,nō pertinax,ſed corrigi paratus iuxta Eccleſiæ determinationem,hæreticus non eſt.Sic enim ex ignorantia eſt,nō ex malitia.Secus errantē,eligētē, pertinacēmque deuita,tū propter periculū,Sermo enim eorū vt cancer ſerpit,2.Tim.2. tum ne quiſpiam cōmunicans,peccatis eorū conſentire videatur,2.Ioan.Si quis venit ad vos,& hanc doctrinā non affert,nolite recipere eū in domū,nec AVE ei dixeritis.Qui enim illi dicit AVE,cōmunicat operibus eius malignis.Denique propter pœnā,Recedite quæſo à tabernaculis hominū impiorū,& nolite tāgere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini, & pereatis in peccatis illorū,&c.Numer.16.HęcThomas.Et matrē quidē hæreſis eſſe ſuperbiā,veterū teſtimoniis probauimus, ad id. 1. Tim.1. Volentes eſſe legis doctores,prætérquā quòd locus Auguſtini exciderat.Extat autē contra Manichæi Epiſtolā,quā fundamentū vocant,cap.6.& homil.ſiue lib.de Paſtorib.cap.8.diuerſis locis diuerſę ſūt hęreſes& ſectę,ſed vna omnes genuit mater Superbia,quæ omnes tum hæreticos,tū Schiſmaticos de mēbrorū Chriſti cōpage pręcidit.Concion.2.6.in Pſal.118.Deuitādos itē ad clauſulā eiuſdem Paulinæ Epiſt. ex Lyrinenſi, *Superbia hæreſis mater.*

paucis,vt obiter,submonuimus. Tanta autem Apostoli,eorúmque discipuli tūc in religione cautela vtebantur,vt ne verbi quidem communionem cum vllo qui veritatem corrupisset, haberent. Sic enim legitur in Constitutionibus Apostolicis,collectore,vt ferunt,Clemēte,lib. 2.cap.62.de fuga infideliū omnegenus,Si quis Ecclesia neglecta,in scelerata gētium templa, vel Iudææ synagogam, vel hæreticorum fuerit ingressus,quam is excusationem apud Deū inueniet in die Iudicij?quia verba Dei viuentis reliquit,viuentia,vitámque tribuētia,quæ possunt æterno supplicio liberare, & vel ad ædem dæmoniorum,vel ad Synagogam Christicidarum,vel ad Ecclesiam malignantium se contulit,non audiens illud,Odi Ecclesiam malignātium,&,cum iniqua gerentibus non ingrediar Psalm.25. Et 1.Beatus vir qui non ambulauit in consilio impiorum,& in via peccatorū non stetit,& in cathedra pestilētium non sedit. Tu vero relicto fidelium cœtu.Dei Eclesia & legibus,respicis speluncas latronum,sancta ducēs, quæ nefaria ille esse voluit, & communia faciens, quæ idem separauit. Et cap. 66. Cauete igitur,ne conuentus celebretis cum iis qui pereunt, quæ est Synagoga gentium ad deceptionem & interitū.Nulla enim Dei cum diabolo societas,Nam qui congregatur vnà cum iis qui cum Diabolo idem sentiunt, vnus ex ipsis connumerabitur, & væ habebit. Proptereà fidelem oportet impiorū fugere cœtus,

Christicida.

Græcorum,ac Iudæorum, reliquorúmque hæreticorum,ne vbi vnà cum iis degimus,animis noſtris laqueos paremus.Et lib. 6.cap.13. Admonent eos fugere qui ſub Chriſti Moſiſque nomine vtrique aduerſantur, & in pelle ouina lupum includũt,pſeudochriſti,pſeudoprophetæ,pſeudapoſtoli,deceptores,corruptores,vulpibus ſimiles,humi iacentes, vinearum calamitas,à quibus vt caueremus, Dominus nobis denunciabat.Attendite,inquiens,ab ipſis.Surgẽt enim multi, & multos decipient, Matth.7.24. Marc.13.Luc.17.21.Et cap.18. Impios hæreticos,impœnitentes à fidelibus eiicite, & à Dei Eccleſia exterminate, præcipitéque fidelibus, vt ab eorum conſuetudine omnibus ſe modis abſtineãt, nec vllam cum eis ſermonis aut precum communionem habeant,ij enim aduerſarij & Eccleſiæ ſunt inſidiatores, gregem labefactant,hæreditatem contaminant,oſtentatores,omni ex parte deprauati,quos Salomon dicebat in impietate ſimulare pietatem, Eſt, inquiens, via, quæ videtur quibuſdam recta, ſed extrema eius reſpiciũt inferni profunda,Prou. 14.De quibus Dominus amarè adeò & ſeuerè pronunciauit, Doctores falſi, blaſphemi, Dei donum poſt adeptam gratiam reiecerunt, Iudæos irreligione ſuperant, Græcos impietate, Deo maledicunt,filium eius deſpiciunt, doctrinam ſpiritus contemnunt, diuinos ſermones negant, per hypocriſim eos recipere ſimulant, in Dei contumeliã,eorúmque qui eos ſequun-

tur,fraudem. Scripturam derident: iustitiam, quæ tandem ea sit,ignorant:Ecclesiam labefa-ctant,vt vulpeculæ vineam. Quos monemus vt fugiatis, ne laqueis animas vestras impediatis. Nam qui cum iustis ambulat,iust' erit: qui cum insipientibus,cognoscetur,Eccl.9. neque cum furibus currere oportet,neque cum adulteris partem ponere,Psal.49.& 138. Domine, qui oderunt te,odio habui, & aduersus inimicos tuos cõtabui, perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.Et Deus exprobrat regi Iosaphat per Iehu prophetam, amicitiam societatémque cum Achabo & Ozia regibus infidelibus initam,2.Par.19. Societatem igitur illorum vitate, & ab eorum pace abalienamini. Non est enim gaudere cum impiis,Esa.48.57. Sunt occulti lupi, noui canes, qui latrare nequeunt.modò quidem pauci,sed progrediente & appropinquante cõsummatione,plures grauioresque futuri,vt dicat Dominus cum venerit,fidem se vix in terra inuenturum,Luc.18. & decipiendos,si fieri possit,electos,Matth.24. quorum fraude nos liberauit Deus per Iesum. Et nos quoque cùm gentes peragraremus,Ecclesiásque confirmaremus, alios quidem multis admonitionibus & sermonis medicina curatos ad sanitatem reduximus, morti vicinos, & tantùm non animam efflanteis:eos qui nullo remedio curari potuerũt,ab ouili eiecimus, ne morbi contagione valentes agni contabescerent, sed puri, sani,integri Domino conser-

Societas cum infidelibus non incunda

uarentur.cap.26.titulus est quòd fugere oportet hæreticos,tanquam animarum pestem.Cauete ab hæreticis omnibus,Episcopi & laici, & subdit quales iam tum, quámque capitales essent.Quare fugite ab iis,ne vnà cum illorũ impietate pereatis.Lib.8.cap.11. Si propter infideles ad Ecclesiam iri non potest,domi cœtus cõgregabis,ô Episcope,ne pius impiorum ingrediatur Ecclesiam. Quòd si impij locũ occuparint, fugiendus is tibi est, quoniam ab ipsis est profanatus,Nam vt sancta sacerdotes sanctificant,ita nefarij contaminant.Si nec domi,nec in Ecclesia cœtus celebrari possũt,vnusquisque apud se psallat,legat,oret, vel duo aut tres vnà congregati, Matth.18. Pius cum hæretico nec domi oret;quæ est enim societas lucis cum tenebris?Hæc illi. Hanc autem postremam constitutionem tantò pòst à catholicis seriò rigidéque seruatam ex Basilio audies,vt in loco cũ hæreticis communi orare, aut verbum audire omninò non sustinuerint. Polycarpus ergo Ioannis Euangelistæ discipulus narrare solebat præceptorem suum Ephesi balneas lauandi gratia ingredientem, cùm Cerinthum illic animaduertisset,illotum abiisse,nec sub eodem quidem tecto vnà cum illo manere fas esse putantem:quod & aliis qui cum eo erant,persuasit,dicens, Fugiamus hinc, ne & balnea corruant, in quibus Cerinthus lauat veritatis inimicus.Quin & Polycarp.Mart.aliquando occurrenti,dicẽtiq;,Agnosce nos,respõdit, Agnosco

Cum hæreticis in communi loco non orandum.

Polycarpus quàm auersaretur hæreticos.

Cerinthus hæreticus.

primogenitum Satanæ. Renarrant post huius auditorem Ireneum, lib. & cap. 3. Eusebius lib. 4. cap. 14. Niceph. lib. 3. cap. 14. 30. Epiphanius idem testatur super eodem Ioanne aduersum Ebionem, cùm eum ab oleario intus esse audiuisset, seipsum statim turbasse, leuiter fleuisse, & omnibus vt illinc exirent, edixisse. Addit Nicephorus lib. 4. cap. 30. Ireneum de Polycarpo suo testatum, Si quid, quale blasphemabant hæretici, audiret, aures obturantem, illud vsurpatum sibi verbum vociferari & exclamare solitum, O bone Deus, in quę me tempora conseruasti, vt hæc sustineam! ex eo etiam fugiturum loco, vbi stans vel sedens blasphemiam audiisset. Huius cōtemporaneus S. martyr Ignatius, Asiam cum firma militum custodia peragrans, Ecclesias quas oppidatim adiret, cùm alia, tum illud in primis docebat, quoniam tum primũ hæreses pullulabant, sibi ab eis earúmque contagiis vt cauerent. Euseb. lib. 3. cap. 35. Niceph. lib. 3. cap. 19. Sic autem scribit ad Mariam Cassabolitam, Eos fuge, q̀ui Christi carnem negãt. Ad Trallianos. Fugite illas sine Deo hæreses, Diaboli enim commenta sunt: fugite verò malas eius soboles, & nequissimi nepotes. Ad Philippen. Incolumes estote, deuitantes corruptores verbi veritatis. Ad Philadelphienses. Vt filij lucis fugite malam hæreticorum doctrinam. Quisquis separatum à veritate secutus fuerit, regnum Dei non hæreditabit. Qui non discesserit à falsiloquo prædicatore, in gehennã dam

Ignatij martyris zelus.

nabitur. Nec enim vel à iustis discedẽdum, vel ad iniustos accedendum. Quicunque in aliena sententia ambulat, Christi non est, nec passionis eius particeps, sed vineæ eius fraudator & corruptor. Tali ne commisceamini, ne simul cum eo pereatis, nec si pater sit, aut filius, aut frater, aut domesticus. Non parcet eis, ait, oculus tuus. Deut. 7. 13. Qui ergo Deum oderunt, oportet vos eos quoque odisse, & super inimicis eius tabescere, Psal. 138. non tamen eos persequi aut percutere, vt (nos) gentes quæ Deum non nouerunt, sed inimicos eos habere, & ab eis separari: monere tamen eos & ad pœnitentiam vocare, si fortè audiant & acquiescant. Fugite ergo malas artes & insidias spiritus. Ad Smyrnen. Hæc moneo, charissimi, præmuniẽs vos à bestiis hominũ figuram habentibus, quas non declinare solùm aut vitare, sed fugere quoque necesse est. Tantùm pro eis orate, si quo modo pœniteant & conuertantur. Dignum est & decet à talibus abstinere, & neque priuatim neque publicè cum eis colloqui aut conferre. Sed nefandos hæreticos, & schismata faciẽtes, vt omnium malorum autores ac initium fugere. Ad suos Antiochenos, Custodiẽtes vos ab irrepentibus malignis hæresibus, ad seductionem & perditionem eis consentientium. Ad Heronem, Quisquis præter ea quæ tradita sũt, fide alioqui dign⁹, ieiunia licet & virginitatem seruet, signa faciat, prophetet, lupus tibi habeatur. Matth. 7. sub ouilla pelle gregis corruptio-

Hæreticos persequi aut percutere priuati non debent.

Bestiæ, hominum figurã habentes, hæretici.

nem moliẽs. Si quis crucem neget, paſſionem erubeſcat, ſit tibi tanquam ille aduerſarius, pauperibus ſua licet diſtribuat, &c. 1. Cor. 13. ſit tibi execrabilis & abominandus. Si legem improbauerit aut prophetas, ſit tibi tanquam Antichriſtus: ſi hominem tantùm dixerit Dominũ, is pro Chriſticida Iudæo habeatur. Ad Epheſios, falſiloqui, ait, quidam conſueuerunt dolo malo Chriſti circunferre nomen, ſed aliquammulta Deo indigna gerentes, & cõtraria Chriſti doctrinæ ſentientes, in ſui eiſque conſentiẽtium perniciem. Quos oportet vos tanquam beſtias declinare, Iuſtus enim declinãs euadet interitum, alienus & remot' erit ab impiorum perditione, Prouerbiorum alicubi, forſitan 16. Semita iuſtorum declinat mala. Sunt igitur canes muti latrare non valentes, Eſa. 56. rabidi, occultè mordentes, quos & cauere oportet, vt inſanabili morbo laborantes. Eſt autem interim operæpretium, dum ſuper hæreticorum fuga ſcriptorem compilamus, non omittere, quibus eos idem coloribus depinxerit. Sunt, inquit ad Trallianos, quidam vaniloqui, mentis ſeductores, non Chriſtiani, ſed Chriſtum mercantes, in fraudem circunferentes Chriſti nomen, cauponantes verbum Euangelij, erroris venenum dulci blandimẽto commiſcentes, & ceu muſto cicutam temperãtes, vt qui biberit, gratiſſimi ſtatim ſaporis guſtu captus, imprudẽter & inopinata morte transfigatur. Monet autem quidam antiquorum, bonum neminẽ di-

Muſtum cicuta temperatum, hæreticorum doctrina.

cẽdum,qui bono malum admiſcuerit. Chriſtũ autem iſti iactant & nominant, vt Chriſtũ improbent,non prædicent,Et legem proponunt, vt contradicant,non ſtabiliant. Ad Magneſianos,Perditionis filij,Saluatoris inimici,quorũ Deus venter,Phil.3.voluptatum,& non Dei amatores, 2. Tim.3. Chriſti mercatores, verbi cauponatores,Ieſu venditores, mulierũ corruptores,alienorum appetitores,pecuniarum rapaces quaſi vortices ac voragines,ſyrtes & calamitates : A quibus precor vos eripiat miſericordia Dei,per D.N.I.C.Ad Antiochenos,Hęc ſcribo vobis,vt præmuniam vos quaſi pater filios ſuos. Videte malignos operarios,Chriſti crucis inimicos,quorũ finis interitus,&in confuſione gloria,Phil.3.ſerpentes ſuper pectus repentes,ſinuoſos & ſeſe contrahentes,ſquámoſos dracones,ſcorpios, aſpides,baſiliſcos, quorum ingenia Thoum aſtutorum,vulpium & ſimiarũ humanas formas imitantiũ ſimilia.Hæc B.Mart.ſuper hæretic. odio & fuga,& pro eis tamen cura & precibus. Eadem mente ſcribebat ad Corneliũ Cypr.lib.1.epiſt.3.Declinẽt de cætero fortiter,& euitẽt dilectiſſimi fratres noſtri verba & colloquia eorũ,quorũ ſermo vt cãcer ſerpit,2.Tim.2.& corrũpũt ĩgenia bona cõfabulationes peſſimæ.1.Cor.15.Et per Salomonẽ Spirituſſãctus loquitur,Peruerſus in ore ſuo portat perditionẽ,in labiis ſuis ignẽ cõdit,Pro. 16.& 17.Malus obaudit linguæ iniquorũ,Iuſt' non intendit labiis mendacibus,Eccli.28.Sepi

Hæretici quibus feris ſimiles.

aures tuas ſpinis,& noli audire linguã nequã. Quãquam ſcio illic fraternitatem noſtram,veſtra ſcilicet prouidentia munitam,ſed & ſua vigilantia ſatis cautam,nec capi hæreticorum venenis poſſe, nec decipi, tantúmque apud illos præualere & magiſteria & præcepta diuina, quantus illis in Deum timor eſt, tamen ex abũdantia vel ſolicitudo noſtra vel charitas ſcribere ad vos iſta perſuaſit,vt nulla cum talibus cõmercia copulentur, nulla cum malis conuiuia vel colloquia miſceantur, ſimúſque ab eis tam ſeparati,quàm ſũt illi ab Eccleſia profugi, quia ſcriptum eſt, Si Eccleſiam contempſerit,ſit tibi tanquam ethnicus &publicanus,Matth.18. Et Apoſtolus non monet tantùm, ſed iubet vt à talibus recedatur,2.Theſſ.3. & vitẽtur.Tit.3. Nulla ſocietas fidei & perfidię poteſt eſſe.Qui cum Chriſto non eſt, aduerſarius Chriſti eſt: qui vnitati & paci eius inimicus eſt,nobiſcum non poteſt cohærere.Si cum precibus & ſatiſfactionibus veniunt,audiantur:Si maledicta& minas ingerunt,reſpuantur.Et ſequenti epiſtola, Si qui de collegis noſtris Deificam diſciplinam negligendam rati,cũ Baſilide & Martiale communicant, conturbare fidem noſtram res iſta non debet, cùm Spiritusſanctus talibus ſic comminetur,Tu odiſti diſciplinam , proieciſti ſermones meos poſt te : Si videbas furẽ,ſimul cum eo currebas, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Pſal.49. Conſortes & participes oſtendit eos alienorum delictorum fieri, qui

qui fuerint delinquentibus copulati. Et idem Paulus cõprobat, morte dignos esse, & ad pœnam venire, non illos tantùm qui mala faciunt sed & qui talia agentibus consentiunt, Rom. 2. qui dum malis impœnitentibus illicita cõmunicatione miscentur, nocentium contactibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, sic nec in pœna separentur. Propter quod integritatis & fideí vestræ religiosam solicitudinem laudamus pariter & probamus, & quantùm possumus adhortamur, ne vos cum profanis & maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega misceatis, sed integram & synceram fidei vestræ firmitatem religioso timore seruetis. Et epist. 6. Tanta Domini aduersus schismaticos indignatio, vt etiam homo Dei ad Hieroboã missus sua ei peccata exprobrare, & vltionem futuram prędicere, panem apud illos edere, & aquã bibere veritus, contra Dei præceptum prãsus, diuina statim cẽsura percussus sit, vt inde regrediẽs impetu ac morsu leonis necaretur. 3. Reg. 13. Et audet quisquam dicere gratiam cælestem communem cum schismaticis esse posse, cum quibus nec terrestris nec secularis pot' debeat esse communis? Et paulò pòst, Vt magis intelligatur contra huiusmodi licẽtiam & aúdaciam quæ sit censura diuina, Inuenimus in tali facinore non solùm duces & autores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à cõmunione malorum separauerint, præcipiente ita Domino, Separamini à tabernaculis hominum istorum

Morte digni hæreticis impœnitentib' illicita communicatione se miscentes.

Hæreticorũ societas quã periculosa.

durissimorum, & nolite tangere ab omnibus quæ sunt eis, ne simul pereatis in peccato eorum. Et quod erat cõminatus impleuit, vt quisquis à Chore se, & Dathan, & Abiron non separasset, pœnas statim pro impia communione persolueret, Numer. 16. Quo exemplo ostẽditur obnoxios se Deo & culpæ pœnæ facturos, qui se schismaticis contra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint. Sicut etiam per prophetã Spiritussanctus sic contestatur, Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui ea manducant, contaminabuntur, Ose. 9. ostendens omnes omnino cum autoribus supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. Idem tractat tractatu 3. & ex quibus primo antè loco scripturæ locis, Vitate quæso vos huiusmodi homines, & à latere atque auribus vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, scriptũ est, &c.

Separati ab ecclesia quãtopere fugiẽdi.

Auersandus talis atque fugiẽdus, quisquis fuerit ab Ecclesia separat'. Peruersus est huiusmodi & peccat, & à semetipso damnatus. Nec procul à fine sermonis 6. Eiusmodi homines quantùm potestis, fugite, perniciosis cõtactibus adhærẽtes salubri cautione vitate. Sermo eorum sicut cancer serpit, Colloquium velut contagiũ transilit, noxia & venenata persuasio persecutione peius interficit. Et eadem per easdem scripturas repetit lib. 3. contra Iudæos, titul. 68. 78.

D. Antonij odium aduersus schismaticos.

Eadem fuit D. Antonij, scribente D. Athanasio, cautio, viro in fidei puritate mirabili, Nũquam

enim schismaticorum se cōmunioni miscuit, sciens horum prauitatē & transgressionem, nūquam Manichæis aut aliis hæreticis verba saltē amicabilia largitus, nisi ea tantùm quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare, denūcians talium amicitias & sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arianos detestatus, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem accedēdum, & quosdā eorū venientes, reperta post eorum examinationē infidelissima secta, effugauit de mōte, dicens multò serpentibus deteriores horum esse sermones, Qui & centenario maior, morti vicinus, sic de his ad suos Anachoretus concionabatur, Ad Meletianos & schismaticos nec propè quidē accedite. Scitis enim antiquā eorū peruersitatem. Nec cum Arianis communione iungamini, quia horū impietas omnibus manifesta est. Hæreticorū venena vitate, meūque circa eos odiū sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi quòd nullus mihi nec pacificus quidē sermo cū eis aliquādo fuerit, propter prauā eorū volūtatē, & pertinax contra Christū bellū. Et verò is tū fuit verè Christi fidelium in vitādis hæreticis feruor atque zelus, vt eodem seculo scripserit Basilius, silentibus piè docentium linguis, & resolutis blasphemis, sacris prophanatis, qui sani essent in plebe, domos orationis fugisse, vtpotè in quibus impia docerentur, in plerisque ciuitatib⁹ plebē cū mulieribus ac pueris & senibus, extra portas effusā, preces suas sub dio peregisse, omnē aëris molestiā mul

Ariani detestabiles serpētibus prius fugiendos.

Basilius de vitandis hæreticis.

ta cũ animi lenitate tolerantes,opémq;Domini expectantes.Epist.69.ad nostros.i.Galliç ac Italiç concordes.i. Orthodoxos episcopos.Est & 85.ad Patrophilum episcopum, super hæreticis arguendis & vitandis, vsus hoc dilemmate,Si nullum omninò conuenit hæreticum putare ac auersari, qua de causa teipsum separas, & quorundam cõmunionem defugis?Sin iuxta exactam rationem aliqui fugiendi, dicãt qui cauti videri volunt in omnibus, cuius partis ac sectæ sint,quos de Galatia ad se euocarunt,nimirum (vt prædixit)nobiscum non communicãtes, aut commune nihil cum nobis habẽtes, per omnem tamen regionem ab ipsis, vt sanctos, & eiusdem cõmunionis cum honore deductos.Hæc siquidem digna tibi mœrore vidẽtur,ex causis eorum separationem cõsidera, & eis imputa.Sin indifferens iudicas,ignosce nobis,qui non sustinemus fermẽto aliena docentium commisceri. Prima ergo hæreticorum in Ecclesia pœna,fuit vitatio.Rom.16.Rogo vos fratres,vt obseruetis eos,qui dissensiones & offendicula præter,imò contra doctrinam quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis.2. Thess. 3. Denunciamus,seu præcipimus vobis in nomine D.N.I.C.vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum quam accepistis à nobis traditionem. Et, Si quis nõ obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate,siue indicate,&ne commisceamini cum illo. Et ne commisceamini cum idolo-

Hæreticorũ prima in ecclesia pœna, vitatio.

rum ſeruitoribus, non huius vtique mundi, ſed ſi is qui frater nominatur inter vos, Idolis ſeruit, aut, &c. cum eiuſmodi nec cibum ſumite, 1. Cor. 5. Et de nouiſſimi temporis blaſphemis, hypocritis, & impiis, hos, ait alibi, deuita, ſeu auerſare, 2. Tim. 3. Et 2. Corinth. 6. Nolite iugum ducere cum infidelibus. Ecqua enim participatio iuſtitiæ cum iniquitate? ſocietas luci ad tenebras? concordia Chriſti ad Belial? pars & conuentio fideli cum infideli? conſenſio templo Dei cum Idolis? Propter quod exite inde, ſeu de medio eorum, & ſeparamini, dicit Dominus, Eſa. 52. Recedite, recedite, & pollutum nolite tangere, ſeu immundum ne tetigeritis. Exite, inquit & apud alium de cælo vox, Apoc. 18. de Babylone, populus meus, vt ne participes ſitis, & (conſequenter) de plagis eius non accipiatis. Cuius typus vir alioqui Dei & propheta, cum Hieroboam Rege panem comedere, & aquam bibere eò loci à Deo vetitus, ab altero propheta licet menſa exceptus, quia Deo inobediens comedit & bibit, à leone in via occiſus, proiectus, & aliquandiu inſepultus, 3. Reg. 13. Et hoc enim exemplo vtitur ad vitandam Schiſmaticorum contagionem, Cyprianus vbi ſuprà. Deuitationis ergo cauſa, culpæ contagio, & pœnæ communio. Cauete, aiebat Dominus, à fermento, hoc eſt, doctrina Phariſæorum, Matt. 16. Marc. 8. Luc. 12. Modicum enim fermentum totam

Schiſmatici vitandi.

massam, siue conspersionem fermẽtat, aut corrumpit. 1. Cor. 5. Gal. 5. Et Hebr. 12. ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, & multos inquinet. Multùm enim tales ad impietatem proficiunt, ait noster, 2. Tim. 2. eorúmque sermo vt gangræna, serpit, corrodit, depascitur, atque putrefacit. Qui ergo Deum blasphemant, & blasphemantes, populum inficiunt, vitantur, & abstinentur, vt discant non blasphemare, 1. Tim. 1. siue, quod idem ferè est, dediscant impiè loqui, & alios post se abducere. Scintilla quidem parua res est, & penè, dum cernitur, non videtur, sed si fomitem comprehenderit, & sui nutrimenta quamuis paruus ignis inuenerit, mœnia, vrbes, latissimos saltus, regionésque consumit. Fermen-

Fermenti vis

tum quoque modica res videtur & nihili, cùm farinæ conspersum, totam massam suo vigore corruperit, in eius vim transit omne quod mixtum est: Ita doctrina peruersa ab vno incipiẽs,

Doctrina peruersa cancro comparata.

vix duos tresvè primùm reperit auditores, sed paulatim cancer serpit in corpore, & iuxta vulgare prouerbium, Vnius pecudis scabies totum commaculat gregem. Igitur & scintilla statim vt apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semouendum, ait initio commentariorum lib. 3. ad Gal. 5. Hieronymus, Et quod ex eodem ibidem sequitur, 24. q. 3. ca. Resecandæ putridæ carnes, scabiosum animal à caulis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pecora, ar-

deat, corrumpatur, putrescat, intereant. Arius in Alexandria vna scintilla fuit, quia non statim repressa est, totum orbem eius flamma populata est. Et Augustinus ca. sequenti, Corripiuntur, ex cap. 15. de correptione & gratia, pastoralis habet necessitas, ne per plures dira serpant contagia, separare ab ouibus sanis morbidam, à Deo, cui nihil impossibile est, ipsa forsitan separatione sanandam. Can. item seq. Prosper Augustini discipulus lib. 2. de vita contemplatiua, cap. 7. Ecce crimina quorumliber, criminosis confiteri nolentibus vndecunque clarueriut, quæcunque non fuerint patientiæ leni medicamento sanata, velut igni quodam piæ increpationis, vrenda sunt & curanda. Quòd si ne sic quidem æquanimiter sustinentis ac piè increpantis medela in eis profecerit, qui diu portati, salubriter corrigi noluerint, tãquam putres corporis partes, debent ferro excommunicationis abscindi, ne vt caro morbis emortua, non abscissa, salutem carnis reliquæ putredinis suæ contagione corrumpit, sic qui emendari despiciunt, & in morbo suo persistunt, moribus deprauatis in sanctorum societate permanẽtes, suæ eos perditionis exemplo inficiant. Notus est quoque Menãdri senarius, vt quem Paulus citare non sit grauatus, Nolite, inquiens, seduci, *Colloquia mores praua corrumpunt bonos*, vt & superiores sanctorum similitudines vsurpant profani, nimirùm è medio sumptas, & experientia probatas,

Arius primum scintilla vna.

Similitudinibus profanorum vsi sancti.

Dedit hanc contagio labem, ait Iuuenalis Satyr. 2.
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Vnius scabie cadit, & porrigine porci.
Et alter 1. Metamorph.
Sed enim immedicabile vulnus
Ense recidendum est, ne pars syncera trahatur.

Sic autem super terram ligati, & in cælo ligati sunt, & sic peccata retenta, retenta sunt, Ioan. 20. vt, quod ait contra legis aduersarium, lib. 1. cap. 17. Augustinus, intelligatur quantò grauius sit punitus, qui velut relictus est impunitus, grauius quàm si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subrigeretur: Et ab hominibus alligatur homo amarius, & infœlicius Ecclesiæ clauibus, quàm quibuslibet grauissimis & durissimis, ferreis vel adamantinis nexibus.

Claues ecclesiæ quàm efficaces.

Et hac licet pœna quam facit episcopale iudicium, quæ & damnatio nominatur, nulla sit in Ecclesia maior, medicinalis tamen est, & potest, si Deus voluerit, in correptionem saluberrimam cedere, ait idem vbi antè, de correptione & gratia. Nec enim scimus quid contingat sequenti die, nec ante finem vitæ huius de aliquo desperandum est, aut contradici Deo potest, ne recipiat & det pœnitentiam, & accepto sacrificio spiritus contribulati & cordis cōtriti, à reatu, quamuis iustæ, damnationis absoluat, damnatúmque non damnet. Et lib. 4. de baptismo cap. 14. de nullius siue foris constituti conuersione desperandum, quandiu Dei patientia ad pœnitentiam adducit, Rom. 2. Visitat in vir-

ga facinora,& in flagellis peccata eorum,Psal. 88. Hoc autem modo misericordiam non dispergit ab eis, si & ipsi aliquando misereantur animæ suæ placẽtes Deo,Eccl.30.Et vbi suprà, de vnitate Ecclesiæ, Nonnulli etiam bonę voluntatis, per carnalem caliginem, etiam post confirmatum contra Ecclesiam Dei malignorum furorem,in dissensione diutius errauerũt, tanquam si adhuc mollia conculcarentur frumenta,& radice viua herbæ vigor attereretur: Sua tamen nouerat Deus, quamuis vt reuiuiscerent (aliàs reuirescerent) arguenda & increpanda. Non enim eo modo dictum Petro, Redi post me Satana, Matt.16.quo de Iuda, Vnus ex vobis diabolus est.Ioan.6.Quidam quoque & apertissimæ veritati studio malo contradixerunt, & verò eradicati ac præcisi erant, sed non permanentes in infidelitate, sicut de quibusdam ramis fractis dicitur,Rom.11.manu diuina replantati aut iterum inserti sunt, cùm vt idem vbi antè in Matth.resipiscendo, & in catholicam remeãdo,ab errore desciscant.Quos autem omninò ab Ecclesia Schisma præcidit, ij non in filiis interim,sed in mortuis & perditis computãdi sunt: vt si quis eorum correctus Ecclesiæ fuerit copulatus, rectè super illo dici possit,Mortuus erat,& reuixit: perierat,& inuentus est,Luc.15.ait vbi antè idem in retractationibus.De vtroque,hæreticorum inquàm,tã subuersorum & subuertentium reiectione,quã conuersorum receptione Innocẽtius 1.ad Epi-

Satanas dictus Petrus, diabolus Iudas.

ſcopos Africę,priùs Carthagine,pòſt & in Mileuitano Concilio,vbi etiam interfuit Auguſtinus, vnde & inter huius epiſtolas legitur 91. Sic in Pelagianis cõtra omnes hareticos Epiſt. 25. Auellendi, ait,ſunt longius, & ab Eccleſiæ procul viſceribus remouendi,ne diutius multa occupans,inſanabilis pòſt error increſcat. Diu enim in hac impunitate verſati,multos neceſſe eſt in hanc prauitatem inducant, decipiántque innocentes,vel potius imprudentes, qui fidem Catholicam non ſequũtur, putabunt eos rectè ſentire,quos adhuc in Eccleſia viderint perdurare. Separetur à ſano corpore vulnus inſanũ, remoto morbi ſæuiẽtis afflatu, cautius ſyncera perdurẽt,grex purior ab hac mali pecoris contagione purgetur: Sit totius corporis illibata perfectio, Qui tamen, ſi tandem aliquando de hac, in quam ſui cordis incuruatione corruerunt, labe liberentur, quaſi in lucem de fœda tracti caligine,remotis, quibus totus ne verum aſpiceret,caligabat aſpectus, damnẽt hæc quæ hucuſque ſenſerunt,& animum rectis diſputationibus accommodantes,correcti, veris ſe ſanandos conſiliis tribuant atque ſubmittãt, erit in poteſtate pontificum iis aliquatenus ſubuenire,& talibus curam præſtare vulneribus,quã ſolet lapſis reſipiſcentibus non negare,vt à ſuis reuocati præcipitiis, intra ouile Domini redigantur,ne foris poſiti, & tantò præſidio à fide munitionis excluſi, periculis omnibus exponantur, deuorandi luporum dentibus & ve-

Hareticorũ labes ac peſtis.

xandi,quibus obſiſtere,hac, qua illos in ſe irritauerant , doctrinæ peruerſitate non poſſunt. Et Epiſtola 26. Inter Auguſtini 93. Quare Pelagium Cæleſtiúmque, id eſt, inuentores vocum nouarum, quæ, quod dixit Apoſtolus, ædificationis nihil, ſed magis vaniſſimas conſueuerunt parere quæſtiones, Eccleſiaſtica cómunione priuari, Apoſtolici vigoris autoritate cenſemus, donec reſipiſcant à diaboli laqueis, à quo captiui tenentur ad ipſius voluntatem, 2. Timoth. 2. nec interim Dominico ouili recipi,quoad peruerſæ, quam ſecuti ſunt, viæ tramitem deſeruerint. Abſcindendos enim qui nos conturbant,& volunt Euangelium per dere ſeu peruertere, Gal.5. Par item, quicunque ſimili pertinacia nituntur defendere, eos vindicta conſtringat,non ſolùm facientes, ſed & facientibus conſentientes,Rom.1.quia non multùm intereſt inter committentis animum, & conſentientis fauorem,& errare plerunque dediſcit, cui nemo conſentit. Abſint ab atriis Domini,careant cuſtodia paſtorali,ne duarum ouium

Dira per incautum ſerpant contagia vulgus.

rapáxq; lupus lætetur tantas ouiũ cateruas,dum à cuſtodibus diſſimulatur duarũ vulnus, eſſe fu ſas: proſpiciendũ ne lupos permittẽdo mercenarij magis videamur eſſe quàm paſtores.Iube mus ſanè,quia Domin' propria voce ſignificauit, nolle ſe mortẽ moriẽtis,ſed tãtùm vt reuer tatur & viuat,Eze.18.33. ſi vnquã ſani depoſito

praui erroris dogmate resipuerint, damnauerintque ea quorum se præuaricatione damnabant, solitam eis medicinam, id est, recêptum siue receptaculum suum negari, ne dum eos redeũtes forsitan prohibemus, extra ouile remanentes, expectantis hostis rabidis faucibus glutiantur, quos in semetipsos spiculis malæ disputationis armauit, aliàs armarunt. Et hoc aliquantò anterior Arnobius in Psal. 139. Qui peperçerit hæresiarchis, aut prędicatoribus falsitatis, nec eos gladio fidei suæ iugulauerit, hoc ei euenire quod Saüli, qui 1. Reg. 15. cur non occiderit, à regno eiicitur quis ambigat? aut qui misericordiã suam putauerit in hæresi permanentibus exhibere, quis neget simili modo à Dei regno excludi, vt is à regno humano exclusus est? Eodem exẽplo Ambrosius super Psal. 118. Serm. 8. vers. 2. In Ecclesia, vbi maximè misereri decet, teneri quàm maximè debet iustitiæ forma, ne quis à communionis consortio abstentus, breui lacrymula ad tempus parata, aut etiam vberioribus fletibus, quod plurimis debet postulare temporibus, facilitate sacerdotis extorqueat. Nonnè vni indulgens indigno multos ad prolapsionis contagium prouocari facit? Facilitas enim veniæ, incentiuum tribuit delinquẽnti, vt sciamus secundum Dei verbum & rationem, dispẽsandam esse debitoribus misericordiam, Medicus si serpentis interius inueniens vulneris cicatricem, cùm resecare debeat vlceris vitium, ne latius serpat, à secandi

Hæresiarchis nõ parcendũ

Excommunicati nõ facilè recipiẽdi.

tamen vrendíque propoſito lacrymis inflexus ægroti, medicamentis tegat quod ferro fuit aperiendum, nonnè inutilis miſericordiá eſt, ſi propter breuem inciſionis vel exuſtionis dolorem corpus omne tabeſcat, vitæ vſus intereat? Rectè igitur ſacerdos vulnus, ne latius ſerpat, à toto Eccleſiæ corpore, quaſi bonus medicus abſcindere debet, & prodere virus criminis quod latet, non fouere, ne dum vnũ excludendum non putat, plures faciat dignos quos excludat. Quò & Apoſtolus diuino nos hortatur exemplo. Vide, ait, Dei bonitatem & ſeueritatem, hanc quidem in eos qui ceciderunt, illam verò in te, ſi tamen in ea permãſeris, Rom. 11. oſtendens Iudæos ab Eccleſiæ corpore ſeparatos. ne perfidiæ eam virus contaminaret: Gentes autem Domini receptas bonitate, obedientiæ munere gloriari, ſed ſiquidem in ea perſeuerauerint, alioqui excidendas, ſicut & illos, ſi non in incredulitate permanſerint, rurſus inſerendos, Potens enim eſt Deus inſerere. Sanè prouidè ac cautè intelligendum, quod quidam ita diſtingunt ex ſcripto quodam Ioannis pp. VIII. in can. vlt. 3. q. 4. vt excommunicatio quidem à fraterna ſocietate ſimpliciter ſeparet, Anathema verò à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, omnino recidat, & à fidelium conſortio, nedum communione corporis & ſanguinis Dominici. 11. q. 3. poſt can. Ad menſam. & can. Nemo. ex Concilio Meldenſi, prohibentur Epiſcopi ſine certa & manifeſta peccati cauſa,

Excommunicatio aliud quàm anathema.

communione quenquam priuare Ecclesiasti-ca,sub anathemate autem ponere,sine archiepiscopi aut coëpiscoporum conscientia,nisi bene canonica docet autoritas,quia Anathema æternæ mortis damnatio, nec nisi pro mortali crimine,& iis qui aliter corrigi nequeant, imponendum.In quales & quidem perpetuum tulit Stephanus III.qui contra canones vel S.A. inuaderent, vel in gradum Cardinalium irrumperēt.Dist.79.ca.Si quis ex episcopis.Ambrosius ca.Reperiūtur.1.q.1.In Simoniacos. quasi vulneri cancroso ferrum ignitum iniiciens. Quod & perpetuum innuisse videri possit, vbi paulò antè,sic Arnobius,Grauius homines puniri spiritali nunc iudicio, quàm anteà ferro, hoc enim vita tollitur, vt multùm annorum quinquaginta. Anathematis autē cæde & vita æterna eripitur, & mors perpetua irrogatur. Quasi scilicet hoc adempta omni venia, æterno addicat exitio. Quali & qualiter sumpto anathemate Chrysostomus peculiari sermone negabat vllos plectendos, viuos aut mortuos. Extat autem Græcus,Latinus,Gallicus. Vocem hanc Apostolum duobus tantùm locis quasi coactum attulisse,Si quis non amat D. N.I. C. 1.Cor.16.Et si quis vobis euangelizauerit præterquàm quod accepistis,Anathema sit, Gal.1. nec tamen certæ aut determinatæ illam personæ intentasse,Apostolos id diligenter seruasse, vt sic hęreticos ex Ecclesia eiicerent,quasi effodiendus esset dexter oculus : Hac tempestiua

membri deiectione magnum suæ compassionis argumentum præ se ferentes, quo etiam verbo Christus charissimos à se eiecturis dolorem & commiserationem cõmendauit, Matth. 5.18. Marc. 9. Qua in re, vt in aliis, perdiligentes fuisse, hæreses quidem redarguendo & procul eiiciendo, hæretico tamē nulli pœnam aut probrum hoc impingendo, quasi sic diabolo deuotus foret, & à Christo alienus, vt nullus ei locus, nulla salutis via relinqueretur. Quod igitur eorum qui tantam tum dignitatem, tum potestatem acceperant, eorúmque veri successores pleni gratia & virtute, nullus facere aut prę nunciare ausus est, audes & præsumis, & iudicium Domini præuenis? autoritatem vsurpas & assumis? Tunc enim demum oues ab hœdis separabit, Matth. 25. Vin audire quid sanctus quidam vir & martyr sub Apostolorum tempora de hoc sensit atque dixit? Is huius verbi atrocitatem tali monstrabat exemplo, vt si quis priuatus Regiam sibi purpuram accommodet, is vnà cum omnibus sibi consciis & adiutoribus, vt tyrannus punietur: Ita qui Domini sententiam præoccupans, hominem ab Ecclesia facit anathema, in præsens se exitium coniicit, dignitatem Dei scilicet Filio pręripiens. Leuisnè ergo & parui tibi momenti res videtur, ante iudicem iudiciíque tempus tali quēquam sententia condemnare? Anathema enim modis omnibus & in totum à Christo separat. Sed hæreticus est, aiunt, domesticum habens

Diabolum,in Deum impius,perditus, & multos in perditionem verbo & impoſtura inducẽs,à patribus ideo eiectus,quòd Eccleſiæ poſt ſe partem abduxiſſet. Doce tamen,ait,cũ manſuetudine corripiens eos qui reſiſtunt, ſiquando,vel vt tandem det eis Deus pœnitentiam,& reſipiſcant,&c.2.Tim.2.Extẽde ſagenam charitatis,vt membrum claudicans ſanetur potius quàm ſubuertatur. Oſtende magno animi affectu,velle te donum proprium aliis communicare. Dulcem commiſerationis hamum iace,ex imo perditionis demerſum extrahe, errantem ac ignorãtem corrige,erudi à traditione Apoſtolica alienatum. Si correptionem boni conſuluerit,qui prius errabat,& is vita viuet, & tu animam tuam liberabis,Ezech.3.33. Sin emendari reſpuit,& perſiſtit,pertinax,contentioſus, ne olim reprehendaris,conteſtare de tuo apud eum officio. Cum animi tamẽ lenitate, ne animam eius de manu tua iudex requirat, ne oderis,auerſeris,maledictis inſecteris, ſed ſyncerã erga illum charitatem præte feras, vt interim ſi nihil aliud,id certè lucreris abundè magnum, quòd & proximum diligis,& Chriſti doctrinã de charitate doces,qua ſublata vel abſẽtẽ,nihil alia Dei dona proſunt,quæ non quærit quę ſua ſunt,omnia ſuffert,ſperat,credit, & ſuſtinet, 1. Cor.13. Dilecti,nemo noſtrum tam erga Chriſtum affectus fuit, quantùm Paulus, vrebatur, & à Chriſto pro fratribus anathema fieri optabat,Rom.9.& hoc tamen ſuo in Chriſtũ affectu

Hæretici qualiter reuocandi.

B. Pauli lenitas.

ctu nemini vim nec anathema inferebat. Huius vos omnes imitatores fieri velim, méque vnà vobiscum. Sed & Deus præuidẽs licet quid vnus nostrum quisque futurus sit, malos tamẽ bonis dignatur communibus, & Dominus calamum quassatum non contriuit, linum fumigans non extinxit, Esa. 42. Matth. 12. Iudam eique similes tulit, & tandiu non abiecit, donec scientes, se in exitium traxerant præcipites. Et nunquid & pro populi ignorantiis offerimus, & pro inimicis & nos persequentibus oramus? Matth. 5. Luc. 6. Rom. 12. Et vos ergo rogamus & obtestamur, vt à malo contrario desistatis. Quem enim anathematizas, aut viuit adhuc, & sic improbè agis, qui eũ qui à malo in bonum verti potest, crudeliter amputas: aut mortuus est, & sic deterius agis, quia Domino suo stat aut cadit, Rom. 14. nulli iam humano iuri subiectus, Super eo quoque quod secretum sibi iudex reseruauit, pronunciare, hominis videtur temerarij, eique soli tutum est, qui mensuram sciẽtiæ, & fidei modum nouit. Qui quæso, scis, quibus se verbis defendet is aut excusabit in die quo venturus est Dominus, vt iudicet occulta cordium? 1. Cor. 4. & quis cognouit sensum aut consilium Domini? Rom. 11. Esa. 40. En iterum dico, & coram Deo, ac electis eius angelis contestor, hãc erga proximos inhumanitatem vobis in die iudicij magno malo & certæ perniciei futuram. Et tandem concludit, Dogmata impia, & ab hæreticis profecta, ar-

guere, & anathemate oportet percutere, hominibus autem interim non parcendum solùm & abstinendum, sed & pro eorum salute precandum. Equidem non ignoro iam tum non defuisse, qui sanctum pastorem calumniarentur, vt aduersus hæreticos lentum nimis & nimis humanum, sed peræquè scio anathematis quale is dissuadet ac improbat, & ab Apostolis ac idoneis eorum successoribus contra vllum, præsertim nominatim, illatum esse negat, sic inquam, accepti anathematis, sine vlla prorsus spe veniæ, apud veteres vel nullum, vel perquàm rarum fuisse vsum, cúmque contra mortuos magis, & hæresibus suis immortuos, ac proinde desperatos, quàm contra viuentes adhuc, quibus, quamlibet ægrotis, dum anima est, spes esse vel prouerbio dicitur, & iuxta Theocriti Battum vertente Philelpho,

Sperandum est viuis, non est spes vlla sepultis.

Hinc in Concilio Africano, canon.48. constitutum est, vt episcopo qui vel hæreticos etiam consanguineos, vel Paganos Ecclesiæ prætulerit, saltem post mortem anathema dicatur, ciúsque nomen inter Dei sacerdotes nullo modo recitetur. Et recitatur Extra. de hæreticis capit. 5. quod sequens ad reliquos clericos ampliat. Et hi sunt, qui, citante Gratiano 24. q. 2. ad finem. super defunctis statuerunt, vt qui suas facultates hæreticis reli-

quiſſent, etiam mortui anathemati ſubiicerentur. Vbi can. Sanè, ex actione. 1. Synodi v. & cùm aliorum, tum Auguſtini, Theophili, Rabani teſtimonio idem probatur de hæreticis, etiam ſi viuentes de fide non eſſent accuſati, poſt mortem anathematizandis. Mitius Leo 1. Epiſtola nonageſima ſecunda, capite ſecundo, de communione priuatis, & ita defunctis, Horum (ait) cauſa iudicio reſeruanda, in cuius manu fuit, vt eorum obitus non vſque ad communionem differretur. Nos tamen quibus viuentibus non communicauimus, mortuis communicare non poſſumus aut debemus, citante ibi Vrbano, can. Sanè, & ea, Legatur Gelaſius. mortuos ſuſcitaſſe Chriſtum legimus, non in errore mortuos abſoluiſſe, qui ſolus hoc faciendi poteſtatem habuit. Petro, Super terram, inquit, non in ligatione defunctũ eſſe dixit abſoluendum. Et can. Nec quiſquam. A communione iure ſeclusus, & in eadem perſiſtens damnatione defunctus, abſolutionem quam ſuperſtes nec quæſiuit, nec meruit, nec mortuus iam impetrare poteſt. De eo autem qui in diuino iudicio conſtitutus eſt, nobis fas non eſt aliud decernere, præter id in quo dies eum ſupremus inuenit. Et Canone, Quicunque. vndecim. quæſt. tertia, de iis qui obſtinato animo ſine communione defuncti fuerunt, idem præcedentem præceſſoris ſui Leonis ſententiam facit ſuam. Vt minus

Mortui quidam anathematizandi.

hic valeat Chrysostomi distinctio, & si qui impietates duntaxat, non etiam impios huiusmodi, quatenus & quandiu tales, anathematizent. Quales Iustinianus edicto ad Ioannem II. pp. transmisso improbat, vt diuinæ scripturæ contrarios, euidenter dicenti, æquabiliter apud Deum horribiles impium eiúsque impietatem, Sap. 14. ac proin anathemati similiter subiectos, id est, à Deo separatos: Nihil enim aliud in vtroque testamento iudicium hoc significat. Et Dominus Iudæos alloquens, dicit eos qui non permanent in verbo veritatis, ab Ecclesia esse separatos, Seruus, inquiens, non manet in domo in æternum, Ioannis 8. in Ecclesia vtique, Dei viui domo, 1. Timoth. 3. Sciant ergo, ait, qui huiusmodi defendunt, omnem hæreticum in errore suo ad finem vsque vitæ permanentem, iustè perpetuo anathemati post mortem quoque subiici. Idque in permultis hæreticis antiquioribus factum, in vita accusatis, & post mortem per S S. Patres anathematizatis, Ne simpliciores eorum impia scripta legentes, à recta fide declinarent, vt impij quod in vita in personam suam anathema non susceperant, mortui non euitarent. Sic Nicena Synodus eos qui Arrij sectam colerent, sine nomine anathematizauit. Constantinopolitana Macedonij hæresim similiter condemnauit, Sancta Dei Ecclesia vtrunque mortuum anathematizat. Nec valet dicere, quosdam tales in externa Ecclesiarum

Anathemati subiici, à Deo separari

Anathematizati quidam post mortem.

communicatione commori. Quæ veniæ eſt occaſio: Oportet enim ſcire eos in Eccleſiæ communione mori, qui commune pietatis dogma, quod in Eccleſia vniuerſali prædicatur, ad finem vſque ſeruauerunt: Qui contrà ad mortem vſque in ſua permanent impietate, ab omni Eccleſia eiici ſolitos, etiam mortuos, & à S S. Patribus cum infidelibus, Paganis, & Iudæis numerari, deletis etiam à ſacris diptychis eorum nominibus, Quod & paulò antè curauerat Leo 1. Epiſtola 40. cap. 2. Hæreticorum nomina ad ſacrum altare non recitanda, nec cum ſanctorum nominibus ſine diſcretione miſcendos, qui catholicos perſecuti eſſent, vt contrà eos qui iniuſtè condemnati fuiſſent, ſancti patres poſt mortem reuocauerunt, & in ſacris diptychis ſcripſerunt, ca. Sanè. 24. q. 2. Ex actione 1. Synodi V. Sic horrendo Dei iudicio Iudam ſacramentis, donec vixit, cum dolo licet communicantem, Apoſtoli mortuum ſententia ſua condemnarunt, & ne vltrà eis connumeraretur, alium pro eo introduxerunt, Act. 1. Sub hoc igitur Imperatore Synodus V. can. 11. 12. 14. anathematis velut formulam ſic præſcripſit, Hæreticos omnes à Sancta Dei Catholica & Apoſtolica Eccleſia, vel à præcedentibus IIII. Conciliis, condemnatos & anathematizatos, ſed & eos qui cum iis ſimilia ſapiunt, aut aliquando ſapuerunt, ſcribunt, aut defendunt, & vſque ad finem in huiuſmodi propria im-

pietate permanent aut permanserunt, si quis non anathematizat, aut anathemati subiicit, talis anathema sit. Simili forma vsus Martinus I. decreto Synodico decimo octauo, contra cùm omnes hæreticos ab Ecclesia, hoc est, vniuersalibus v. Synodis, & probatis omnibus patribus, reprobatos & abiectos, tum Monothelitas. Dicimus, inquit, eos in sua perfidia permanentes, omnia impia eorum scripta, & eos qui similia cum his vsque ad finem sine pœnitentia sapuerunt, aut sapiunt, vel sapient, si quis non respuit, & non anima & ore anathematizat, huiusmodi sit condemnatus. Hæc obiter de anathematis nomine ac vsu contra quantumlibet hæreticos, nisi ratione finalis impœnitentiæ, à priscis catholicis ferri non ferè soliti. Alioqui excommunicatio, damnationis eos futuræ præmonendo, ad pœnitentiam inuitat: quæ si obtinetur, parata est apud Ecclesiam reconciliatio, apud fratres in communionem restitutio, apud Deum salus. Idque iuxta Dominicum institutum, & praxim Apostolicam, In carnis (inquit) interitum, vt spiritus saluus fiat in die D. N. I. C. 1. Cor. 5. ex quo Ambrosius sermone nono in Psalmum 118. intelligit, eum in bono excludi, & Apostolica autoritate è medio plebis auferri, qui iubetur agere pœnitentiam, vt humilietur, hæc enim reconciliationis solent esse suffragia. Vt confundatur, siue pudefiat, 2. ad Thessalonicen. 3. vt qui aliàs emen-

Excommunicationis vsus in Ecclesia.

dari non potuit, tanto suo malo commotus erubescat, & ad veram pœnitentiam redeat, vt denique blasphemare dediscat, 1. ad Timotheum 1. Sic enim ab Ecclesia, vt à Domino, iudicamur atque corripimur, ne cum hoc mundo damnemur, 1. ad Corinthios 11. Si quem ergo sui puduerit, sufficit ei, quæ à pluribus fit, obiurgatio, 2. Cor. 2. vt magis ei condonare debeamus, consolari eum, & charitatem in illum confirmare, ne nimia fortè tristitia is absorbeatur. Et quo loco Christus de fratrem, imò fratres, adeóque matrem Ecclesiam non audiéte pronunciat, quem ea in terra ligauerit, ligatum in cælo fore, vt is audiens mores errorésve suos damnari, suæ ipse damnationis, quan diu ab ea, & proinde à Christo alienus foris manserit, & nisi resipuerit, certus fiat, adeò tamen noluit quasi iam perditũ desperari, vt meliora tum pro huiusmodi precari, tum super eo sperari voluerit. Vbi enim, ait, duo tréſve in nomine meo cõgregati fuerint, ibi sum in medio vestri, Matt. 18. q. d. Esto, Frater nec fratrem solitarium, nec testibus adiunctis comitatum, sed nec Ecclesiæ præsides audiat, an protinus & omnino desperandus? Nequaquam. Vltimum ad saluandum fratrem confugium, quamlibet humanis consiliis aut correptionibus nõ paruerit, perseuerare in postulanda erranti resipiscendi gratia, vt non tantùm in condonandis & condemnandis peccatis, sed & in impetran-

dis quæcunque petierit, ac proin peccatoribus conuertendis, & aberrantibus reducendis, velut Ecclesiæ consensio & vnanimitas, vt licet communes quas pro membris suis fundit Ecclesia, orationes pro excommunicatis Deo non offerat, vt à diaboli tamen laqueis resipiscant, & Ecclesiæ vnitati aggregentur, rogare non desinit, vt legere est in eius collectis die sancto Parasceues haberi solitis, non pro Iudæis tantùm & idololatris Paganis, sed & pro hæreticis & schismaticis, iure vtique diuino vitandis, & Ecclesiastico excommunicatis, Vt Deus, inquiens, & D.N. eruat eos ab erroribus vniuersis, & ad sanctam matrem Ecclesiam Catholicam & Apostolicam dignetur reuocare. Et. *Omnipotens Deus*, qui saluas omnes, & neminem vis perire, respice ad animas diabolica fraude deceptas, vt omni hæretica prauitate deposita, errantium corda resipiscant, & ad veritatis tuæ redeant vnitatem. Sic nimirùm mater Ecclesia Deum Patrem imitatur, tanta etiam erga inimicos vtentem pietate, vt & extra Ecclesiam existentes sæpe ad se conuertat, desiderium eis Ecclesiasticæ pacis & vnitatis inspirans: qui si qua necessitate impediuntur, quominus ad Ecclesiam ab homine admittãtur, ipsemet inuisibiliter sponsæ eos suæ reconciliat, séque quærentes non derelinquit. Quin si iniquis scelestísque veniam vitámque largiendo, etiam plerisque, quos non

Ecclesiæ precũ efficacia.

nouit non acturos pœnitētiam, exhibet tamen patientiam: quantò nos magis, ait ad Macedonium epistola 54. Augustinus, in eos qui correctionem promittunt, & vtrum faciunt, incerti sumus, misericordes esse debemus, vt rigorem nostrum pro eis intercedendo flectamus, pro quibus & Dominum, quem nihil de moribus eorum etiam futuris latet, non tamen imprudenter, quia hoc præcepit, oramus? Et fratris ergo peccatum ad mortem, pro quo rogādum non dicitur, 1. Ioan. 5. idem lib. 1. de Sermone Domini in monte, ratus esse, cùm post agnitionem Dei per Christum, quis fraternitatem oppugnat, & aduersus gratiam, qua reconciliatus Deo est, inuidentiæ facibus agitatur, quo quid magis est hæreticorum & schismaticorū? addidit lib. 1. Retractationum, cap. 19. si in hac tam scelerata mentis peruersitate vitam finierit, quia de quocunque pessimo hîc constituto non vtique desperādum, nec pro eo imprudenter oratur, de quo non desperatur. Nescientes enim (vbi suprà de correptione & gratia) quis pertineat, quis non, ad prædestinatorum numerum, ea debemus affici charitate, vt omnes velimus saluos fieri, quod fit, cū singulos quosque vt occurrerint, cum quibus id agere valeamus, ad hoc conamur adducere, vt pacem apud Deum habeant, Rom. 5. Deo reconcilientur, 2. Cor. 5. Quam pacem, quocūque intramus, precari iubemur, Matth. Luc. 10. cuiusque, quisnam sit aut non, filius, ad nos qui nescimus, pertinet

Peccatū ad mortem.

nullum excipere vel discernere, sed nescientes qui salui futuri sint, omnibus hanc prædicare, & corripiendo nihil aliud agere, nisi vt non ab ea vel recedatur, vel ad eam, qui recesserit, reuertatur. Et cap. vlt. Proinde quantum ad nos pertinet, qui prædestinatos à non prædestinatis discernere non valemus, & ob hoc omnes saluos fieri velle debemus, omnib' ne vel pereant, vel alios perire faciant, adhibenda est à nobis medicinaliter seuera correptio, quam Dei est eis vtilem facere, quos præsciuit & prædestinauit. Nam si quando timore non corripimus, ne quis inde pereat, cur non & timore corripimus, ne quis inde plus pereat? Nec enim maiora dilectionis viscera gestamus, quàm qui dicit, Corripite inquietos, 1. Thess. 5. patientes estote ad omnes. Vbi quod subiicit & prohibet quem cui malum pro malo reddere, tunc potius reddi intelligendum est, si corripiendus, praua dissimulatione negligatur, non corripiatur. De oratione autem idem lib. 21. de Ciuitate, cap. 24. Quia de nullo certa est Ecclesia, quòd scilicet reprobus, pro eo enim, si quis esse sciret aut nosset, non oraret, orat pro omnibus inimicis suis, in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur, sed pro his solis, qui etsi aduersantur Ecclesiæ, sic tamen sunt prædestinati, vt pro eis exaudiatur, & eius efficiantur filij. Hæc ille. Deuitandi ergo hæretici, non sic tamen vt non vel eos corripiant, vel pro eis orent catholici. Quorum

primum ex iisdem quibus nos anteà scripturæ locis, frequenter & diligenter vrget D. Cyprianus, lib. 1. Epistola 3. Si quod contagium venenati sermonis, & pestiferæ seminationis irrepserit, id omne de fratrum auribus & pectoribus exuatur, & bonorum integra synceráque dilectio ab omnibus hæreticæ detractionis sordibus repurgetur. Declinent de cætero fortiter & euitent fratres nostri verba & colloquia eorum, vt (præter Paulina) per Salomonem Spiritussanctus loquitur, Prou. 16. peruersus in ore suo portat perditionem, in labiis suis ignẽ condit. 17. Malus obaudit linguæ iniquorum, iustus non intendit labiis mendacibus. Ecclesiastici 28. Sepi aures tuas spinis, & noli audire linguam nequam, vt nulla cum talibus commercia copulentur, conuiuia vel colloquia misceantur, & simus ab eis tam separati, quàm de Ecclesia sunt profugi. Nulla societas fidei & perfidiæ esse potest, Qui vnitati & paci Christi inimicus, nobiscum non potest cohærere. Si cum precibus & satisfactionibus veniunt, audiantur: Si maledicta & minas ingerunt, respuantur. Epistola quarta, Si qui de collegis Deificam disciplinam negligendam rati, cum hæreticis temere communicant, cùm turbetur fides nostra, cùm Spiritus talibus sic comminetur, Tu odisti disciplinam, proiecisti sermones meos post te. Si furem videbas, cum eo currebas, & cum adulteris portionem tuam ponebas,

Hæretici qualiter deuitandi.

Psal.49. & Rom.1. morte dignos esse probat, & ad pœnam venire, non tantum mala facientes, sed & agentibus consentientes, qui dũ malis impœnitentibus illicita communicatione miscentur, nocentium contractibus polluuntur, & dum iunguntur in culpa, sic nec separantur in pœna. Propter quod integritatis vestræ religiosam solicitudinem laudamus pariter & probamus, & quãtùm possumus adhortamur, ne vos cum profanis & maculatis sacerdotib' communicatione sacrilega misceatis, sed integram & synceram fidei firmitatem religioso timore seruetis. Epistola 6. ex Matth.10. Samaritis cum gentibus à Christo omitti iussis, schismaticos cum gentilibus adæquari & præteriri. Ex præallegato item Chore exẽplo, obnoxios se Deo & culpæ & pœnæ facturos, qui se Schismaticis contra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate miscuerint. Sicut & Ose.9. contestatur, Sacrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant, contaminabuntur, ostendens omnes omnino cum autoribus supplicio coniungi, qui fuerint eorum peccato contaminati. Epist.7. Si apud insanos furor insanabilis perseuerauerit, & recedente Spiritu sancto, profunda cæcitas in sua nocte permanserit, consilium vobis erit singulos fratres ab eorum fallacia separare, neu quis in laqueos erroris incurrat, ab eorum contagione secernere, ne alienæ dementiæ facilè consentiant, ne se desperatorum delictis participes faciant.

Ergo contumaces, & Deum non timentes, & ab Ecclesia recedentes nemo comitetur. Epist. 8. Procul ab huiusmodi hominum contagione discedite, sermones eorum vt cancer & pestem fugiẽdo vitate: discedite à talibus, vitate lupos, qui oues à pastore secernunt: Vitate linguam Diaboli venenatam, qui ab initio mũdi fallax semper & mendax, mentitur vt fallat: blanditur, vt noceat: bona promittit, vt malũ tribuat: vitam pollicetur, vt perimat: pacem & salutem, ne perueniri possit ad eam: Ecclesiam spondet, cùm id agat, vt qui ei credit, in totum ab ea pereat. Et lib. 3. Epist. 3. mirificè gratulatur quibusdam ad Ecclesiam reuersis, quibus quòd anteà communicare non posset, quos semel diligere cępisset, dolebat vehementer & grauiter angebatur. Et Tractatu 3. Quid facit in pecore Christiano luporum feritas? canũ rabies, venenum lethale serpentum? & cruenta sæuitia bestiarũ? Gratulandum est cùm tales de Ecclesia separãtur, ne columbas, ne Christi oues sęua sua & venenata contagione prædentur. Coniungi non potest amaritudo cum dulcedine, caligo cum lumine, pluuia cum serenitate, pugna cum pace, cum fœcũditate sterilitas, cum fontibus siccitas, cum tranquillitate tempestas. Sic ante iudicij diem hîc perfidi deteguntur, & iam iustorum ac iniustorum animæ diuiduntur, & à frumento paleæ separantur. Quos & designat Spiritus Psal. 1. sedentes in pestilentiæ cathedra pestes & lues fidei, serpentis ore fallẽtes, corrum-

pendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis pestiferis euomentes. Nec ita pòst, Vitate, quæso vos, eiusmodi homines, à latere auribúsque vestris perniciosa colloquia velut contagium mortis arcete, auersandus talis atque fugiendus, quisquis fuerit ab Ecclesia separatus. Et, Recedendum est à delinquentibus, imò fugiendum, ne dum quis malè ambulantibus iungitur, & per itinera erroris & criminis graditur, à via veri itineris exerrans, pari crimine teneatur. Serm. 5. Eiusmodi homines, quantùm potestis, perniciosis contactibus adhærentes salubri cautione vitate. Quorum colloquium velut contagium transilit, noxia & venenata persuasio persecutione ipsa peius interficit. Eadem, sed paucis attingit ad Quirinum lib. 3. cap. 68. Recedendum ab eo qui inordinatè, & contra disciplinam viuit. Et 78. Cum hæreticis nec loquendum. Hæc super vitanda hæreticorum non doctrina tantùm, sed etiam consuetudine. Quorum tamē nulli claudi Ecclesiam idem velit. Opto (inquit primo loco) omnes in eam regredi, vniuersos intra Christi castra, & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa dissimulo, studio & voto colligendæ fraternitatis, etiam in Deum commissa nō pleno iudicio religionis examine, delictis plusquam oportet, remittendis penè delinquo, amplector plena & prōpta dilectione cum pœnitentia auertentes, peccatum suum satisfactione humili confitentes. Si qui autē pu-

Ecclesia nulli hæretico claudenda.

tant se ad Ecclesiã minis non precibus regredi posse, aut aditũ terroribus facere, non lamẽtationibus aut satisfactionibus, pro certo habeãt cõtra tales stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi, inuicta & fortia, & Domino tuẽte, munita, cuiuis cedere. Sacerdos Dei Euangeliũ tenẽs, & Christi pręcepta custodiẽs, occidi potest vinci non potest. Et paulò post, Optamus, oramus, ac deprecamur Deũ (quẽ prouocare & exacerbare nõ desinũt) vt eorũ corda mitescãt, vt furore deposito, ad sanitatẽ mẽtis redeãt, vt peccatores à delictorũ tenebris pęnitẽtiã agnoscãt & magis petãt pro se fundi preces & orationes antistitis, quã fundãt sãguinẽ sacerdotis: Sin in suo furore permãserint, in insidiis ac minis suis parricidalibus crudeliter perseuerauerint, nullus Dei sacerdos sic infirmus, iacẽs, abiectus sit, imbecillitate humanę mediocritatis ita inualidus, qui nõ cõtra Dei hostes & impugnatores diuinitus erigatur, cuius nõ humilitas & infirmitas vigore & robore Domini protegẽtis animetur. Nostra nihil interest aut à quo, aut quãdo perimamur, mortis & sanguinis præmiũ à Domino recepturi. Et hic ergo mart. hęreticos vndecunque recipit, sed pœnitẽtes tantũ, & satisfacere paratos, antè alioqui moriturus. Eadẽ mẽs fuit Leoni 1. eos scilicet simul & pertinaces vitãdi, & pro iis tamẽ cõuertẽdis orãdi. Fugite, inquit, mũdanæ argumẽta doctrinę, viperea hæret. vitate colloquia. Nihil vobis cõmune sit cum eis qui Catholicæ aduersantes fidei,

ſolo ſunt nomine Chriſtiani:non enim templũ Spiritus Dei,nec membra ſunt Chriſti,ſed falſis opinionibus implicati, tot ſpecies habent Diaboli,quot ſimulacra mendacij. Serm.18.de Paſſione.Et Serm.ſiue Tractatu de vitãdis hæreticis inſcripto,Fraterna vos & paterna ſolicitudine commonemus , vt inimicos catholicæ fidei,hoſtes Eccleſiæ, &c. in nullum recipiatis conſenſionis affectum,dicente Apoſtolo,Hæreticum, &c. propria enim pertinacia perit,& ſua à Chriſto diſcedit inſania, qui eam impietatem, per quam ante ſe multos ſcit periiſſe, ſectatur,& religioſum ſibi atque catholicum putat,id quod ſanctorum Patrum iudicio conſtat eſſe damnatum,vt adhuc quaſi nouæ,& necdũ damnatæ,in perniciem animarum ſuarum cõſentiant prauitati. Hos ergo tãquam venenum mortiferum fugite, execremini, declinate, ab eorum colloquiis, ſi increpati à vobis, corrigi noluerint,abſtinete:Iuſto enim iudicio ab Eccleſiæ vnitate reiectis nulla eſt tribuenda communio,quam ſceleribus ſuis, non noſtris odiis perdiderunt. Eccleſiaſticum tamen,concionatur idem alibi ſerm.4.in Epiphania, & diuinitus inſtitutum non ſolùm non inhibemus, ſed etiam incitamus affectum,vt etiam pro talibus nobiſcum Domino ſupplicetis, quoniã & nos deceptarum animarũ ruinas cum fletu & mœrore miſeramur, & Apoſtolicæ pietatis exemplo,cum infirmantibus infirmamur,2.Cor.11. cum flétibus flemus,Rom.12. Speramus enim exoran-

Orandum pro hæreticis

exorádam Dei misericordiam, multis lacrymis & legitima lapsorum satisfactione, quia dum in corpore viuitur, nullius desperanda reparatio, sed omnium est optanda correctio, auxiliãte Domino, qui erigit elisos, soluit compeditos illuminat cæcos, Psal. 144. Quosdam ergo qui rebus impiis consensum præbuerant, reconciliationem reposcentes, & catholicorum communionem desiderantes, sic exaudiuit, vt cor̃rectis, & errores propria subscriptione damnantibus, pacis gratia tribueretur. Epistola 39. Quia deuotionis vtrunque Christianæ est, vt pertinaces veritas iusta coërceat, conuersos charitas non repellat. Et epist. 40. cap. 1. Communionis item cupidos, qui dolerent se cõtra potentiam & terrores, non tenuisse constantiam, sed alieno sceleri consensum præbuisse, cùm sic eos formido turbasset, vt in damnationem catholici ac innocentis antistitis, & in receptionem detestabilis prauitatis trepido famularentur obsequio, suarum interim Ecclesiarum cõmunione contentos esse voluit, quatenus qui plenis satisfactionibus malè gesta cõdemnarent, & accusare se magis quàm tueri eligerent, pacis & communionis vnitate lætarẽtur, sic vt digno prius anathemate cõtra fidem catholicam recepta damnarentur. Non potest, ait, in aliquo benignitas nostra reprehendi, cũ satisfaciẽtes recipimus, quos doluimus esse receptos. Nec asperè communionis nostræ gratia deneganda, nec temere largienda, quia sicut

Hæretici resipiscentes non auersandi.

plenum pietatis eſt, oppreſſis charitatem Dominicam redhiberi, ſic iuſtum omnia perturbationis autorib' imputari. Et epiſt. 41. Quod de multis meliora iudicata ſũt, qui ſe deceptos doleant, & damnata cum autoribus ſuis perfidia, gratiam communionis noſtræ expoſcant, nos libenter accipimus, reddituri eis quam deſiderant communionẽ, cùm promiſſa compleuerint. Quos autem in ſua perſiſtere obduratione cognouimus, oportet diſtrictius cõprimi, ſi nequeunt benignitate ſanari. Addẽdum obiter ex eodem, hæreticos cùm ab omnibus, tũ à mulierculis maximè fugiẽdos. Hos ergo, ait ſerm. 5. de Ieiunio x. menſis, homines per omnia execrabiles ac peſtiferos, quos aliarum regionum perturbatio nobis intulit crebriores, ab amicitia veſtra penitus abdicate, vóſq; præcipuè mulieres, à talium notitia & colloquiis abſtinete: ne dum fabuloſis narrationibus incautus delectatur auditus, in diaboli laqueos incidatis, qui ſciens quòd primum virum mulieris ore ſeduxerit, & per fœmineam credulitatẽ omnes homines à paradiſi fœlicitate deiecerit, veſtro nũc quoq; ſexui ſecuriore inſidiatur aſtutia, vt quas ſibi potuerit per miniſtros ſuæ falſitatis illicere, & fide ſpoliet & pudore. Pudẽdo certè ſubiecto ibidem exẽplo puellæ vt multùm decennis, adoleſcentuli vitiatoris, duarúmque nutricum ei ſceleri præparatarum. Qui locus opportunior erat, ſi tum meminiſſem, Digreſſ. 13. noſtra in 2. Tim. 3. & hinc ergo illic ſuppleatur.

Mulieres maximè hæreticos deuitent.

Pergit idem Leo, Vos quoque obsecrans moneo, vt sicui vestrûm innotuerit vbi habitent, doceant, quos frequentent, in quorum societate requiescãt, nostrę solicitudini indicetis, quia vni parũ cuique prodest, quod protegente Spiritu sancto ab eis non capitur, si cùm alios capi intelligit, non mouetur. Cõtra communes hostes pro salute communi vna cõmunis esse debet vigilantia, ne de alicuius membri vulnere alia possint membra corrumpi. Qui tales non prodendos putant, in iudicio Christi inuenientur rei de silentio, etiamsi non contaminentur assensu. Et serm. 4. de Collectis. Vt in omnibus placeat Domino vestra deuotio, etiam ad hanc vos hortamur industriam, vt vbicunque latentes hęreticos vestris Presbyteris publicetis, Magna enim pietas prodere latebras impiorum, & in eis Diabolum, cui seruiunt, debellare, contra quos omnem terrarum orbem, & totã vbique Ecclesiam decet fidei arma corripere. Nõ sinantur latere homines, apud quos nihil sanctum, verum, integrum. Cauendi sunt, ne cuiquam noceant, prodendi, ne qua ciuitatis nostræ in parte consistant, &c. Habes hîc hæreticos præterea prodendos, nedum vitandos, neque tamen desperandos, & quatenus recipiendos. Quæ bona ex parte vno velut fasce ac ceu epilogo comprehendit Gelasius, Leonis duobus tantùm intermediis successor, vigesima quarta q. 2. Can. Legatur (ait) ex quo est religio Christiana, vel certè detur exemplum

Haretici non celandi, sed prodendi.

in Dei Eccleſia, à quibuſlibet pontificibus, ab Apoſtolis, à Saluatore denique veniam niſi ſe corrigentibus fuiſſe cōceſſam. Auditum enim ſub cælo non legitur omnino vel dicitur, Date veniam nobis, dum tamen nos in errore duremus. Quibus hoc canonibus aut regulis, qua electione, quo documento à maioribus noſtris, ab Apoſtolis, à Domino, ſiue factum eſt vnquam, vel faciendum eſſe mandatur? & canon omnium penè veterum hac de re canonum epilogi loco eſſe poſſit. Atque hîc alij aliam rationem ſecuti, aliter atque aliter ſe cum hæreticis geſſerunt: Quidam ſic pro eis orabant, vt tamen vitarent. Epiphanius Salaminæ in Cypro epiſcopo Ioanni Hieroſolymitano coëpiſcopo conquerenti, quòd is in oratione inter diuina ſacrificia pro hoc dicere ſoleret, Domine præſta Ioanni, vt rectè credat, reſpondet, interprete Hieronymo, non ſe adeo ruſticum, vt tam apertè diceret, nec in alienas ſic aures vnquam protuliſſe, quod tamen in corde ſuo ſemper oraret, Sed dum orationē iuxta myſteriorum ritum compleret, pro omnibus, & pro eo quoque dicere, Cuſtodi illum Domine, qui veritatem prædicat. Vel certè ita, Obſecro, ait, te, & pedibus tuis precor aduolutus, præſta mihi & tibi, vt ſalueris, ſicut ſcriptum eſt, à peruerſa generatione, & recede ab omni hæreſi. Hac enim de cauſa omnis veſtra in me indignatio cō citata, quòd rogarem ne Origenem multarum ſcilicet hæreſeon radicem, laudaretis, neue ita

Venia non niſi ſe corrigentibus dāda.

Orādum pro hæreticis vt ſit.

Origenes multarū hæreſeon radix

erraretis, admonerē. Sic autē cōtradixiſtis, vt me alióſque qui tum intererant, catholicos ad triſtitiam atque lacrymas adduceretis, comminati quòd miſſis huc illuc epiſtolis propter defenſionem hæreſeos odia contra me ſuſcitaretis, & rumpitis quam in vos charitatem habemus, intantùm vt feceritis nos etiā pœnitentiā agere, quia vobis cōmunicauerimus, quaſi ſic Origenis errata & dogmata defendentes. Simpliciter loquor, nos ſecundum quod ſcriptum eſt, Matt. 5.18. Marc. 4.9. nec oculo noſtro parcimus, vt ſcandalizantem non effodiamus, neque manui, nec pedi, ſi nobis ſcādalum fecerit. Et vos ergo ſiue oculi noſtri, ſiue man⁹, ſiue pedes fueritis, ſimilia ſuſtinebitis. Hìc habes, hæretici à catholico laudem, vel hactenus cum illo cōmunionem, quandam quaſi hęreſeos eſſe communionem. At Auguſtinum video lucrādi eos magis quàm euitandi ſic cupidū & ſtudioſum fuiſſe, vt cum eis & cominus, publicis ſcilicet tot diſputationibus non tantū admiſſis, ſed quæſitis: & eminus, familiaribus ad eos epiſtolis ſæpenumerò egerit, & quidem non ſine aduerſariorum laude, adeóque fraternitatis, ſiue fraterni nominis cōmunione. Hæreſes, inquit de vera Religione, cap. 5. tam innumerabiles à regula chriſtianitatis auerſæ, teſtes ſunt nō admitti ad communicāda eos qui de Deo Patre, Filio, Spiritu ſancto aliter ſentiunt & hominibus ſuadent, quàm veritas Chriſtiana poſtulat. Sic enim creditur & docetur, quod eſt humanę

D. Auguſtini zelus pro hæreticis.

ſalutis caput, non aliam eſſe philoſophiam, & religionem: cùm hi quorũ doctrinam non approbamus, nec ſacramenta nobiſcum communicent, quod in eis minus eſt mirãdum, qui ſacramentorum quoque ritu diſpares eſſe voluerunt. Magis animaduertendum prædicandúmque, qui paria ſacramenta celebrantes, quia tamen ſentẽtia diſpares, animoſius errores ſuos quàm cautius corrigere maluerunt, à catholica communione, & ſacramentorum, quamuis parium, participatione excluſi, propria vocabula, proprióſque conuentus nõ in ſermone tantũ, ſed & in ſuperſtitione meruerunt. Nam de iis qui ſchiſmata fecerunt, alia eſt quæſtio. Poſſet enim eos area Dominica vſque ad tempus vltimæ vẽtilationis velut paleas ſuſtinere, niſi ſuperbiæ vento nimia leuitate ceſſiſſent, & ſeſe à nobis vltrò ſeparaſſent. Et hîc habes ſuperiorẽ hæreticorum à ſchiſmaticis diſtinctionẽ: quia illi praua opinione, hi aliqua ſuperbiẽtes ſimulatione, à regula & cõmunione Catholicæ Eccleſiæ deuiarũt. Vtriſque tamen vtitur: illis, ad probationem doctrinæ ſuæ, his ad documentũ ſtabilitatis ſuæ. Alios ïuitat, alios excludit, alios relinquit, omnibus tamen gratiæ Dei participandæ poteſtatem dat, ſiue adhuc informandi ſint, ſiue reformandi, ſiue recolligendi, ſiue admittendi. cap. 6. 7. En hæreticorũ ſacris catholico non communicandum. De ſcriptis autem ita diſtinguit epiſt. 162. ad quoſdam Donatiſticos epiſcopos, Tales (corrigi paratos, non ob-

Hæreticorũ & ſchiſmaticorum differentia.

ſtinatos) vos niſi eſſe crederem, nullas fortaſſe vobis literas mitterem. Quanquam & hæreticum quamlibet odioſa ſuperbia tumidũ, & peruicacia malæ cõtẽtionis inſanũ, ſicut vitãdum monem⁹, ne infirmos fallat & paruulos, ſic nõ abnuimus quibuſcũq; modis poſſimus corrigẽdũ. Vnde factũ eſt vt & ad nõnullos Donatiſtarũ primarios literas ſcriberemus, nõ quidẽ cõmunicatorias, quas olim iã propter ſuã peruerſitatẽ ab vnitate catholica orbe toto diffuſa, nõ accipiunt, ſed priuatas, qualibus & ad paganos nobis vti licet, quas etſi legerunt, reſpõdere tamen noluerũt, vel potius nequiuerunt. Vbi nobis ſatis viſum eſt impleuiſſe nos officium charitatis, quam non ſolùm noſtris, ſed & omnibus nos debere docet Apoſtolus, Vos, inquiẽs, faciat Dominus abundare in charitate in inuicem, & in omnes, 1. Theſſ. 3. Nec prælocutus ſũ, ne quis me exiſtimet impudẽtius vobis quã prudẽtius ſcripſiſſe, & hoc modo vobiſcũ de negotio animę aliquid agere voluiſſe, quia noſtrę cõmunionis nõ eſtis: cũ tamẽ ſi de negotio fundi, aut pecuniariæ litis dirimẽdæ vobis ſcriberẽ nemo fortaſſe reprehẽderet. Vſq; adeò charus eſt hic mũdus hominibus, vt ſibimetipſis vilue rint. Erit ergo mihi ad defẽſionẽ teſtis hæc epiſtola in iudicio Dei, qui nouit quo animo fece rim, quíq; dixit, Beati pacifici, quoniã Dei Filij vocabũtur, Matth. 5. O virum verè pacis amantem atque perſequentem! Pelagij autem non ſolũ hæretici, ſed & hæreſiarchæ tũ nouiſſimi,

Hæretici quatenus fieri poteſt corrigendi.

D. Auguſtini candor.

nomen non ſine laude poſuit, quia vita eius à multis prædicaretur, Viri, ait, vt audio, ſācti, nō paruo profectu Chriſtiani. Et, Sicut eum, qui nouerunt, loquuntur bonum ac prædicandum virum. Et, Credo quòd ita vir tā egregiè Chriſtianus, omnino non ſentiat. Et, Attende, obſecro, vt circunſpectus vir Pelagius, &c. lib. 2. Retractat. cap. 33. De peccat. merit. & remiſſ. lib. 3. cap. 1. 3. 10. cōtra Pelagianos, quos etiam lib. 2. cap. 16. non dubitauit ſcribere caſta vita moribúſque laudabiles, & paupertatis Euangelicæ conſilium ſecutos. Quàm alienus à conuitiis, quibus hodie vtrinque ſcatemus & pugnamus, Fratres, ait, in Pſal. 65. ſi contra Iudæos olim præciſos de radice patriarcharum extollere nos non debemus, ſed timere potius & dicere Deo, Quàm timenda ſunt opera tua: quantò minus aduerſus recentia præciſionum vulnera? Præciſi ſunt anteà Iudæi, inſertæ ſunt gentes, ex inſertione præciſi ſunt hæretici, ſed neque contra eos nos extollere debemus, ne fortè præcidi mereamur, quos delectat inſultare præciſis. Rogamus vos, vt caueatis quicunque in Eccleſia eſtis, inſultare eis qui non ſunt intus, ſed orate potius vt intus ſint, Potens eſt enim Deus inſerere illos. Et alibi, Diligite homines, interficite errores, ſine ſuperbia de veritate præſumite, ſine ſæuitia pro veritate certate. Orate pro eis, quos redarguitis & conuincitis, pro qualibus Deum Propheta precatur, Imple

Pelagiani.

Hæreticis nō inſultandum ſed pro eis orādū potius.

facies eorum ignominia, & quærant nomen tuum Domine, Pſalmo 82. vt norint ſalubriter erubeſcere, ſic enim nomen Domini quærere poterunt,à quo pernicioſiſſimè auerſi ſunt,dum pro eo ſuum nomen extollunt.lib.1. contra literas Petiliani,cap.vlt.Quinetiam fratrum nomine dignatur Donatiſtas,quo tamen eum illi dedignabantur. Sic præter locos nobis Digreſſ. 26. in 2. Tim. citatos. In Pſal.32. perorans. Ad hanc maximè,vos fratres, charitatem exhortamur, in eos etiam qui foris ſunt, ſiue adhuc Paganos nondum in Chriſtum credentes, ſiue diuiſos à nobis, nobiſcum caput confitentes,& à corpore ſeparatos. Doleamus eos tanquam fratres, velint nolint, noſtros. Tunc eſſe deſinét fratres noſtri, ſi deſierint dicere,Pater noſter. Dicit de quibuſdam propheta,His qui dicunt nobis, Non eſtis fratres noſtri,dicite,Fratres noſtri eſtis,Eſa.66. Circunſpicite de quibus hoc dicere potuerit, Non de Paganis,nec enim dicimus eos fratres noſtros, ſecundum ſcripturas,& Eccleſiaſticũ loquendi morem.Fratres itẽ & ſorores ſine aliquo additamento Apoſtolus nõ intelligit niſi Chriſtianos & Chriſtianas.Qui ergo dicunt,Non eſtis fratres noſtri, Paganos nos dicunt, dicentes nos non habere quod dant.Ideò & rebaptizare nos volunt,vnde & conſequens eſt error, vt negent nos fratres eſſe ſuos. Sed quare dixit nobis propheta, Vos dicite illis, Fratres noſtri eſtis, niſi quia nos in eis agnoſcimus, quod

Fratres noſtri ſunt etiã hæretici, qui dicũt, Pater noſter, &c.

non repetimus? Illi ergo non agnoſcendo baptiſmum noſtrum,negant nos eſſe fratres: nos non repetendo ipſorum , ſed agnoſcendo noſtrum,dicimus eis, Fratres noſtri eſtis. Dicunt ij , Quid nos quæritis , aut vultis? Reſpondemus, Fratres noſtri eſtis. Dicunt, Ite à nobis, non habemus vobiſcum rationem. Nos prorſus vobiſcum rationem habemus,Vnum Chriſtum confitemur,in vno corpore, ſub vno capite eſſe debemus. Quid, ait, me quæris,ſi perij?Magna abſurditas atque væſania. Cur quærerem , niſi quia periſti? Si ergo perij , inquit, quomodò ſum frater tuus? Vt dicatur mihi de te,Frater tuus mortuus erat,& reuixit:perierat, & inuentus eſt , Luc. 15. Adiuramus ergo vos, fratres,per viſcera charitatis, cuius lacte nutrimur,pane ſolidamur,per C.D.N.per manſuetudinem eius.Tempus eſt vt impendamus in eos magnam charitatem , abundantem miſericordiam,in deprecãdo Deum pro illis,vt aliquando det eis ſenſum ſobrium,vt reſipiſcant,& videant ſe,quia non habent omnino quod contra virtutem dicant. Nec in eis remãſit niſi ſola infirmitas animoſitatis,tantò languidior,quantò ſe maiores vires habere exiſtimat. Pro infirmis ,carnaliter ſapientibus , animalibus & carnalibus,tamen pro fratribus noſtris eadem ſacramenta celebrantibus , etſi non nobiſcum eadem , tamen vnum Amen reſpondentibus, etſi non nobiſcum vnum Amen. Hortamur medullas charitatis veſtræ , fundatis ad Deum

preces pro eis. Hactenus Augustinus, prorsus iuxta Paulum, qui super eo, quem vitandum, & à cuius commercio abstinendum præceperat. Nolite tamen, inquit, vt inimicum habere, existimare, ducere, sed corripite, admonete, castigate vt fratrem, 2. Thess. 3. Proinde tametsi familiarius versari, aut interiorem cum excommunicatis habere consuetudinem, per Ecclesiasticam disciplinam minimè liceat, debemus tamen quibus modis possumus, eos ad Ecclesię vnitatem inuitare, inuitatos conuertere, & conuersos recipere.

Cùm misero ad te Artemam aut Tychicum, festina venire ad me Nicopolim: ibi enim statui hyemare. Zenam legisperitum, & Apollo solicitè præmitte, vt nihil illis desit. Discant autem & vestri bonis operibus præesse ad vsus necessarios, vt non sint infructuosi. Salutãt te qui mecũ sunt omnes. Saluta eos qui nos amant in fide. Gratia Dei cum omnibus vobis. Amen.

HAEC est huius epistolę vltima pars, siue conclusio, in qua quædam scribit familiaria, & primò quidem circa se ac discipulum disponenda. Nihil ergo vetat vbi de rebus Ecclesiasticis docuerimus, de priuatis quoq; nonnihil breuiter scriptitare: quanquam Pauli quoque quæ sequun-

tur domeſtica,è Republica ſunt. Poſtremò ſalutandis ſuo more amicis epiſtolam claudit. In huius autem exordio legimus relictũ in Creta Titum, vt quia Cretenſes nuper crediderant, recedente Paulo,& ad alias Eccleſias tranſeunte, non dimitterentur orphani, ſed haberent Apoſtolicum virum, quæ deeſſe videbantur ſuppleturum. Quia ergo poſt fundatas & alias Eccleſias neceſſarius erat Titus ædificium fundamento ſuperſtructurus,hæc interim,ait,quæ

Artemas. ſcribo,ſerua. *Cum miſero ad te Artemam.* Hunc Lyſtris epiſcopum fuiſſe teſtatur in Synopſi Tyrius Dorotheus. Facit huic cognominem alterum,multò alium Euſebius lib.7.cap.30. Pauli Samoſatenſis hæretici patrem, & Theodo-

Tychicus. retus lib.1.cap.4. *& Tychicũ*,de quo nos.2.Tim. 4. ex eodem Dorotheo & Beda. & Act. 20. Eph.6. Col.4. Pauli fuiſſe comitem, chariſſimum fratrem, comminiſtrum, & conſeruum in Domino,diaconum, nuntium, & vtriuſque ad Theſſalonicenſes epiſtolæ tabellariũ,Chalcedone pòſt in Bithynia epiſcopum, in inſula Papho repoſitum. Iuſtum ergo erat, vt qui dixerat, Solicitudo mea omnium Eccleſiarum, 2. Cor. 11. & Euangelium ab Hieroſolymis ad Illyricum vſque fundauerat, Rom.15. non pateretur ſui & Titi abſentia Cretenſes deſertos, ad eam,cuius ab eis prima pullulauerant ſemina, relabi Idololatriam. E duobus itaque qui ſecum fuerant, vnum aut alterum præmittendum,qui locum eius impleret,populúmque in

ipſius abſentia regeret. Ex quo paternum Pauli erga Cretenſes affectum probat Hieronymus, neceſſarium ei fuiſſe Titum in Euangelij miniſterium, noluiſſe tamen eum ad ſe venire, niſi prius ei ſucceſſor adueniret, cuius doctrina & ſolatio illi fouerētur, & eis interim dum Titus ad Paulum venerit alteruter prouideat. *Feſtina*, cura, ſtude, da operam, *venire ad me*, vt ad me venias, vt & alibi prædices, poſt epiſtolam datam vult eum videre, vel affectus cauſa, vel plenius eum in Eccleſiaſtica diſciplina confirmaturus, Ambroſio Græci conſentiunt. Eccuius enim alterius rei gratia, cùm tot ei Eccleſias, & tantam inſulam crediďiſſet, rurſus ad ſeipſum vocaret, quaſi ab opere incępto diuellens? Non hoc, inquit, ago, vt à cœpto te ſtudio aut miniſterio ſubmoneam, ſed vt à me inſtructior, doctior, & perfectior diſcedas, vt plus tibi proſim, & magis ad opus ac officium tuum perficiaris, à me num in eo te rectè geſſeris, & in iis quæ tibi credita ſunt, examinatus: ſed & viciſſim tui indigeo in adiutorium prædicationis. Nec ei tempus determinat, ſed locum, *Nicopolim*, iiſdem Græcis Thraciæ vrbem, Iſtro adiacentem, Macedoniæ finitimam, vnde ſcriptam hanc colligunt, quo tempore in Macedonia & Achaia verſabatur. Hieronymus eam putat quæ ab Auguſti victoria, victis ibi Antonio & Cleopatra, id nomen accepit, at eam peractam conſtat apud Actium Epiri promontorium, vnde & Actiaca paſſim vocatur, & idem

Nicopolis.

planè præfatur de Nicopoli in Actiaco litore sita,loqui Paulum ac scribere, pòst suarũ Paulæ & Eustochij possessionis parte maxima. Alexander Issum oppidum inter Ciliciam & Syriam,ob victũ ibi Darium sic vocauit.Aliam in Armenia minore, inter Euphratis & Araxis initia Pompeius,cùm Lucullo cõtra Mithridatem successisset,extruxit. Est & Bithyniæ & in Aegypto alia,non procul ab Alexandria, Iosepho lib.5.cap.14.ob victos ibi Antonianos ab eodem Cæsare,summè culta. Ex Strabone lib. 7.10.12.14.17. Ptolom. lib. 3. cap. 11.14. lib.5. cap.7.8.Plin.lib.5.cap.vlt.Bithynicę meminit, & lib.6.cap.9. alîus in Armenia maiore. Horum primus Apostolo nostro contemporaneus Epiroticam Nicopolim suo tẽpore testis est,egregia incolarũ multitudine abundauisse, in dies multiplicatam,latos fines habuisse, hostilibus ornatam spoliis, templo, luco sacro, gymnasio,studio, ludis quinquennalibus celebrem, vicinis vicis & locis eius iuri attributis. Iosephus lib.16.Antiquit.cap.9.Nicopolitanis ad Actium maiorem partem publicorum operum Herodem suis impendiis perfecisse autor est.Meminit & hui⁹ in Europa Pius II. cap.14. Pompeianæ in Asia,cap.44.In Actiaca inuentam ab Origene ex pluribus Bibliorum trãslationibus vnam scripserunt,Eusebius lib.6.cap. 17.Nicephor.lib.5.cap.11.Nec omittam,quando semel cœpi,& in Palęstina Nicopolim,à simili,vt superiores,euentu,post deuictos à Ro-

manis Iudæos, cùm anteà vicus eſſet nomine Emmaus,Luc.24.de qua ibidem, vita comite, & ſiquidem Dominus dederit.Ex Hieronymo in epitaphio Paulæ,in Iulio Africano, ad Ezec. 48. Dan.8.11. Abd.1.Sozomen. libr.5.cap.21. Nicephor.lib.10. cap.31. Tripartit. lib. 6. cap. 42. Beda,de mundi ætatibus,in M. Aurel. Anton.Imp.&c. Redeo ad textum. Eò igitur diſcipulum magiſter euocat, & cauſificatur, *ibi enim ſtatui hyemare*, aliquantũ ibi temporis ſpatium manere propoſuerat, non ergo vt illum ſecum circunduceret,aut vbique comitem haberet,ideò ad ſe vocabat. Ibi igitur quòd Apoſtolus hyemauit,non leue argumentum eſt, & in Epyro,& locis iuxtà adiacẽtibus eum Euangelium prædicauiſſe. Sequitur,*Zenam legiſperitum*, νομικὸν, legis doctorẽ legit Hieronymus: quis autem fuerit, de alio ſcripturæ loco dici non poſſe,niſi hoc tantùm, quòd & Apoſtolicus vir fuerit, & idem operis quod & qui præcedunt & ſequuntur,exercuerit,Chriſti vtique Eccleſias extruendi. Ambroſius, ſic appellari, quòd huius in Synagoga profeſſionis fuerit, ſiue,quod Aquinas,hanc in Iudaiſmo dignitatẽ habuerit.Subſcribunt & Græci, legis quidem, ſed Iudaicæ,peritũ hoc loco dici,nõ verò quòd nihil aliena eidẽ inſtructione foret opus.Sic enim paſſim vocãtur in Euãgeliis Legiſperiti, in dubiè Moſaicę,νομικοὶ,Mat.22. Luc.7.10.11.14. Bruno mauult vel ſcripturæ diuinæ,vel ſecularis peritũ, Quid enim aliud quàm hîc diuines?

Emmaus, vicus.

Et hunc Diospoli facit episcopum Dorotheus,
Apollos. vt & Cæsariæ, qui sequitur, *Apollo*, Sedulio, Anselmo, Aquinati, post Hieronymum, prius Corinthiorum, Luca teste, Act. 18. virum ex Iudæis Alexandrinum genere, eloquentem valde, ac in scripturis potentem, Domini viam edoctum, & quæ sint eius, loquentem ac diligenter docentem, spiritu feruentem: Sed cùm Ioannis tantùm baptisma nosset, & liberè ac cum fiducia in Synagoga loqueretur & ageret, hunc Priscilla & Aquila asciuerunt, & diligentius ei Dei viam exposuerunt, sic vt in Achaiam profectus, discipulis vt eum susciperent, cõmendatus à fratribus, multùm his conferret qui crediderant, vehementer Iudæos publicè reuincens, & per scripturas ostendens IESVM esse CHRISTVM. Hunc ergo tantum talémque virum, Ambrosio in lege perfectum, putant iidem qui suprà, & Lyrensis, propter eas quæ Corinthi erant dissensiones aduersus eum per pseudapostolos concitatæ, ita vt dicerent, Ego sum Pauli, Apollo, Cephæ, Christi, 1. Cor. 1. 3. 4. ad vicinam insulam Cretam, & Titum Cretensem episcopum, cum Zena socio trãsfretasse, & dissensionibus Pauli epistola temperatis ac sedatis, Corinthum reuertisse. Aliquandiu certè suis fuisse suboffen sum coniicere est, ex eo quod eis scribit Apostolus cap. 16. multùm se illum hortatum precatúmq;, vt ad eos veniret cum fratribus, tunc noluisse: venturum, cùm ei vacaret, & commodum

dum ac opportunum foret. Hos ergo, cùm nobiles essent sapientia & operibus, & secundum Græcos & Aquinatem, nondum eis Ecclesiæ fuissent commissæ, aut vlla credita regiminis Ecclesiastici cura, Titi modò erant comites, hos, ait, *solicitè præmitte*, imò studiosè deducito, ac sedulò prosequere, quod officium solemus hospitibus exhibere, sic *vt nihil illis desit*, Mandat Tito, vt priusquam ad se veniret, eos decenter ac bene procuratos remitti ac deduci, iubens eis ab his qui crediderant, sumptus necessarios dari, eósque refrigerari: quia dignum erat, vt qui spiritalia tradebant, non eis deessent carnalia, Rom. 15. 1. Cor. 9. vt nihil perdant de fructu tardantes, sed vberiore doctrina perfruantur. Cura, vt quibus opus habent, ea ipsis subministrentur, ne qua re destituantur, abundè illis prouide victum ac vestitum. Et de alimẽtis enim hîc agi Græcis Latini consentiunt, vt quoniam de Creta in Græciam adnauigaturi erant, ea quæ ad viaticum sunt necessaria, eos habere faciat, non sitarciis indigere, vt Hieronymus, aut qui minus eum forsan intellexit, marsupiis. Est autem, obiter, vtrumque Græcum, *σιταρχία*, Polybio lib. 5. Philosopho Oeconomic. 2. militaris annona, commeatus, frumenti diuisio seu frumentatio, *μαρσύπιον*, saccus nummarius, in quo numi reconduntur. Sequitur, *Discant autem & vestri*, Græcis, Hieronymo item & Ambrosio, nostri, sed siue secunda persona, Cretenses vobis sub-

Necessaria verbi prædicatorib⁹ suppeditabãtur à fidelibus auditoribus.

diti, habes, ait, in discipulos potestatem, siue prima, vt suos vocet qui in Christo crediderant, qui quia Christi erant, rectè & Pauli & Titi appellari merebãtur, est occultæ, quæ suboriri poterat, quæstionis & responsionis solutio, vt non tam Titus, quàm quicunque epistolæ lector hoc diceret: Et vnde Tito, vt viaticum non habentibus largiretur? Soluit, & quasi nihil sibi opponatur, elidit, q.d. Si non habes, vel si quæris vnde hæc accipias, prouideãt quos ego ad Christum conuerti, & tibi diuinis instruendos reliqui. Doce, imò doceamus & nostros quoque fideles ex gentibus, sicut ex Iudæis, & alij de Asia cõuersi faciunt, qui suis prędicatoribus, & aliis indigentibus prouident, *bonis operibus praeesse*, vel sibiipsis, de die in diem, vt sic cum Brunone loquar, meliorando, vel illos, Iudæos scilicet & Asiaticos excellere, & fratribus aliis rectè factis præire ac præuenire, vt sit eius quod paulò antè dixit, repetitio. Curent bonis operibus præesse, qui credunt, q.d. Potuissem & aliter eis prouidere, ne vlla re indigerent, velim tamen, vt qui apud te sunt, ex iis quæ illis præmittendis deducendísque suppeditaueris, & quòd eos rebus ad iter necessariis instruxeris, addiscant in bonis erga proximos meritis exerceri, & aliis prælucere, *ad vsus necessarios*, siue doctrina eis, siue eleemosyna & humanitate opus fuerit, rationem indigentium habentes, verbis, pecuniis, & quibusvis modis eis succurrere, eósque fouere, nec in quibus-

cunque tamen causis ministrare, sed in vsibus necessariis, habentes quippè victum atque vestimentum, his contenti simus, 1. Tim. 6. & qui altari seruiunt, de altari viuant, & qui participes spiritualium nostrorum facti sunt, debent nobis sua communicare temporalia, vbi paulò suprà. *Vt non sint infructuosi*, vel sibi, Dominum sic multimodè demerētes, vel doctoribus suis, eis necessaria modò, non quælibet aut superflua ministrando, Laborantem enim agricolam oportet primum de fructibus accipere, 2. Tim. 2. Et, Quis plantat vineam, & de fructibus eius non edit? & debet qui arat aut triturat, in spe id agere fructus percipiendi, 1. Cor. 9. Conuenit ergo eos quibus diuina docēdi munus creditum est, fructus huiusmodi ferre, de quibus Salomon, citante Hieronymo, fructus verò eleemosyna, Prou. 3. & Paulus primum spiritus fructum charitatem vocat, Gal. 5. quæ in communicatione & ministerio vel maximè comprobatur. Ergo ne forsitan vel Pauli epistolam, vel Titi præceptum contemnerent, infructuosos vocat, quicunque viris Apostolicis, & Christum euangelizantibus non ministrant, quibus necessaria nolle tribuere, sterilitatis est seipsum condemnare. Si enim populus, Dei vinea est, fructum ferre debet, non spiritualem tantùm, sed & temporalem, quo qui plantant atque rigant. 1. Cor. 3. sustententur, & qui verbo catechizatur seu docetur, catechistæ in bonis omnibus cōmunicet. Gal. 6.

Necessaria modò petebant verbi præcones.

Charitas, primus fructus spiritus.

Infructuosi auditores, qui sint.

quia qui parcè seminat, parcè & metet, 2. Cor. 9. & qui libenter ac benignè largitur, copiosè colliget. Aliàs infructuosus futurus, & vt arbor fructum bonum non faciens, excidendus & in ignem mittendus, Matth. 3. 7. Luc. 3. At Græci de fructum hunc dantibus magis quàm accipientibus exponunt, quasi suo more Paulus, hîc vt vbique, illis quàm his potius consultum velit, nec tam vt ministri aut pauperes accipiendo lucrum inde faciant, quàm vt fideles eis dando, ex ea, qua in proximos vsi fuerint, humanitate commodum capiant, ac fructum referant. Poterat Dominus, qui ex paucis panibus & pisciculis tot hominum milia non semel refecerat, & seipsum & discipulos sic semper alere, sed maluit à mulieribus ali & victum capere, Luc. 8. vt & eæ inde proficerent, & fructum consequerentur. Poterat & Apostolus eius, qui manuum suarum ministerio sibi suisque necessaria suppeditabat, idem faciendi & aliis exemplo suo necessitatem imponere, at ab aliis contrà & exigit, & accipit, & suo quoque exemplo idem exigendi accipiendique potestatem posteris fecit, 1. Cor. 9. sed audi, quare ad Phil. 4. qui ei in ratione dati & accepti siue expensorum communicauerant, & quæ illi opus fuerant, bis miserant, Non quia, inquit, quæro datum, donum, munus, sed requiro fructum exuberantem in rationem vestram, hoc est, Euangelij profectum, quæ res vobis sit vtilissima. Idem de eleemosyna &

Christus cur non se miraculo aluit & suos.

beneficentia dici poteſt, non tantam eam accipientibus, quantam & facientibus vtilitatem afferre. Peccatis enim reſiſtit, extinguit, expiat, Eccleſiaſtici 3. Dan. 4. redimit. Tob. 4. & 12. liberat ab omni peccato & morte, nec patitur in tenebras ire, facit inuenire miſericordiam, & vitam æternam, Magna coram ſummo Deo fiducia, Eleemoſyna omnibus eam facientibus. Conſequenter & poſtremò ſalutat Titum Paulus, primùm ex parte filiorum, ſiue ſociorum: ſecundò rogat & alios ſalutari, tertiò ſalutem ſuam ponit, *Salutant te qui mecum ſunt, omnes*, Salutem dicunt, & tibi præcantur comites mei, Omnes propter compendium & breuitatis cauſa, tacitis nominibus, conſalutatores, vel ſolita conſuetudine vſus, vel propriè in Titum, cuius magna laus per Paulum ab omnibus ſalutari, quódque talis eſſet, vt amorem omnium qui cum Paulo erant, mereretur. Illi ergo te, ait, ſalutant. Tu quoque ex noſtra parte *Saluta eos qui nos amant ex fide*, vel vniuerſaliter apud Cretam fideles, ſeu Chriſtianos, vel ſalutatione dignos videri vult, qui fideliter, non fictè, & affectu Chriſti, fideíque cauſa, non aut carnis, aut ſanguinis. Si enim omnis qui amat, in fide amaret, nec eſſent qui abſque fide diligerent, fidem ad amorem non appoſuiſſet. Amant & quædam matres filios, vel pro eis emori paratæ, ſed interdum non in fide, Et vxores maritos, frequenter & eis immortuæ, ſed amor hic interim

Eleemoſyna vtilitas.

Amor ex fide, qui ſit.

non est fidei. Sola sanctorum dilectio in fide diligit & charitate, etiam infideles & inimicos, sed ea intentione vt fideles fiant, & sic amici, iuxta illud, Omnia vestra in fide & charitate fiant, quia credit in eum, qui pro eius mandati expletione mercedem retributurum se pollicitus est. Veritatis igitur magister non vult aliter amari, quàm ex solo pietatis instituto. *Gratia Dei cum omnibus vobis*, supple, sit, aut adsit. Hieronymus admonet, nec Dei in Græcis codicibus, nec Domini nostri haberi in libris authenticis. Nunc generaliter salutat omnes fratres & Titi domesticos, nec vni scribit propter ipsius tantùm vtilitatem, sed propter totam Ecclesiam in commune sanctis atque credentibus. Et sicut patriarchæ benedicebant filios, Gene. 27. 49. Deut. 33. Et Apostoli quocunque ingredientes, pacẽ optabant super dignos requieturam, ab indignis ad illos reuersuram, Matt. Luc. 10. Ita nunc & Paulus in fine Epistolæ, gratiam imprecatur, quæ cum voto effectum habebat, & in credentium erat potestate, si talem se benedictus, qualem benedicens præbere voluisset. Est autem gratia bonorum omnium principium, vitæ beatæ arra, q. d. Velim, aut comprecor & exopto, vt Dei donũ, & qua indigemus omnes, Rom. 3. vobiscum semper maneat, animásque vestras & corpora perpetuò tueatur, conseruet, ac custodiat. *Amen*, verè, siue fideliter. Ad Titum quidem primum Ecclesiæ

Gratia, vitæ beata arra.

Cretensium episcopum ordinatum, scripsisse Paulum hæc è Nicopoli Macedoniæ oppido Græci monent, nobis autem omnibus profectam ex iis vtilitatem præbere. His enim thesauris vt communibus fruimur, Vtinam & nos seruare possimus quæ collecta sunt, in Christo Domino, cum quo Deo Patri vnà cum S. Spiritu omnis honor & gloria.



D. ÆGIDIO BVRDINO IN AMPLISSIMO SENATV Parisiensi procuratori Regio, V.C. S.P.

CVM in hac Vrbe ante annos plus minus decem, loco scilicet atque tempore valde alieno, negotium mihi exhibitum esset, quo vti me explicarem, opera mihi tua, id est, autoritate Regia fuit opus. Collegi raptim carptímque, quæ tum mihi super eius negotij argumento in mentem venerunt, nihil minus quàm de illis in lucem vnquam edendis tunc cogitans. Nunc verò pro ea quàm ad superius argumentũ habẽt, vicinia, quod tum verè parturij, iam demum pario, edo, tibíque V.C. nuncupo, vt cuius patrocinio collector tunc in tuto fuit, eiusdem quoque nomine collectaneum publicè securum obambulet. Erit autem publicum quóque testimonium, quàm reculus studiolísque meis propitium semper te senserim, quámque eius, quo in bonis sacrísque literis & diu & senex fruor, ignobilis quidem, sed otij dulcissimi, & sum & ero, dum viuã, reliquator tibi non ingratus. Nã quò votis hoc magis omnibus vnum à Domino semper ex-

petiui, sempérque magis atque magis hoc ̃nū requiram, tantò plus tibi gratiæ & debeo & habeo: In qua, prout atque deberem, habenda quominus prolixus sim, quod scripsit Flaccus ad principem, non immeritò apud te, diligentissime principis procurator, excusem,
Cùm tot sustineas & tãta negotia solus,
in publica commoda peccem, Si longo sermone morer. *Incolumem ergo Christianissimo Regi, Regno & Reipublicæ nostræ diu te conseruet Altissimus. Lutetiæ, ex ædibus Rhemæis Calẽdis, Maij.*
Anno Domini
1567.



Appendix ad superiorem hæreseologiam, eodem Claud. Espenc. collectore.

DE legẽdis hæreticis, quatenus & à quibus legi possint aut debeãt, expressus est Ecclesiæ canon 16. Carthaginensis Concilij 4. Dist. 37. ca. Episcopus hæreticorum libros pro necessitate & tempore legat. De quo multò anterior Dionysius Alexãdrinus episcopus ad Philemonem Rom. Presbyterum sic scripsit, Ego hæreticorũ tractatus lego, & traditiones perscrutor, etiãsi videar ad horam verbis eorum pollui: Sed multum mihi hoc ipsum confert, quando ex ipsorum verbis eos arguere atque repellere facilius possim, magis etiam ac magis execrer atque detester. Denique cum à quodã fratre sympresbytero prohiberer, verito, ne taliũ lectione, tãquam cæni alicuius fœtore, pollucrer, visio mihi diuinitus oblata est, & vox exhibita, quæ me confirmauit, huiusmodi. Disertè enim & clarè mãdauit, dicens, Legito omnia quæcunque in manus tibi venerĩt. Disquirere enim & explorare potes omnia, & hæc tibi fidei ab initio amplectendæ causa fuit. Hãc visionem accepi vt Apostolicæ voci congruentem, quæ firmioribus dicit, Esto te probati spectatiq; trapezitæ. Ita Niceph. lib. 6. cap. 8. Vetus Eusebij interpres Ruffinus libr. 7. ca. 6. allusum ad id putauit. Omnia probate, siue legite, quæ bona sũt, tenete. 1. Thess. 5. Recens cap. 7. ad id. 1. Petr. 4. Sicut probati dispensatores. Ambr. initio præfationis in Lucam, de

Dionysius episcopus Alexandrinus.

Visio diuinitus oblata super hæreticorũ libris.

pſeudeuãgeliis hęret. legim⁹ aliqua, ne legãtur, legimus ne ignorem⁹, legimus nõ vt teneam⁹, ſed vt repudiem⁹, & ſciamus qualia ſunt, in quibus magnifici iſti cor exaltãt ſuũ. Et de fide ad Grat. Aug. li. 1. ca. 8. Patres noſtri ſuis etiã decretis ſacrilega dogmata ideo ĩſerẽda putauere, vt Arij perfidia ſe proderet, ne quaſi fucis & coloribus illita velaretur, fucũ enim faciũt, qui non audẽt explicare, quod ſentiunt cenſorie. Auguſtini matri epiſcopus quidam in eccleſia nutritus, & in Dei libris exercitatus, roganti vt filij errores refelleret, mala dedoceret, bona doceret, prudenter reſpõdit, Sine illũ ibi, tantũ roga pro eo Dominũ, ipſe legẽdo reperiet, quis ille ſit error, & quanta impietas. Ego quoque, ait, paruulus à ſeducta matre Manichæis datus, omnes pene non tantum legi, ſed & ſcriptitaui eorum libros, mihíq; apparuit nullo contrà diſputãte & cõuincẽte, quàm fugiẽda ſecta eſſet, ideóque fugi. Reſtituto diacono cuidam epiſt. 69. Lege (ait) Tychoniũ Donatiſtã, nõ omnia quidẽ probaturus, Nã quæ in eo cauẽda ſũt bene noſti, cuius etiã quem regularum is vocauit librũ, non tantũ non dedignatur tantus doctor ſequi, & legendũ ſtudioſis cõſulere, quia plurimũ adiuuet ad ſcripturas intelligẽdas, nõ vt de illo tantũ ſperetur, quãtũ nõ habet, cautè, ait, ſanè legẽdus eſt, non ob quædam ſolũ in quibus vt homo errauit, ſed ob illa maximè, quæ vt hæreticus loquitur, & illic inuenitur abſurdiſſimi cordis, vbi Donatiſtas, in quos inuectiſſimè

Matri D. Auguſtini pro ipſo ſolicita prudenter reſpõſum.

Regularum liber.

ſcripſerat, nō omni ex parte reliquerat. De doctr. Chriſt. lib. 3. cap. 30. Et quidni hæreticos legeret S. Auguſt. ad quos etiā priuatī ſcribebat? Nam epiſt. 162. Donatiſtarum epiſcopis ſcribit ſe ad nonnullos eorum primarios ſcripſiſſe literas, non quidem cōmunicatorias, quas iam olim ob ſuam peruerſitatem ab vnitate catholica toto orbe diffuſa non accipiunt, ſed tales priuatas, qualibus etiam ad paganos vti licet, Et adeo non abhorruit à legendis eorum reſponſis, vt queratur literis ſuis, quas aliquando illi legerant, Reſpondere eos vel noluiſſe, vel vt magis creditur, nequiuiſſe, ſe ſatis interim charitatis officium impleuiſſe viſum, quam nō ſolùm noſtris, ſed omnibus nos debere docet Apoſtolus. Quos etiam vir mitiſſimus Dominos dilectiſſimos, & fratres merito prædicandos ſalutat, vt & alibi Madaurenſes Idololatras, quorum epiſtolam acceperat, Dominos prædicabiles, & dilectiſſimos fratres vocat, Epiſtola 42. En ſuper hæreticorum etiam literis obiter, nedum libris, Latinorum Orthodoxorum iudicium: Quibuſcum Gręci itidem catholici ſentiunt, Ita Baſilius Magnus, & Nazianzenus Theologus, autore in huius vita Gregorio Preſbytero, Per omnes tam meliores quàm deteriores (vt dici ſolet) diſciplinarū ſemitas gradiebātur, quo quædam declinare, alia cum prudentia eligere poſſent, Siquidem laudandum qui dixit, ignominioſum non eſſe etiam, quod minus bonum ſit, cognoſcere, nimirum ex quo

Auguſtinus Donatiſtis literas ſcribebat.

Auguſtini modeſtia erga hæreticos.

remedium iis contingere soleat, qui beneuolè, non odiosè, quæ dicũtur excipiunt. Et huc spectat eiusdem Basilij, ad Letoium Melitensem episcopum similitudo, Medicinæ studiosis medicæ artis magistros venena omnia & noxia quæque ac morbifica non ideo discēda proponere, vt eos vti hortentur, nec vt rerum nocētium notione ad malitiam instructiores & acutiores, pro medicis humanæ vitæ corruptores euadant, & pro medicinis pestes atque pernicies innotescant, sed toxica naturalis nostræ facultatis corruptoria & perēptoria edocti, contrariis medicamentorum compositionibus oppositis præcaueant, corpora præseruent, quæq; eis accidunt, arte atque disciplina tollant. Sic Origenes, Homil. 3. ad id Exod. 4. Domini ad Mosem, Aperiam os tuum, & instruam quæ te loqui oporteat, Deus non Moysi tantùm, sed & Aarō fratri, & prophetis os, labia, linguam aperit, dilatat, ac eloquio suo replet, Dauidi Psal. 50. 80. Esaiæ 50. vt sciant tempore suo loqui verbum, Paulo Eph. 6. Et quotquot Dei verba loquuntur. Mendacium contrà, falsorum testium, scurrarum, turpiloquorum, susurronum, detractorum, otiosa proferentium, multò autē magis iniquitatem in excelsa loquentiũ, vt Dominum in carne venisse negantiũ, aut Spiritum sanctum blasphemantium, quis dubitet quòd talium ora Diabolus aperiat? Nō paruæ itaque gratiæ intelligere os quod Deus, quodvè Diabolus aperiat, non est sine Spiritussancti gratia

Venenorum natura cur medicis perscrutanda.

Deus ora præconũ suorum aperit.

Diabolus quorum ora aperiat.

os huiusmodi discernere: Ideóque in diuisionibus spiritalium gratiarum additur spirituum discretio, 1. Cor. 12. De qua 1. Ioan. 4. Probate spiritus, si ex Deo sint. Vt autem sanctorum ora, sic & aures ad audienda diuina verba Dominus aperit Esaiæ, vbi paulò antè, & oculos quoque Agar, Gene. 21. Elisæi puero, 4. Reg. 6. Et os ergo, & oculos, & aures aperit, vt loquamur, cernamus, audiamus quæ Dei sunt. Sed non otiosè accipio quod Esaias propheta antè dicit, Eruditio Domini aperuit mihi aurem, vt sciam quando oporteat dici, aut etiam audiri verbum. Quod mihi videtur ad nos, id est, ad omnem Dei Ecclesiam pertinere, Quæ enim in Domini disciplina versatur, & per Domini eruditionem aperitur, non semper aperta est, sed & aliquando clausa. Audi legislatorem dicentem, Ne respexeris (fortè receperis) auditum vanum, Exod. 23. Si quando vana, inania, inepta, turpia, profana, scelesta dicuntur, qui nouit Domini eruditionem, claudit aures, auertit auditum, & sicut surdus, & sicut mutus os suum non aperit, Psalmo 37. Sin ad vtilitatem animæ quæ proferuntur, pertinent, si de Deo sermo est, si mores docet, virtutes inuitat, vitia resecat, huiusmodi eloquiis patêre debent non aures modo, sed & cor, mens, totáque ad talem auditum animæ ianua pandenda est. Summa autem præcepti moderatione lex vtitur, vt non dicat (non audies) sed non suscipies auditionem vanam: Nam & vana frequenter

Discretio spirituum.

Aurium apertio.

Oculorum apertio.

Aures ad qua clauden da.

Non audire & non suscipere differũt

audimus, Quæ Marcion, Valentinus, & quicunque contra creatorem Deum loquuntur, vana ſunt, ea tamen nos audimus, vt aduerſum ea reſpódere poſſimus, ne fortè ſubrepant ſimplicioribus quibuſque fratrum per ſermonis ornatum, Audimus ergo hæc, ſed non recipimus, dicta enim ſunt de ore quod Diabolus aperuit, Ideóque orandum, vt dignetur Dominus aperire os noſtrum, vt poſſimus contradicentes reuincere, Tit. 1. & ora quæ Diabolus aperit, obturare. Æquè tum prolixa, tum clara allegoria idem oſtendit, Homil. 9. In Numer. 16. Apud Deum nihil inutile, vel otioſum intelligi datur, ſed quæ hominibus alienanda videntur & abiicienda, aliquid operis neceſſarij habere inueniuntur, hunc intellectum ſuggerit lectio, quæ de batillis Chore, reliquorúmque qui cum eo peccauerunt, & combuſti ſunt, commemorat, quod ne hæc quidem iubet abiici Deus, ſed fieri ex eis laminas ductiles, & inde altare circundari: Manifeſtè alicubi dicit Dominus, Non ſunt cōſilia mea ſicut conſilia veſtra, nec cogitationes meæ ſicut cogitationes veſtræ, Eſa. 55. Si apud homines hodie hæc cauſa, & apud Eccleſiarum principes haberetur examen de iis qui V. G. diuerſa ab eccleſiis docentes, diuinæ vindictæ pertulerint vltionem, nonne iudicarét ſi quid locuti ſunt, docuerunt, aut ſcriptum etiam reliquerunt, vniuerſa pariter cū ipſorum deperire cineribus? Sed non ſunt iudicia Dei ſicut iudicia noſtra,

Batillorum Chore & ſociorum ſeruatorum myſterium.

Iudicia Dei à noſtris multùm diuerſa.

Audi enim quomodo de batillis corũ, qui con tra Dei prophetam insurrexerant, circuli fieri iubẽtur, & in altaris affigi circuitu, Chore figuram eorum tenent, qui cõtra ecclesiasticam fidem, & veritatis doctrinam insurgunt, Is ergo cum suo cętu in batillis æreis ignis alieni obtu lit incensum, & iubetur quidem ignis alienus dispergi & effundi, ex batillis autem quia sanctificatis, & corã Domino oblatis, laminas ductas altari apponi: hæc autem batilla scripturæ diuinæ figuram tenent, cui hæretici sensum & intelligentiam à Deo alienã, atque veritati con trariam introducentes, velut alienum imponẽtes incensum, Domino execrabile, non suaue offerunt, forma ecclesiarum sacerdotibus data, vt si quãdo tale quid fuerit exortum, ea quidem quæ à veritate aliena sunt, ab ecclesia penitus abstrudant, Sed si qua in hæreticorũ verbis diuinæ scripturæ sensibus inueniũtur inserta, ne pariter cum his quæ fidei sunt contraria respuantur, Sanctificata enim sunt quæ de diui na scriptura proferuntur, & Domino oblata: Sed alio adhuc modo intelligi potest, quod de peccatorũ batillis præcipitur, vt altari iungantur ac socientur, quod enim ęrea dicuntur, non videtur otiosum, Nam vbi vera fides est, & integra verbi Dei prædicatio, aut argentea dicun tur, aut aurea, vt auri fulgor fidei declaret puritatem, & aurum igne probatum eloquia exami nata significet, Psal. 11. ærea autem in vocis tan tùm sono consistunt, non in spiritus virtute, & sunt

Aurea quæ intelligantur in sac. scriptura, quæ item argẽtea & quæ ærea.

ſunt tanquam æramentum ſonans,aut cymbalum tinniens,1.Cor.13.Batilla ergo ærea,id eſt hæreticorum voces,ſi adhibeamus ad Dei altare,vbi diuinus ignis eſt, vbi vera fidei prædicatio , melius veritas ex falſorum comparatione fulgebit. Si enim ponam dicta Marcionis V. G.Baſilidis,aut alterius cuiuſuis hęretici,eáque veritatis ſermonibus, ac diuinarum ſcripturarum teſtimoniis, velut diuini altaris igne confutem, nonne euidentior eorum ex cōparatione apparebit impietas? Nam ſi doctrina Eccleſiaſtica ſimplex eſſet,nec vllis intrinſecus hæreticorum dogmatum aſſertionibus cingeretur, nō poterat tam clara & examinata videri fides noſtra,ſed idcirco doctrinam catholicam contradicentium obſidet oppugnatio,vt fides noſtra exercitiis elimetur,non otio torpeſcat. Oportet (ait Apoſtolus 1.Cor.11.) hæreſes eſſe, vt probati quíque manifeſti fiāt inter vos, hoc eſt dicere,Oportet hæreticorum batillis altare circundari, vt certa & manifeſta omnibus fiat fidelium & infidelium differentia, Cùm enim fides Eccleſiaſtica velut aurū cœperit refulgere,& prædicatio eius vt argentum igne probatum intuentibus reſplenduerit,tunc maiore cū turpitudine hæreticorum voces obſcuri æris vilitate ſordebunt,Quæ enim bona ſunt,bona eſſe ex deteriorum magis comparatione noſcuntur. Et quis bonam eſſe lucem ſciret, niſi noctis tenebras ſentiret, quis mellis dulcedinem noſceret, niſi amaritudinis guſtum acce-

Hæreſes cur in Eccleſia neceſſaria.

Bona, deteriorum comparatione magis eluceſcunt.

pisset? Diabolum denique & obluctātes aduersum nos contrarias potestates si auferas, animi virtutes sine colluctante non poterunt enitescere, Sic & fidelium ergo sacerdotū gloria nō poterit resplendere, nisi eam infidelium reprobatio & pœna commendet. Sed & ex iis quæ legimus, singuli quique iustorum magis ex cęterorum collatione clari apud Deū habiti sunt, vt Noë iustus quidem & perfectus, non ex integro, sed in generatione sua pronunciatur, Gene.6. Loth, quanto Sodomitæ quotidie deteriores fiebant, tāto iustior apparebat, Gene.19. Caleb & Iannes (vel potius Iosue) bona nunciantibus, & populum in proposito permanere hortātibus immortale à Domino meritum contulit non tam sua cōfessio, quàm sodalium formido, qui meticulosis sermonibus desperationem popularibus incusserant, nec tam magnificè in duobus animi virtus inclaruisset, nisi reliquorum decē turpis ignauia patuisset, Numer.13. Hæc de batillis eorum qui condemnati sunt, quæ altari iubentur affigi, quod ex inferiorum comparatione iusti clariores appareant, Hæc vnus tam multa Origenes. Qui etiam de se scribit, quod cùm ad eum hæretici quoque quamplurimi vel percontandū vel impugnandum ventitarent, visum sibi eorū dogmata diligenter perscrutari, ne ad eos conuincendos, si quæ apud eos essent, ignoraret, imparatior inueniretur, Euseb.lib.6.ca.15. Nicephor.li.5.ca. 13. De cuius tamen libris nō minores quàm de

Virtus sine colluctante non enitescit

Iustus per cōparationem vt intelligatur quis.

dogmatibus turbas excitauit antiquitas, vt quo nemo melius vbi bene, nemo peius, vbi malè, scripserit. Sed multa sanè non sana, adeóq; manifestè insana licet effutierit, lectũ tamen semper magno cũ fructu etiã à catholicis, vel hinc constat, quòd D. Athanasius clara voce hũc virum in Nicenæ fidei testẽ in libris suis contra Arianos, diu antea mortuum velut excitauit, & vti præterquã quod in eius operibus extat, obiecit Epiphanio sanctissimus vir Theotim' Scythiæ episcopus. Quin & Basil. & Naziãzenus, cũ in eius libris se exercuissent, & inde sacrarum literarum sententiam didicissent, multum per id temporis emoluméti Synodi Nicenæ sectatoribus contulerunt, Arianis strenuè restiterunt, eósque Origenis scripta ad dogma suum probandum afferentes refellerunt, non satis illius sententiam assecutos ostẽdentes, Socrat. lib. 4. cap. 26. Sozomen. lib. 6. cap. 17. Nicephor. lib. 11. cap. 17. Quem etiã tam multi Latini Orthodoxi Græcè periti transferendo suum fecerũt, Hilarius, Victorinus, Ambrosius, & cæteri catholici (vt omittam Didymum, Eusebium, & alios Origenis assertores) quorum se exemplo Hieronymus eiusdem mirator, laudator, & interpres defendit, Augustinus quod Græcè minus nosset, translatum cupiebat ita Hieronymo scribens, Epist. 8. Petimus & nobiscũ petit omnis Africanarũ Ecclesiarum studiosa societas, vt interpretandis eorum libris qui Græcè scripturas nostras quàm optimè tractauerunt,

Origenis elogium.

Augustinus non satis græcè doctus.

curam & operam impendere non grauueris,potes enim efficere vt nos quoque habeamus tales viros, & vnum potissimum quem tu libentius in tuis literis sonas, Origenem indubiè, cuius ingenium immortale, incredibile studium, indefatigabilem legendi scribendíque instantiam toties miratur, & commendat Diuus Hieronymus, quem cunctis idem placere prudentibus; quem omnes in cæteris vincere, qué denique alterũ post Apostolos Ecclesiarum magistrum, neminem nisi imperitum, negare, scribere non dubitauit, licet, vt excusare videtur adhuc adulescentulus, & iuxta Didymi sententiam, quem & ipsum præceptorem suum, prophetam videntem, & virum Apostolicum in suis idem literis nominauit. Ob quàm immodicas Origenis laudes (quas cùm passim apud Hieronymum, tum ad Tit.3.cap. Ad Marcellã, Item in epistolis, ad Paulam & Eustochiũ, prologo lib.2. super Micheam, præfationibus in Mosem, Iosue, Paraleipomena, Cãtica, Ezechielem, & Hebraica nomina, & alibi legere est) cũ quidam virum etiam tantum in falsis & impiis dogmatibus ὀριγενίζειν suspicarentur, vel calumniarentur potius, quæ is pro sua Origenicorum voluminum lectione, versione, imitatione, compilatione respondit, in rẽ valde præsentem sunt, quatenus catholicis hæreticorum mentio, etiam interdum cum laude non tantũ librí liceãt. Amicis ergo Pammachio & Oceano extimulantibus, vt se ab hominum suspi-

Augustini & Hieronymi testimonium de Origene.

cionibus & calumniis purgaret,& ab Origenistarum erroribus alienum ostenderet,rescribit Origenis doctrinam se, nō dogmata laudasse, Laudaui (inquiens) interpretem,non dogmatisten,ingenium,nō fidem,philosophum, non Apostolum , eius tamen dogmatibus semper cōtraiui,Quæ enim stulticia est sic alicuius laudare doctrinam , vt sequaris & blasphemiam? B.Cyprianus Tertulliano magistro vtitur,eruditi ardētísque viri delectatur ingenio ; non etiam cum eo Mōtanum sequitur,nec bonis aduersariorum (si honestum quid habuerint) detrahendum,nec amicorum laudanda vitia; sed vnumquodque rerum , non personarum pondere iudicandum. Apollinarium frequenter audiui & colui,& cùm me in sanctis scripturis erudiret , nunquam contentiosum illius super sensu (dimidiatam scilicet œconomiam introducentis,hoc est,mentē Christo auferētis) dogma suscepi, fortissima & egregia cōtra Porphyriū volumina scripsit,probo laborē viri,licet fatuum in plerisque dogma contēnam. Quod autem opponūt cōgregasse me libros Origenis, super cunctos homines, vtinam omniū tractatorum haberem volumina, vt tarditatē ingenij lectionis diligentia compensarem, Cōgregaui libros eius (fateor) & ideo errores nō sequor, quia scio vniuersa quæ scripsit: Credite experto,venenata sunt eius dogmata,à scripturis sanctis aliena,&vim eis facientia.Legi,inquā,legi Origenem,& si in legendo crimē est,fateor,&

Origenis doctrina non dogmata laudata.

Cypr. Tertullianū admiratus.

Tertulliani laus & ingenium.

Apollinarij ingenium & fatuū in plerisque dogma

Origenis dogmata venenata.

noſtrum marſupium Alexandrinæ (cuias videlicet fuit Origenes) chartæ euacuauerunt, Sed Origeniſtes nunquam fui, Origenem nũquam ſecutus ſum, cur ergo in opuſculis tuis laudaſti? Et hodie laudarẽ, niſi vos (Ruffine, & ſimiles) eius laudaretis errores, non mihi diſplicet ingenium, niſi quibuſdam eius placeret impietas. Et Apoſtolus præcipit omnia legentes, quæ bona ſunt retinere. Quis mihi interdicere poteſt ne legam Lactantij, quibus contra gentes fortiſſimè ſcripſit, inſtitutionũ libros, quia eius in Spiritus ſancti ſubſtantiã Iudaïca atque deteſtanda eſt ſententia? Tũ ſubſcriptis præcipuis Origenis erroribus, cùm hæc (inquit) reieceritis, & quaſi cẽſoria virgula ſeparaueritis à fide Eccleſiæ, tutò legam cætera, nec venena tã timebo, cùm antidota præbibero, nec mihi nocebit hominem Eccleſiarum doctorem nominaſſe, niſi fortè accuſare debui, cuius rogatus, opuſcula transferebam, & in prologo dicere, hic quẽ interpretor, Caue lector, ne legas, fuge viperã: aut ſi legere volueris, ſcito à malis hominib⁹ & hæreticis eſſe corrupta, timere tamen non debes, vitiata enim omnia correxi, hoc eſt aliis verbis dicere, Qui interpretor, catholicus ſum, quẽ interpretor, hæreticus eſt. Ego callidus qui emendaui, ſilens quod volui, ſilens crimina non feci inuidiam criminoſo. Aiunt & medici grandes morbos non eſſe curandos, ſed dimittendos, ne medela languorem exaſperet, ante annos prope 150, Origenes mortuus eſt, Quis Lati-

Legenda omnia, ſed bona retinenda.

Lactantij error in ſubſtãtia Spiritus ſancti.

norum ausus est transferre (quæ Ruffinus scilicet tunc transtulit) & per infame opus seipsum voluit infamari ? Si malo in eum animo fuissem , hos libros interpretatus essem , vt mala eius etiam Latinis nota facerem , sed nec multis rogantibus facere acquieui ; non enim consueui eorum insultare erroribus , quorum miror ingenia . Si adhuc viueret vester amasius , irasceretur vobis fautoribus suis , & cùm Iacob diceret, Odiosum me fecistis mundo , Geneseos trigesimo quarto . Vult aliquis laudare Origenem ? laudet vt laudo . Magnus vir ab infantia , verè martyris filius, Alexandriæ Ecclesiasticam scholam tenuit , voluptates fugit , calcauit auaritiam , scripturas memoriter tenuit, in studio explanationis diebus desudauit & noctibus , innumerabiles tractatus quos in Ecclesia locutus est , & Commentarios edidit. Quis ardentem in scripturis animum non miretur? Quod si quis zelotes opposuerit nobis errores eius , audiat liberè , interdum magnus dormitat Homerus. Verùm operi longo fas est obrepere somnum. Non imitemur eius vitia, cuius virtutes non possumus sequi. Errauerunt in fide alij tam Græci quàm Latini, quorum non necesse est proferre nomina, ne aliorum eum errore, non sui merito videamur defendere, & cæteros accusare, non hunc excusare : Sed cùm in fidei prauitate nec saltem Apostolus,

Origenis ardor in scripturis.

nec angelus defendẽdus ſit, Gal. 1. & Origenis ſimpliciter fatear errorẽ, ſic legam vt cæteros, quia ſic errauit vt cæteri. Sed ſi multorum cõmunis eſt error, cur ſolũ perſequeris? quia vos ſolum laudatis vt Apoſtolum, Tolle amoris, ὑπερβολὴν, & nos tollimus odij magnitudinem. Cæterorum vitia de libris ſuis ad hoc tantum excerpitis, vt huius defendatis errorem, Origenem ſic fertis in cælum, vt nihil eum errare dicatis. Eadem ſed breuius Minerio & Alexandro, Si quis cõtrariæ actionis immurmurat, quare eorum explanationes legam, quorũ dogmatibus nõ acquieſco, ſciat me illud Apoſtoli libenter audire, Omnia probate, quod bonum eſt, tenete, & Saluatoris verbum, Eſtote probati nummularij, vt ſi quis nummus adulter eſt, & figuram Cæſaris nõ habet, nec ſignatus eſt moneta publica, reprobetur, Qui autem Chriſti faciem claro præfert lumine, in cordis noſtri marſupium recondatur. Ego & in adoleſcentia & in extrema ætate profiteor Origenem, Euſebium, Theodorum, Acacium, Apollinarium viros eſſe doctiſſimos, ſed erraſſe in dogmatum veritate, & tamen omnes in explanationibus ſcripturarum ſudoris ſui memoriam nobis reliquerunt, in terra aurum quæritur, & de fluuiorum alueis ſplendens profertur glarea, Pactolúſque cœno ditior eſt, quàm fluento. Meum propoſitum eſt antiquos legere, probare ſingula, bona retinere, à fide Eccleſiæ catholicæ non recedere, vt Tran-

Doctiſſimos viros erraſſe in dogmatũ veritate.

quillino quærenti propter multos simplices Origenis errore deceptos, an iuxta Faustinum penitus respuendus, an secundum quosdam ex parte legendus, Origenem, ait, propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, vt Tertullianum, Nouatum, Arnobium, Apollinarium, & nonnullos Ecclesiasticos scriptores Græcos pariter & Latinos, vt eorum bona eligamus, & contraria vitemus, iuxta Apostolum, Omnia probate, bonum tenete. Qui autem vel in amorem eius nimium, vel in odiũ stomachi sui prauitate ducũtur, Videntur mihi maledicto prophetico subiacere, Væ his qui dicunt bonum malum, malum bonum, qui faciunt amarum dulce, dulce amarum, Nec enim propter doctrinam praua suscipiẽda sunt dogmata, nec propter dogmatum prauitatem, si quos Commentarios in scripturas sanctas vtiles edidit, penitus respuendi sunt, Quod si contentiosum inter se amatores eius & obtrectatores funem duxerint, vt nihil medium appetant, nec seruent modum, sed totum aut probent, aut improbent, libentius piam rusticitatem, quàm doctam blasphemiam eligam. Sic amicis, inquã, Hieronymus de legendis quamlibet à fide aberrantibus, nec aduersariis alia respondit, Nam Vigilantio eius nomen & amicos huius rei ergò infamanti scribens, Eadem, inquit, absenti significo, quæ præsenti sum locutus, me ita Origenem legisse vel legere, vt Appollinarium, vel cæteros tractatores, quo-

Origenes vt legendus.

rum in quibusdam libros non recipit Ecclesia, non quo omnia illorum damnanda dicam, sed quædam reprehendenda confitear, Verũ quia operis mei est & studij multos legere, vt ex plurimis diuersos flores carpam, non tam omnia probaturus, quàm bona electurus, assumo multos in manus meas, vt à multis multa cognoscam, iuxta illud, Omnia legentes, bona retinentes. Vnde satis miror Origenis te mihi obiicere dogmata, qui omnia contra Ecclesiã dogmata reprehendo, & publica voce condemno. Origenes hæreticus, Quid ad me, qui hoc in plerisque non nego? Errauit, &c. Si errasse non dicerem, & hæc quotidie non anathematizarem, essem erroris socius, nec enim ita debemus bona recipere, vt mala quoque suscipere cogamur. At idem scripturas in multis bene interpretatus est, Prophetarum obscura disseruit, noui & veteris testamenti maxima reuelauit sacramenta. Si igitur bona transtuli, mala vel amputaui, vel correxi, vel tacui, arguendus sum? Cur per me Latini bona eius habeant, mala ignorent? Si hoc crimen est, arguantur, & in culpa sint aliquot sancti Martyres & confessores, qui hæretici hominis commentarios in nostrum verterunt eloquium, licet hæretica prætermittentes, optima quęque transtulerint. Ad te ipsum veniam, ne non tam me defendere, quàm criminis socios, qui Origenem in scripturarum duntaxat explanatione secuti expresserunt, videar quærere, cur tractatus eius in Iob

Hæreticorũ commentarij per martyres in Latinum versi.

deſcriptos habes, in quibus quædam loquitur, quæ Eccleſia non recipit? Tibi ſoli licet τῶ σοφωτάτω κρανίω de cũctis & Græcis & Latinis tractatoribus ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula alios eiicere de bibliotheca, alios recipere, & cùm tibi placuerit, me vel catholicum vel hæreticum pronunciare, nobis non licet peruerſa reſpicere, & damnare quæ ſæpe damnauimus. Lege opuſcula mea, & liquidò peruidebis me ab adoleſcẽtia nunquam alicuius autoritate perterritum acquieuiſſe hæreticæ prauitati. Obtrectatoribus item ſuis obiiciẽtibus, quòd Origenis libros noxios, & Eccleſiaſticæ fidei repugnantes in Latinum ſermonem vertiſſet, ſic breuiter reſpõdit priore in Ruffinum Apologia; quod ab alio (eodem ſcilicet Antimacho ſuo) fraudulenter tranſlati eſſent, nonnullis interpolatis, additis, mutatis, & dogmatibus quibuſdam quidem impiis, quæ Romanæ aures ferre non poterant. In meliorem partem ab interprete commutatis, quibuſdam verò multò deterrimis, vel ita vt in Græco inuenerat, verſis, vel aliunde ſic firmatis, vt qui in vno catholicum legerat, in aliis hæreticum non cauêret, aut ergo totum fuiſſe mutandum, quòd malum eſt, au totum prodendum, quod optimum, & propter ſimplices noxia quæque detruncanda, Sin veritatis fides in tranſlatione conſeruanda fuit, non alia fuiſſe mutanda, alia intacta dimittenda. Sic enim præfantem praua ſe emendauiſſe, & optima reliquiſſe, ſcriptoris autoritate,

non interpretis libertate teneri, si quid in his quæ verterit, hæreticum comprobetur, & manifesti criminis arguitur, veneni calicē idcirco circunliuisse, vt simulata dulcedo virus pessimum tegeret. Ideóque vt mali operis astipulatorem, non vt interpretem in Ius Ecclesiæ trahendum. Simpliciter ergo se quod in Græco habebatur expressisse, non vt crederet lector his quæ (ait) interpretabar, sed ne crederet illis quæ Ruffinus antè transtulerat, Quo in opere duplex fuit vtilitas, dū & hæreticus autor proditur, & nō verus interpres arguitur, Neu quis me putaret, his quę verteram consentire, interpretationis necessitatem præfatione muniui, docens quibus lector non deberet credere. Prior translatio autoris laudem continet, & ad credendum prouocat, Secunda vituperationē, & ad non credendum mouet, adeo non laudās quæ transfero, vt laudantem cogar accusare. Eadem res non eadem mente perfecta est, imo vnum iter diuersos exit habuit. Absoluit Ruffinus quæ erant, ab hæreticis addita & deprauata simulans, addidit quæ non erant, asserens alibi ab eodem disputata, neque loca vnde se transtulisse dicit, monstrans: mihi studio fuit nihil mutare de vero, nā interpretabar vt mala interpretata conuincerem. Putatis me interpretem? proditor fui, hæreticum prodidi, vt Ecclesiam ab hæresi vindicarem, hæc interpretatio igitur mea cū pietatis habeat causam, non debeo impietatis argui, prodēs impium, quod

quasi pium Ecclesiis tradebatur. Cùm tam eius multa per tot annos nunquã scandalo fuissent, nulla de opere meo quæstio, nunquam Roma commota sit, quid necesse erat Latinis auribus tradere, quod detestatur & Græcia? Sic ille suæ Origenicorum non eorum tantùm in quibus mali nihil, sed etiam aliorum in quibus impietatis permultum, & lectionis & versionis causam, & à Ruffiniana differentiam reddit. Cur autem Origenem in quibusdam antè laudauerit, ex eodem antè audiuimus: De imitatione verò ita postea, in commẽtariis sic Origenem, Didymum, Apollinarium, contraria licet inter se habentes dogmata secutus sum, vt fidei non amitterem veritatem. Quid enim operis habẽt commentarij? alterius dicta edisserunt, obscurè scripta explanant, multorum sententias explicant, & plurium expositiones, sensus, intelligentiam, rationes & testimonia etiam inter se cõtraria ponunt, dicentes, hunc locum quidam sic edisserunt, alij sic interpretantur, illis aliter videtur, vt prudens lector cùm tam diuersa legerit, & multorũ vel probanda, vel improbanda didicerit, iudicans quid verum sit, quasi bonus trapezita adulterinæ monetæ pecuniam reprobet. Hac Hieronymi similitudine sanè quàm ad hanc rem apposita vtitur etiam Pamphilus Martyr (si modò is Apologetici, quod pro Origene extat, autor est, nam de hoc quoque magna non tunc tantum, sed hodiéque controuersia est) Dolebat autem is (quisquis

Commentariorũ ad sacram scripturã, vtilitas.

Apologeticĩ pro Origene, autor.

fuit) quoſdam non tanto ſolùm Origenica ſtudio incuſare,ſed etiam aduerſus eos qui hęc legerent, tanta inimicitia & pertinacia agere, vt nec venia dignos putarent, quæ ſecularium librorum,aut etiam interim hæreticorum percontandi cognoſcendíque ſtudio decurrentibus impertiri ſolet,ſibi ſcilicet ſolis concedendam probandi ſermonis peritiā rati, vt ſi quid ab alio dictum eſt,retinere ſciant, ab omni ſpecie mali abſtinere ſe nouerint, ab Origenicis autem libris ac lectoribus id mandati penitus excludant, quo probabiles iubemur effici trapezitæ,ſcientes quod bonum eſt,retinere, & a malo abſtinere,vt ſi quis quidpiam eius legiſſe viſus fuerit, hæreſeos ſtatim ab his perfundatur infamia,denique cum multis religioſi propoſiti viris,in quibus culpæ alioqui nihil inueniunt,ob id ſolum inimicitias exercent,ſi quorum ſtudium erga Origenis libros propenſius eſſe perſpexerint, inuidioſè fingentes ab eis Origenem & Origenica Sanctorum vel Apoſtolorū, vel Prophetarum loco haberi, Quod equidem certum non habeo calumniandine voto factitent,an fortè tale quid à ſimplicioribus,& propenſiore affectu virum diligentibus vnquam audierint.Hęc non tam (opinor) Pamphilus ſcripſit ea paulò ætate ſuperior, quàm Origenis ſtudio Ruffinus affinxit, Cuius tempore Theophilus Alexandrinus,ſana licet multa & Eccleſiaſticæ fidei non repugnātia Apollinarem,Origenem, & alios hæreticos ſcripſiſſe

Trapezitis cōparati ſacratum literarum ſtudioſi.

Theophilus Alexandrinus epiſcop⁹ D. Chryſo-

lib.1.Paſchali confeſſus,monachis tamē ſimpliciorib⁹,& Anthropomorphitis id ſeditioſè vrgentib⁹, vt periculū ab eis imminens euaderet, primū pollicitus,mox fratrū aliorum doctiorū quidem,meliúſq; ſentientium, & Origenē defendentium odio percitus, & D.Chryſoſtomi epiſcopatu pellendi cupidus, D. Epiphanium, clarum quidē, ſed ſimplicem virum circumueniens,& in partes ſuas pertrahens, collecta epiſcoporū Cypri Synodo, Origenis ante annos penè ducētos defuncti libros,& eorum lectionem interdixit,reclamantibus tamen vbi reſciuerunt, viris tum ſanctiſſimis Theotimo Scythiæ,Methodio Olympi Lyciæ epiſcopis,quorum ille reſpōdebat nefas eſſe contumelia pridem mortuos,& bene requieſcētes afficere, & veterum ſcripta temere reprobare & abiicere, hic etiam Origenem initio multū inſectatus, poſtea pœnitens virum mirabatur, & Athanaſij teſtimonio defendebat.Diuus autem Chryſoſtomus,& Theophili literis,& Epiphanij lingua in Origenis librorum damnationem ſubſcribere, & ab eiuſdem lectione abſtinere, & coacto concilio idem ſecum decernere monitus,alioqui cum eis communionem non habiturus,Id facere recuſauit, dicens nihil ante catholicam cognitionem temere ac petulanter tale faciendum.Obtinuit tamē factio Chryſoſtomo aduerſa,ſubornato Epiphanio,qui celebrata in Apoſtolorū Eccleſia Synaxi,prodiens corā omni populo Origenis libros dānauit,&

ſtomi inimicus.

D. Epiphanius vir ſimplex à Theophilo circumuentus.

D. Chryſoſtomus Origeni æquus.

Epiphanius Origenis libros dānat.

Dioscorum, Chrysostomúmque cum sequacibus velut Origenis defensores abdicauit & pro scidit. At verò malign' huius interdicti autor & tumultus incẽtor Theophilus tanto post odio maiore flagrauit, quòd Origenicis rursus legendis incumbere non vereretur, & interrogatus, cur quæ antè reiecerat, iterum amplecteretur, sic respondit, Origenis libros similes esse prato omnis generis floribus ornato, quicquid ergo boni inuenio, id excerpo, si quid contrà spinosum occurrerit, id quasi aculeatum sit & pungat, omitto. hæc, ait, non considerans Salomonis verbum dicentis, Sapiẽtum verba esse boũ stimulis similia, Ecclesiastæ 12. nec debere aduersum ea illos recalcitrare, qui theorematibus eorum punguntur. Ob hanc ergo causam meritò ab omnibus reprehendebatur Theophilus. Atque hæc est grandis huius tragædiæ epitome breuis & succincta, ex Ecclesiasticis historiis, Tripartita lib. 10. ca. 10. 11. 12. 14. Socrat. lib. 6. ca. 7. 9. 10. 12. 13. 14. 17. Sozomen. lib. 8. cap. 11. 12. 14. Nicephori lib. 13. ca. 10. 12. 13. Chrysostomi vitæ scriptoribus Georgio Alexandrino, Simeone Metaphrasta, Leone Imp. Addit Zonaras tom. 3. Annalium, Atticum Patriarcham Chrysostomi nomen in Ecclesiæ commentarios retulisse, prius non inscriptum. Nam religiosissimus ille Pater, Origenista & vocabatur & habebatur. Necdum tamen finis, donec Vigilio Papa, & Iustiniano Cæsare Synodus V. œcumenica, supplicãtibus idem Hierosolymæ

Origenis libri similes prato omnis generis floribus ornato.

Chrysostom' Origenista vocatus.

Mona-

monachis & Episcopo, multis anathematismis & vociferationib⁹ impia & absurda Origenis dogmata damnauit, quę extant apud eundem Nicephorum lib. 17. ca. 27. 28. Et in eius concilij actione 4. ca. 11. Liberati quoque Breuiario ca. 23. & Martini I. Synodico aduersus Monothelitas decreto 18. Damnatus itaque est & mortuus non semel, ac etiamnum olim viuens, nec eius tamen omnia damnata, vel interdicta. Quin Gelasius I. pōtifex Rom. In ca. S. R. E. Dist. 15. Canonicorum & Apocryphorum catalogum texens, Cùm hæc (inquit) ad catholicorum manus peruenerint, B. Pauli sentētia præcedat, Omnia probate, quod bonum est, tenete, inter quæ nonnulla Origenis opuscula, quæ B. Hieronymus non repudiat, legenda suscipimus, cætera cum autore renuimus. Sed & in eiusdem schimatici licet laudibus & excusatione, librum Eusebius Cæsariensis conscripserit (& hic Hieronymo in Russinū teste, apertissim⁹ Arianæ factionis & impietatis propugnator & signifer) propter singularem tamen rerum quæ ad instructionē pertinent, notitiam, vsquequaque non renuimus eius historiam & Chronicon. Sed durior multò fuit de vtroque, Origene inquā, & huius interprete Rufino, Anastasii Rom. episcopi: ante Gelasiū centum plus minus annis sententia, Sic enim ad Hierosolymorū episcopum scripsit, Qui vrbis nostræ populis Origenica transferendo patefecit, quandam menti-

Origenis opuscula quædam retenta.

Anastasii Rom. episcopi sententia de Origene.

bus nebulam iniectam excitans, fidem Apostolicam maiorum traditione firmatam, velut deuiis anfractibus voluit dissoluere, quid enim agat hæc in Romanā linguam translatio? Approbo si autorem accusat, & execrandum populis prodit, vt iustis tandem odiis teneatur, quem iamdudum fama constrinxerat, Sin interpres tātorum malorū erroribus consensum præstat, & legenda impia dogmata in populos prodit, nihil aliud operis sui labore extruxit, nisi vt propriæ mentis arbitrio, hāc solam primámque apud Catholicos Christianos fidem ab Apostolis ad præsens vsque tempus obseruatam, inopinatæ assertionis titulo euerteret.

Eccl.Rom. disciplina. Absit hæc ab ecclesia Rom. disciplina nequaquam catholica, Nunquam profectò eueniet vt vlla ratione admittamus, quę iure meritóq; damnamus. Accipere nos omnino non possumus quæ Ecclesiam maculāt, probatos mores euertunt, circunstantium aures vulnerāt, iras, iurgia, dissensionésque disponunt, mihi sanè cura non deerit, ne qua profanæ interpretationis origo subrepens, deuotas mentes immissa sui caligine labefactet, Vnde quod euenisse gaudeo tacere non potui, beatissimorum principum manasse responsa, quibus vnusquisque Deo seruiens ab Origenis lectione reuocatur, quorunque sententia damnandus est, quem profana rerum lectio prodiderít. Omni autē suspicione seposita Ruffinum scito propria mente in Latinum Origenica transtulisse,

probauiſſéque, ei non diſſimilem, qui alienis vitiis aſſenſum præſtat, ac proinde à noſtris ita partibus alienum, vt vbi ſit, quid agat, neſcire cupiamus, Viderit à quo abſolui poſſit, & qualiter apud diuinam Maieſtatem, quam conſciētiæ ſuæ habet arbitram, integræ deuotionis officio approbare debeat, hæc ille. Inter Hieronymi opera, in tomis ſanè Conciliaribus nō occurrūt nec principum aduerſus Origenicorum lectionem edicta. Hæc plurima ex parte D.Hieronymus occaſione ſcriptorū, quæ tunc multo multis erant in pretio, Origenicorum. de vſu legendorum, ac etiam vertēdorum hæreticorum, qui etiam libros aliquot à Paulo concordienſi, commodatò petens, ſimul, inquit, & epiſtolas Nouatiani, vt dum ſchiſmatici hominis venena cognoſcimus libentius S. Martyris Cypriani bibamus antidotum. Tantùs tamen hæreſεων & hæreticorum maſtyx, vt ſanctè ſe iactet hæreticis numquam peperciſſe, & omni ſe egiſſe ſtudio, vt hoſtes eccleſiæ, mei (ait) quoque hoſtes fierent, in procœmio aduerſus Pelagianos, & contra Vigilantium, ſéque ab adoleſcētia nunquam alicuius autoritate deterritum, hæreticæ prauitati acquieuiſſe, Vir inquam, ſi quis vnquam alius, qui iuxta Domini in ſe credentibus promiſſa, Marc.16. ſi quid mortiferum bibit, non ei nocuit, hoc eſt Euſebio Emiſſeno interprete, paganorum & hæreticorum libros legens, amara & venenoſa conuitia ſibi ſuíque ſimilibus

D Hieronymi laus ab omni hæreſi alieniſſimi

ecclesiæ sanctæ filiis, illata sæpe audiens, surda aure transiens pro nihilo duxit. Cuius & illud ad rem facit, quod in Salomonē scripsit (si eius modò sunt in prouerbia commentarii, ad cap. 6. Vt hominis in sinu ignem habentis vestes non ardere, super prunas ambulantis plantæ non possunt nō comburi: sic homo ad mulierem proximi ingressus, eámque tangens, mundus non erit, Soli (ait) ei conceditur hæreticorū libros legere, qui adeo in fide catholica solidatus est, vt verborum dulcedine vel astutia nequeat ab ea segregari.. Gloriatur in Gētiles Chrysostomus, de summa fidei & religionis nostræ securitate, cui adeo nihil ex aduersariorum libris immineat periculi, vt etiam quidā nostrorum cura sint asseruati, alioqui perituri. Sic enim cōcionatur in S. Babylam, de philosophorum & rhetorum libris aduersum nos scriptis, sicubi saluus aliquis comperiatur, hūc apud Christianos asseruari inuenias, tantum abest, vt ab illórum in nos insidiis detrimentum aliquod suspicemur. Nec enim si adamantina & immortalia nobis inessent corpora, scorpios, serpentes, ignem manibus constringentes timeremus, sic neque vbi animas nostras, fidémque in nobis tantam Christus stabiliuit, hostium nostrorum venenis impetiti timemus: Nam si nobis concessum est super scorpios & serpentes, & omnem Diaboli tyrannidē ambulare Luc. 10. multomagis super vermes & scarabeos: horum enim librorum

Hæreticorū libros qui legere poßint inculpatè.

Simile.

ab aduersariis Religionis nostræ conscriptorum nocumẽtum tali interuallo dissidet, si eos compares cum mali dæmonis in nos insidiis, Hæc, interprete Brixio, Chrysostomus. Qui adeo idem de hæreticorũ quod de gentilium libris sensit, vt exilij multam & causam fuisse antea audierimus, quod aliquot episcopis libros Origenis damnãtibus subscribere noluerit, Quod tamen negotium optimo cuique cũ Chrysostomo displicebat: Nam præter ante citatum S. Theotimum Scytharũ episcopum, nec Theophilus quidem Alexandrinus eiusdẽ dãnationis autor Origenis lectione abstinuit, quasi (quod minimè decet, & lex vetat. Leuit. Deut. 25) Domi habens pondus & pondus, & quod aliis licere nolebat, sibi permittens. Vt ergo nostrum est à damnosis & perniciosis libris, quasi venenosis simpliciores dehortari & arcere: sic parum fidei nostræ honorificum fortè fuerit, sicubi adeo trepidetur, vbi minus trepidandum fiet, quasi saluis vllis huiusmodi scriptis salua illa esse omnino nequeat: & cauendũ, vt quod de quibusdam præ fidei nostræ certitudine conseruatis, adeóque pro eadẽ cõseruãdis, Ecclesiæ gloriosum esse censuit & cõsuluit D. Chrysostomus, nos cõtrà immodico magis zelo quàm sciẽtia obscurem', & vt apud exteros & infideles malè audiamus, nobis ipsi autores simus. Nam cum tã multa minus digna in aliquibus Christianorum non modò scholis, sed templis quoque legantur, canãtur,

Chrysostom⁹ in exilium actus quod Origenis damnationi subscribere noluit.

Theophilus episcopus Origeni s. i. quitur.

Apocrypha leguntur & canuntur. & patienter audiantur. quæ olim iam fuit, ac etiamnum est Ecclesiæ non tantum hostium exprobratio, sed & filiorũ querimonia, vt de Apocryphis monuimus, hoc est, à sanctis ante nos patribus actum egimus. Digressionum lib. 1. cap. 11. & rursum Digressione 21. in 2. ad Timoth. cúmque nec in pessimos interĩ impudicissimos, obscœnissimos, maximéque blasphemos libros nec sic sæuiatur. curandum nobis rursus est, vt ne in scrutandis, tollendis & abolẽdis aduersariorum scriptis priuati se aliquid odii & affect⁹ immisceat, sed magis fidei zelus à spiritu Christi & Ecclesiæ mente siue intentione profectus, oculis tum suggerentiũ, tum iudicantium obuersetur. Iuxta superiorem hãc ecclesiasticorũ canonum & conciliorũ Regulam, & pastorum atque Doctorum sententiam, Rex & princeps noster Hẽricus II. quãtumlibet alioqui de tam multis in hodierno schismate scriptis à ditione sua exterminandis arcendísque sollicitus, disertè tamen eos excepit homines ab interdictis scriptorum huiusmodi, qui prout habet ratio, & iuxta constitutiones canonicas, possunt atque debẽt libros de hæresi suspectos habere, nimirum quos videant, impugnent, improbent suis in concionibus, prælectionibus, & vbicunque locorum opus fuerit, Sic enim habet VII. articulus: edicti anno 1551. Qui etiam, vt nobis sunt, prout & semper fuerunt, sicut domus quõdam Israëlis. 3. Reg. 20. sic Francicæ, adeóque Valesiæ

Henrici II. Regis christiani studiũ & edictum.

Hæreticorũ libros habere qui possint.

Reges ſanequam clementes, nedum æqui atque iuſti, edicti eiuſdem articulo. XIIII. quia frequẽter reperire eſt in auctionariis demortuorum tabulis codices huiuſmodi ſuſpectos, & proinde prohibitos, vt vetuit repertos, niſi prius à peritis & deputatis viſitatos vænum exponi, aut diſtrahi: Ita noluit defunctorum memoriã eius rei ergo reã agi aut peragi, ſiue condemnari: Pars porrò huius argumenti altera nobis tractanda ſupererat, ſuper hæreticis videlicet tum libris, tum hominibus etiam eliminandis, ſed prçterquam hic iã commentarius, quàm ab initio ſperarẽ auctior eſt, & excludunt inſtantes operæ. Non omnia, inquit ille, poſſumus omnes, & quãtillum poſſumus, non omni ſtatim tempore poſſumus: partem eius quod reliquum eſt, alteram cũ per otium licebit, colligemus, alterum ſuper Legibus & pœnis per Chriſtianos principes aduerſus læſi Chriſtianiſmi reos latis & ſancitis, promptam præſentémque habemus, & quidẽ vernaculã, hoc eam anno daturi tibi, lector optime, ſi quidem nobis Deus dederit. Lutetiæ, ex ædibus Rhæmæis, pridie Pentecoſtes, XVII. Iun. Anno D. 1567.

Reges Franciæ vt Iſraelis clemẽtes.